



En damus tibi christianissime lector, Commentaria Bibliorum et illa brevia quidem ac catholica, eruditissimi simul ac pijssimi uiri Chuonradi Pellicani Rubeaquensis, qui & Vulgatam commentarijs inseruit aeditionem, sed ad Hebraicam lectionem accurate emendatam. Habes autem in hoc opere quicquid syncerae theologiae est. Ideoque si sapis ex ipso potius Sacrorum fonte, quàm riuulis Religionem ueram imbibe.

<https://hdl.handle.net/1874/399999>

COMMENTARIUM

IN

EVANGELIUM SECUNDUM IOANNEM.



Vm uita doctrinaq; domini Iesu Christi iam apostolorum prædicatione ac ceterorum Euangelistarum literis late per orbem esset diuulgata, Ioannes ille Iesu amore nobilis, postremus omnium hoc Euangelium scribendum suscepit, non tam ut Euangelicam historiam texeret quàm ut quædam ab alijs obmissa non indigna cognitu adderet. Præcipuam autem causam fuisse putant, cur scripserit hoc Euangelium, ut Christi diuinitatē assereret aduersus hæreses iam tum ueluti malam zizaniam in bona segete suppullulantes, sed præcipue Cerinthianorum & Ebionitarum, qui præter alios errores docebant Christum nihil aliud fuisse quàm hominē, nec omnino fuisse prius quàm de Maria nasceretur. Expediebat autem in primis ut orbis sciret & crederet Christum eundem & uerum deum & uerum hominem fuisse. Quorum postærius primum ad amorem hominum in illum excitandum facit; libentius enim amamus nobis cognita. Deinde stimulos ad imitandum acriores subiicit. Quis enim conetur æmulari quod ab angelo per speciem tantum non etiã uere gestum esset? Porrò ut sunt ardua quæ præcipit, ita summa sunt quæ promittit. Oportebat quoq; non ignorari diuinam eiusdem naturã, ut confidamus illum haud dubio præsidio futurum suis, quos sic dilexit, nec frustraturum in promissis, qui quicquid uult nutu possit efficere. Superiores autem Euangelistæ de diuinitate domini Iesu pauca quædam & breuiter attigerant, per miraculorum potentiam deum ostendentes & opera diuina. Nam hanc opinor esse sapientiam, quam Paulus loquebatur inter perfectos, inter ceteros nihil se scire profutens nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Forte nondum ferebat temeretur ab impijs, quod nec credere possent nec intelligere. Quanquam & alioqui ueteres omnes, quoties de rebus diuinis uerba faciunt & parcissime & religiose loquuntur, copiosiores in his quæ magis conducunt ad uitæ pietatem. Hæreticorum itaq; temeritate apostolus compulsus est apertius asserere Christo diuinam naturam, quemadmodum Arrianorum audacia cõpulsus sunt orthodoxi patres certiora quædam de rebus iisdem definire, quum maluerint ab eiusmodi rebus definiendis abstinere, quæ longe superat humani captum ingenij, nec nisi magno periculo definiuntur. Est autem Euangelium, bonum, felix, & desideratissimum nunciũ salutis & pacis, promissum quidem in lege & prophetis, exhibitum autem per Christum dominum saluatorem, historice descriptum per Euangelistas, prædicatum autē & inculcatum per apostolorum epistolas. Vt sic Euangelium dici possit, utriusq; Testamenti canon sacer, quamlibet præter hoc multa complectatur ad legem pertinentia & ad mores sanctos, & ad fidem charitati iunctam. Cæterum iusta causa dominus huic Ioanni cognomen indidit ut filius dicatur tonitru, qui ueri Iouis tonitru Verbum quo uniuersa mundi machina ut condita est & gubernatur, ita instauratur ac renouatur, tam clare ac magnifice in orbe sonuit ut nemo unquam uel clarius uel ma-

gnificentius. Propter quod & domino peculiariter dilectus cognoscitur, cui et se familiariter adeo insinuauit, & cognoscendum obtulit, tam sublimiter tamque luculenter predicandum. Amoris enim indicium pronunciauit apostolis, dicens: Vos dixi amicos, quia quaecumque audiui a patre meo nota feci uobis. Specialibus ergo amicis speciali se claritate insinuauit, ut describi & predicari merito clare potuerit. Orditur autem Euangelicam suam historiam facer Ioannes absque procerio: solis enim electis Christi ouibus scribebat, quae pastoris sui uocem per spiritum satis agnoscunt. Testari de suo pastore uoluit pro apostolico officio suo, idque simplicissime, cum sermone tum scripto, absque orationis artificio uel superstitione. Quare nemo hic aliud quam simplex & apertum, sed diuinum & certum de domino nostro Iesu Christo testimonium expectet, id quod qui uere spirituales sunt, agnoscent. Spiritu autem uacantes & reprobis nulla quamlibet artificiosa oratione scripta uel ratione persuadentur. Verum non sine legitimo & naturali ordine procedit scriptor Euangelicus. Principio enim in genere dicit de diuinitate Christi & humanitate, postea totam uitam scribit de baptismo Ioannis, inde de doctrina, deinde de quatuor peregrinationibus ut quater uenerit Ierusalem, factisque miraculis redierit uel in Galilaeam uel Iudaeae uiciniam. Postremo proponitur passio & resurrectio Christi. Vbi quae autem uidetur gloria Christi surgere & crescere, & spes nostra in Christum fundari, commendarique fidelibus contra haereticos.

CAPVT PRIMVM.

A



IN PRINCIPIO erat uerbum, & uerbum erat apud deum, & deus erat uerbum.

Quoniam Ioannis Euangelista temporibus, ut creuit Euangelici sermonis triticum in cordibus piorum, ita succreuit & impiorum zizania. Quorum execranda temeritas eo prorupit ut quidam non ueriti sint Iesu Christo adimere naturam humani corporis, pro homine spectrum inane ac prestigium hominis subijciantes: quidam e diuerso diuinam naturam eidem detraherent, mentientes tum demum coepisse totum diuinumque quod est in Christo, quum nasceretur ex Maria uirgine, quod excacati terrenis affectibus non assequerentur diuini consilij mysterium, quomodo deus uerus humanitate uera assumperit ut idem esset utrunque, neque quicquam interim decederet incommutabili naturae diuinae, & constaret integritas naturae humanae. Ut autem beatur fidelibus, abutendum est uocabulis rerum, nostro humano sensui familiarium, quum nihil usquam sit in omnibus rebus conditis unde duci possit comparatio, quae ad unguem quadret ad ueritatem naturae diuinae. Itaque quemadmodum arcanae litterae summam illam mentem, qua nihil cogitari potest neque maius neque melius, deum uocant; ita huius filium, unicum sermonem illius, uel uerbum in eodem significato appellant. Filius enim cum sit idem quod pater, tamen similitudine patrem quasi refert, ut utrunque in altero liceat intueri, patrem in filio, filium in patre. Sed gignentis ac geniti similitudo, quae in humana generatione multis modis imper-

dis imperfecta est, in deo patre & huius filio perfectissima est, sine aliqua quacumque imperfectione. Nec est alia res, quæ plenius & euidentius exprimat occultam mentis imaginem, quam oratio, sermo, uel uerbum non mendax. Hæc enim uere speculum est animi, qui corporeis oculis cerni non potest. Quod si cui uolumus animi nostri uoluntatem esse cognitam, nulla re certiore id fit aut celerius quam oratione, quæ ex intimis mentis arcanis deprompta per aures audientis occulta quadam energia animum loquentis transfert in animum auditoris. Nec est alia res inter mortales efficacior ad omnem animorum motum excitandum quam oratio. Quod si adsit autoritas, oratione compendio præscribitur quid fieri uelimus. Filius itaque dicitur, quod ceteris omnibus par ei unde nascitur, sola personæ proprietate discernitur. Sermo dicitur, quod per hunc deus, qui in suapte natura nulla ratione comprehendi potest, nobis uoluit innotescere, nec aliam ob causam uoluit innotescere, nisi ut ex ipsius cognitione felicitatem æternam assequeremur. Non est hæc temporaria natiuitas, nec sermo similis humano. Nihil corporeum est in deo, nihil tempore fluidum aut locutioni obscriptum, neque quicquam omnino initio, progressui, senio, aut ulli mutationi obnoxium. Totus ac semper in se est, et qualis est ipse, talis ab eo semper nascitur filius, æternus ab æterno, omnipotens ab omnipotente, optimus ab optimo, denique deus à deo, sicut & æternum lumen de lumine æterno. Nec posterior se gignente, nec inferior æternæ mentis sermo æternus, quo sibi semper uelut arcana cogitatione loquitur pater. Etiam ante conditum hunc mundum, nulli notus nisi sibi uni & filio. Sibi nunquam non genuit filium, sibi nunquam non prompsit sermonem omnipotentem. Non egebat ille rebus conditis, cuius felicitati nihil potest accedere, sed ex sua natiua bonitate condidit uniuersam hanc mundi machinam, & in hac mentes angelicas, & humanum genus uelut ex angelis ac pecudibus medium, ut ex rebus mirifice conditis, atque etiam ex seipso potentiam, pietatem, ac bonitatem opificis colligeret. Quemadmodum autem si quis esset rex omnipotens, quicquid is fieri iuberet id protinus factum esset, ita pater uere omnipotens per filium ac sermonem suum condidit uniuersa. Atque hac ratione primum deprompsit sermonem suum, per quem nobis ueluti loquutus innotesceret, seseque per admirationem pulcherrimæ machinæ cognitum, in affectus nostros insinuaret. Multum igitur aberrant à uero, qui dei sermonem sic putant esse posteriorem eo qui promittit, quemadmodum apud nos mens antiquior est proloquio, quicquid dei sermonem, quo pater deus condidit uniuersa, bitrantur inter res conditas. Sed crassior est illorum error, qui tum demum arria nasceretur. Quicquid creatum est initium sumpsit in tempore. Sed filius dei uerus natus est: semel à patre ante tempora, uel potius sine tempore, ex deo uero uerus deus; rursus tempore ab æterno destinato, ex Maria uirgine, ex homine uerus homo. Nam hoc modo uisum est deo, nobis rursus depromere sermonem suum, ut crassius aut familiarius nosci posset. Impius igitur est, qui contendit dominum Iesum Christum nihil aliud fuisse quam hominem, aut qui contendit eum inter cæteras creaturas fuisse conditum. Eundem filium aliter genuit pater, eundem sermonem aliter deprompsit, semel in tempore, sed semper extra tempus omne. Nam antequam hæc uniuersitas rerum terrestrium & cælestium conderetur, iam cum patre æterno sermo erat æternus, atque hic sermo sic prodibat à patre ut nunquam à patre discederet. Sic erat indiuisæ naturæ cum patre ut iuxta personæ proprietatem esset apud patrem, nec sic adhereret

patri, quemadmodum accidens adhæret substantiæ, sed deus erat ex deo, deus erat in deo, deus erat apud deum, deus erat deus, ob communem utriusque diuinitatis naturam. Duos per omnia pares, nulla res discernebat nisi proprietatis gignentis & nascentis, proloquentis ac deprompti proloquij. Sicut erat filius unigenitus ab unico patre: sic erat unicus sermo ab unico promente. Sapienter autem usus est nomine uerbi uel sermonis, alioqui potuisset dicere, In principio erat filius, & crassos istos offendisset multum. Sed de uerbo datur cogitatio re aliquid sanctius: id est autem, non dabis mihi durationem aliquam uel tempus ubi non fuerit filius. Contra Arrianos qui dicebant: Erat aliquando quando non erat. Itaque si in principio fuit uerbum, si apud deum fuit ante omnes creaturas, necesse est ut sit deus.

Hoc erat in principio apud deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.

Quamquam autem hic sermo erat deus omnipotens ex omnipotente, tamen personæ proprietate discretus non naturæ dissimilitudine erat apud deum patrem, non in tempore prolatus, sed ante omnia tempora semper ita proficiscens à mente paterna, ut tamen ab ea nunquam recedat. Neque conditus est à patre, sed per hunc sibi coæternum sermonem suum pater condidit uniuersa, quæcumque condita sunt, siue uisibilia siue inuisibilia: per eundem gubernat uniuersa, per eundem instaurauit uniuersa, non uelut instrumento utens aut ministro, sed ut eiusdem naturæ, eiusdemque uirtutis filio, ut ex patre uelut authore summo prodirent omnia quæcumque sunt, sed per filium quem sibi per omnia æterno genuerat, ac sine fine semper generat. Et hæc quidem est Ioannis de diuinitate filij sententia. Nunc qui uolet expendere latius ut per uerbum omnia facta sint, is consulat & alios scripturæ locos, unde discimus omnia esse in manu dei & consistere. In sanctorum quoque cordibus operatur sensibiliter deus per uerbum omnia. In impijs quoque abscondito consilio quod bonum est faciunt, quod & ipsum uerbum dei impijs malum est. Quod factum est, (Sic denominationes Erasmi.)

in ipso uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Non solum in hoc dei uerbo uel sermone uis erat, nutu suo condendi rerum uisibilem & inuisibilem uniuersitatem, uerum etiam in eodem erat uita uigorque omnium quæ condita fuerant, ut per eundem unumquodque natu suo uigore ageret, seseque ui semel insita, perpetua propagatione tueretur. Nihil enim est otiosum aut iners in tanta rerum multitudine. Sua cuique herbæ atque arbori uis indita est, suum cuique animanti ingenium est. Sed quemadmodum omnia quæ condidit, sua prouidentia ui quadam insititia instruxit ad actum cuique peculiarem, et ad perpetuitatem sui generis: ita non reliquit pulcherrimam huius mundi fabricam absque lumine. Siquidem ut est fons uitæ omnibus, ita est & fons lucis, nimirum patre per æternam natiuitatem in eum transfundente naturæ diuinæ plenitudinem, adeo ut solus uitam restituat etiã mortuis, & animorum quamlibet densam noctem luce sua dispellat. Quod igitur sol est rebus corporeis, hoc sermo diuinus, qui est Christus Iesus, est mentibus mortalium, quibus per peccatum in altissimas tenebras & mortem collapsis, ineffabili charitate succurrere studuit. Prius enim uiebant homines in ignorantia, peccatorumque tenebris

nebris uersantes, mutas statuas pro deo uiuo colentes, cæcis animorum cupiditatibus turpiter immerſi, nec habebant cordis oculos, quibus æterna ueritas conspicitur. Inſpererat deus animis hominum ſcintillulam aliquam ingenij perſpicacis, ſed hanc affectus corporales & uitiorum tenebræ obcæcauerant. Ac præſus tanta erat huius mundi caligo, ut nec humana philoſophia nec Moſaicæ legis religio nec prophetarum faces hanc diſcutere quiuerint. Tandem uenit ſol ille noſter æternus, cuius inuincibili luci nulla caligo nõ cedit. Venit autem ut uitam reſtitueret omnibus hominibus, non Iudæis tantum, ſed uniuerſis orbis nationibus, & peccatorum abſterſa caligine redderet omnibus oculos, ut per fidei lumen agnoſcerent deum patrem ſolum colendum ac diligendum, & huius unicum filium Ieſum Chriſtum. Sol hic corporeus nõ lucet omnibus, habet enim ſuas uices; uerum hæc lux ſua genuina ui lucet etiam in craſſiſſimis mundi tenebris, omnibus ſeſe offerens ut reuiuifcant & uideant æternæ ſalutis uiam, quæ nulli non patet per fidem Euangelicam. Et quanquã mundus excæcatus peccatorum fordibus & cupiditatum turpium caligine, nolit aſpicere lumen hoc, tamẽ nullis huius mundi, quantumuis denſis tenebris, inquitari potuit. Solus enim ille purus erat ab omni uitiorum inquinamento, nec aliud erat quàm lux undique pura & illibata. Pugnans enim aſſidue huius mundi tenebræ aduerſus lucem quam odit, ut operum ſuorum prodiatricem, & multorum radios uel extinguit uel obſcurant, ſed aduerſus hanc uiuã & æternam lucem nihil ualuerunt. Tumultuatum eſt à Iudæis, à philoſophis, à potentibus, à ſuperbis, ab his qui ſeſe rebus caducis totos dediderunt, ſed uincit, lux eſt, luces adhuc in medijs mundi tenebris, ſemperque lucebit, nulli non ſe communiacans, qui modo ſeſe præbeat lucis capacem. Quid autem facias his qui ſcientes ac uolentes lucem oblatam à ſe depellunt? qui inuitati ad lucem, ultrò clauſis ſui luminis. Eſt igitur etiam in deploratis hominibus dei ſenſus & illuminatio, qui ſatis ad id ſit ut olim ſeipſos condemnent, qui quem agnouerunt, ei nõ etiam eum, quem ſolum gratum ſciuerunt cultũ, exhibuerint. At tantus illius dei ſenſus a deſt, ut uere diligere & ſuſcipere deum poſſent. Rapit autẽ tranſuerſum eos uis ſatanæ, cui obnoxij ſunt, ut in corde dicant, Non eſt deus. Impij ergo uidentes cæci ſunt, bonum nec uidere ualentes nec amare.

Fuit homo miſſus à deo, cui nomen erat Ioannes. Hic uenit in testi- Matth. 3. 4
 monium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per Marci 1. 9
 illum: non erat ille lux, ſed ut testimonium perhiberet de lumine.

Non ingeſſit ſe ſubito illud lumen mortalium oculis, ne magis etiam illos exocularet ob incredulitatem. Quis autem rem tam admirandam credidiſſet, niſi paulatim multis modis præparaffet hominum mentes ad credulitatẽ? Itaque non contentus tam admirabili mundi fabrica declaraffe mortalibus & omninipotentiã ſuã ſapientiamque & bonitatem immenſam, atque eximiam erga geſtã humanum charitatem, nec contentus tot prophetarum oraculis, tot uetere legis ſimulachris ac figuris, ueluti præludere aduentum ſuum: denique miſiſt uirum omnibus prophetis excellentiorem, cui nomen erat Ioannes, qui tam etſi primam ſanctimonie laudem meruit inter homines ad id ætatis uſque natis, atque ob muneris pluſquam prophetici dignitatẽ angelus dictus, attamen nihil aliud erat quàm homo, plurimis quidem dei donis largiter inſtructus, ſed quæ diuinae liberalitatis eſſent, non naturæ humanæ ſemel impartita. Hic tamen in

hoc delectus ac missus est à deo, ut iuxta prophetiam quæ de ipso præcesserat, testimonium præberet de illo lumine diuino, quod humano corpore dissimulatum uersabatur in mundo: non quod qui deus esset, & paterna uoce prædicatus est, opus haberet hominis testimonio, sed ut omnibus modis sese insinuaret in credulitatem mortalium. Ioannem uoluit esse præcursores lucis, quem admodum lucifer solis exortum prius nunciat mundo, suaq; prædicatione præpararet animos hominum ad excipiendum lucem iam iam uenturam. Quoniam autem peccata obstant, quo minus admittatur lumen cœlestis, inuitauit Ioannes ad poenitentiam, clamans instare regnum cœlorum. Primus enim ad lucem gradus est, odisse tenebras suas. Erat autem hic Ioannes ob eximiam uitæ sanctimoniam tantæ apud Iudæos authoritatis, ut à plerisque Christus haberetur, quo magis uoluit huius testimonio pro tempore commendari Iudæis, ut sensim humano more irreperet in animos hominum. Alioqui solet qui minor est maioris testimonio commendari. Promiserat autem Isaias, Christo ueniēte lucem quandam eximiam exorturam his qui uersabantur in tenebris & umbra mortis. Itaq; priusquam Christus inclaruisset miraculis, multi suspicabantur Ioannem esse lucem illam à propheta promissam, uerum præco tantum ueræ lucis erat Ioannes, non ipsa lux. Christus igitur pro temporis dispensatione abusus est errore Iudæorum, & authoritate Ioannis ad animos omnium Euangelicæ fidei præparandos. Erat quidem Ioannes lux quædam, nimirum lucerna ardens & lucens, ardens pietate, lucens uitæ sanctimoniam: sed non erat illa lux quæ toti mundo uitam adferret. Ioannes non docebat corda, sicut uerbū dei uiuificum, sicut ipse Christus qui baptizabat igne & spiritu.

Erat lux uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum:

Sermo & uerbum dei, de quo nobis in præsentia sermo est, erat illa lux uera, semper manans à deo patre fonte lucis omnis, unde lumen mutuatur quicquid lucet in cœlis & in terra, siue inter homines siue inter angelos: si qua scintilla ingenij, si qua cognitio ueri, si quod fidei lumen, ab hoc fonte proficiscitur. Quemadmodum absq; sole cæcus est hic mundus, ita absq; hac luce caligant uariæ diuina. Mundus autem ubiq; regnante peccato & abominandis erroribus, undiq; tenebrosus erat. Et in his tenebris subinde emicuerunt uiri sanctimoniam præcellentes, ueluti stellulæ in densissima nocturnæ caliginis, ac ceu per nebulam lucis nonnihil ostenderunt, sed Iudæis tantum, aut Iudææ finitimis: uerum hæc lux uera lucem impartit non uni tantum nationi, sed omnibus hominibus prodeuntibus in huius mundi tenebras. Iudæi lucem hanc sibi proprie uindicare sunt conati, quod his proprie uideretur promissa, quod ex ipsdem & apud eosdem iuxta carnem exorta, sed illa uenerat ut per Euangelicam Scythia, non sceret cordibus omnium totius orbis nationum. Non excluditur Indus, non Hispanus, non Gothus, non Britannus, non reges, non serui. Quantum est in ipsa luce, uenit illustrandis omnibus. Quod si qui perseuerant in tenebris suis, non lucis est culpa, sed eius qui per uerse tenebras amat, lucem horret. Lucet autem omnibus, ne quis excusationem possit prætexere, quem uolens ac sciens suo uitio pereat, ueluti si quis impingat meridie, quod oculos non lit attollere.

in mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.

Semper

Semper hic sermo dei & uerbum erat in mundo, cum nondum carnem induisset: nō quod qui iam immensus est, ullo locorū ambitu contineatur, sed sic erat in mundo, quemadmodum ingenium opificis est circa opus uel in opere, quemadmodū gubernator est in eo quod moderatur. Lucebat & tum hæc lux in mundo per ea quæ mirifice condita fuerant, uirtutem, sapientiam, ac bonitatem diuinam utcunq; patefaciens, atq; hac ratione tum etiā quodam modo loquebatur humano generi per prophetas & spectra. Sed pleriq; felicitatē suam in rebus uisibilibus huius mundi collocantes, quos ob id merito dominus leasus mundum appellare consueuit, quum ipse doceret æterna, excæcati cupiditatibus terrenis, non agnouerunt conditorem suū. Tanta erat caligo mentium ut opificem mundi mundus non agnosceret, sed serpentes, boues, hircos, porcum, & cepe, imō quod his etiā uilius est ligna ac lapides adorarent, eo contempto, unde quicquid erant aut habebant acceperant. Assueti tenebris abhorrebant à luce, ac peccatis occæcati pro uita mortem amplectebantur.

In propria uenit, & sui eum non receperunt:

Sermo quoq; dei iam carne indutus & reuelatus, ubi familiarius sese præberet mundo, humano corpore uersans & conuiuens inter homines, non est agnitus ab his qui mundo huic sese totos deuouerant. Nec adeo mirū est, si gentes idolorum cultores, & huius uitæ commodis omnia metientes, prophetarum ac legis rudes, non agnouerunt humana specie uiuentem. Illud magis mirandum, quod cum peculiariter ad suam gentem uenisset, cui tot prophetarum oraculis fuerat promissus Messias, cui tot figuris fuerat adumbratus, cui tot factis fuerat expectatus, quæ uidit ædentem miracula, quæ docentem audiuit, tamen adeo non est receptus à suis ut quibus seruandis peculiariter uenerat, effectis animis exitium moliti sint, & mortem machinarentur innoxio, qui gratiam uitam afferebat nocentibus & indignis. Videntes non uidebant, & audientes non audiebant, & intelligentes non intelligebant, qui per uerso studio legis cooriebantur in eum quem lex promiserat. Horum igitur malitia factum est ut lex quæ credentibus afferebat uitam æternam, his maioris cæcitatē esset occasio. Sed horum peruersitas non potuit officere salutē credentium: imō Iudaicæ gentis cæcitas aditum patefecit Gentibus ad lucem Euangelicam. Qui hæc cognatione, qui diuini testamenti promissis soli gloriabantur, uenientem dei filium auersati sunt, ac proinde merito abdicatis Iudæis, Euangelio rebellibus, religionis imagine tuebant, palam declararent impietatem suam, reiicientes eius filium, quem pro deo colebant: et qui prius prorsus alieni à uera religione, pecudes ac ligna colebant pro dijs, pietatem Euangelicam per fidem amplecterentur.

quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri: B

ri, his qui credunt in nomine eius:

Quanquam hac occasione sic Gentes admissæ sunt ad salutē Euangelicam ut nec Iudæis nec ullis omnino nationibus sit præclusus aditus, si modo deposita per uicaciam se præbeant obediētes fidei, quæ prima & sola ianua est ad salutem æternam. Quanquam etiā ex Gentibus pariter ac Iudæis pleriq; qui mundum magis amabant quàm deum, auersati sunt lucem hæc, tamen nō fuit otiosus illius aduentus. Primum prodita est illorum infelicitas, qui suapte cul-

pa sese tantis bonis ultrò delatis orbarunt. Neq; cuiquam iam dubium esse poterat, quin iusto dei iudicio relinqueretur æterno exitio. Deinde factum est, ut è diuerso magis liqueret quàm insignis esset diuini numinis benignitas, qui simplici promptaq; fide reciperent sermonem Euangelicum. Nam ideo dei filius ac deus ipse sese demisit ad humilitatem nostram, ut nos per fidem ad suam sublimitatem eueheret. Ideo suscepit in se nostræ mortalitatis ignominiam, ut nos diuinæ gloriæ faceret consortes. Ideo homo ex homine nasci uoluit corporeus, ut nos renasceremur spirituales. Ideo descendit in terras, ut nos subueheret in cœlum. Reiecti sunt ob incredulitatem superciliosi scribæ & pharisæi, reiecti sunt elati reges ac potentes, reiecti sunt turgidi philosophi. Sed ad hanc summam dignitatem admissi sunt humiles, tenues, obscuri, idiotæ, serui, barbari, peccatores, quos mundus habet pro nihilo: à quibus nihil exigitur præter syncretam fidem, non eruditio, non generis nobilitas, non Mosaicæ legis ceremonialis religio, sed quicumq; cuiuscunq; nationis, cuiuscunq; conditionis, receperunt sermonem hunc, his uicissim hoc dignitatis contulit, ut per fidem & baptismum insiti Christo, & illius nomen, gloriam & beneficia professi, fierent ipsi filij dei, ut quod Christus esset per naturam, illi fierent adoptione. Quid autem hoc honore sublimius? ut qui prius erant filij diaboli, hæredes gehennæ, per solam fidem fierent filij dei, fratres Iesu Christi, cohæredes regni cœlestis? Qui & credunt in nomen eius, hoc est gaudent & gloriantur de nomine Christi, tanquam de primogenito fratrum, qui optime de eo sentiunt tanquã de suo redemptore & satisfactore, & ut de filio dei. Eisdem dedit potestatem filios dei fieri, dando eis fidem, qua nascuntur per spiritum sanctum ut sint filij dei, non quod in nobis sit quædam facultas naturæ concessa, qua possimus esse præditi diuino spiritu pro nostra potestate & uiribus,

qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt.

Iuxta carnem nascebamur omnes filij iræ, ex primo nostræ gentis auctore Adam; sed per sermonem dei eximimur ab infelici cognatione peccatoris, ac iuxta spiritum feliciter renasceremur per Iesum Christum ex deo. Nam hos demum filios agnoscit deus, non qui per corporeum semen aut coitus libidinē nascuntur filij Abrahæ, sed qui per fidem nascuntur ex deo, hoc est participes sunt naturæ eius, & in eandem imaginem transformantur, qui participes sunt lucis, sapientiæ, ueritatis & iustitiæ diuinæ. Notandum tamen & hoc est, ut ante omnia sæcula deus præuidit electos suos ex deo olim nascituros, quos & conscripsit in libro uitæ. Etiam antequam huius spiritus participes fierent uel fiant, nihilominus scripti sunt in libro uitæ, sed ipsi non sunt interim huius beatitudinis conscij: ubi autem spiritum dei acceperint, & nouerint se habere patrem in cœlis, & carnem suam mortificant, tunc certi fiunt, testimonium perhibente spiritu in corde, quod sint præordinati ad uitam. Vnde uere fideles de ea re non dubitant, Scriptura solet ita loqui, ut experimur; neq; hoc tribuit scriptura rebus externis, uel aquæ, uel panis, uel alicui rei, sed spiritui sancto operanti in nobis illam fidem, qua nascimur filij dei. Infeliciter nos genuerat primus ille generis auctor Adam. Genuerat enim per præuarcationem morti ac gehennæ. Et qui iuxta carnem nascuntur non eadem sorte nascuntur ex deo. Quisdam enim regno nascuntur, quidam seruituti. Sed nouæ generationis auctor Christus Iesus, omnes ad eandem dignitatem ex æquo regenerat, ut deposita seruitute

seruitute peccati, abiecta humilitate mortalitatis, per fidem & gratiam fiant filij dei uiuentis.

Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis.

Mirum non est, si homo transformatur quodā modo ad diuinæ naturæ consortium, cum sermo diuinus sese hac gratia demiserit, ut nostram carnem, hoc est mortale corpus assumeret ex uirgine, duo quædam dissimilia iungens in se, deum & hominem. Quid humana carne fragilius aut cōtemptius? quid deo sublimius? Ne mireris hæc potuisse cōiungi. Deus est qui fecit, nec diffidas homines posse fieri filios dei, quum sic dilexerit nos, ut nostra causa uoluerit fieri filius hominis. Nec enim assumpsit corpus imaginarium. Quis enim amaret inane spectrum, aut fallax prestigium? Sed uere corpus hominis assumpsit, hoc est totam naturam hominis assumpsit, nec eam partem fastidians qua morti susceptus obnoxij, & quā minimum differimus à brutorum genere. Nec assumpsit ad tempus, mox depositurus quod assumpserat, sed quo certam fidem faceret humanæ naturæ non per fucum assumptæ, diu uersatus est in terris, sitiit, esuriit, afflictus est, mortuus est, oculis conspectus est, auribus auditus est, manibus contrectatus est. Atq; ut hæc dignitas esset humano generi perpetua, ad huc habitat in nobis, carnem humanam gestans diuinitas, atq; in ea iam glorificata confidens ad dexteram patris omnipotentis. Quid autem hoc tanto beneficio maius excogitari potest? Factus est sermo & filius dei filius hominis, fraternaturæ (si quidem fidem in eum habuerimus) utiq; erimus filij dei, Rom. 8. Nihil est quod magis conciliet charitatem, quā si cogitemus deū pro nobis peccatoribus carnem assumpsisse, factum hominem, humanitatem uniuisse sibi in unitatem personæ. Dum uerbum carnem factum dicimus, per carnem intelligimus non solum cutem ossa & quæ corporis sunt, sed totum hominem, iuxta morem scripturæ, quæ totum hominem nomine carnis denominat. Sed non frustra naturæ, quo beneficiū dei ad homines gratitudine maiore admiraremur, tanquam in templo, sed nostram naturam in se assumpsit, quemadmodum nos ab Adam carnem accepimus. Illius autem caro aliena est & semper fuit ab omni peccato. Si Christus in corpore tantum ut in templo habuisset diuinitatem inhabitantem, nō possemus dicere Christum fratrem nostrum. Vbi igitur spes nostra? Oportebat liberatorem nostrum esse utriusq; naturæ participem, ut partim nos attingeret, partim deum quoq; ut sic deo patri sua dignitate per omnia sit æqualis, & idoneus per quem reconciliemur patri.

Et uidimus gloriam eius gloriam quasi unigeniti, à patre, plenū gratiæ & ueritatis.

Cum in terris mortale corpus circumferret uerbum & sermo dei, non carebat tunc quoq; diuina maiestate. Nos enim qui familiariter cum eo uiuimus, utriusq; rei testes sumus. Vidimus esurientem, sitientem, dormientē, flentem, afflictum, morientem, audiuius humana uoce loquentem, contrectauimus eum manibus nostris, atq; omnibus argumentis uerum hominē comperimus. Sed idem quoq; uidimus diuinam illius gloriam, planē dignam unigenito filio dei, quanta nec angelorum cuiquam, nec prophetarum ulli, nec patriarchis unquam exhibita est, sed qua deus pater unicum filium suū honestare uoluit. Hanc autem gloriam uidimus in ædendis miraculis, in promenda cœlesti do-

Math. 1. c.

Luce 2. d

crina, in uisione montis Tabor, quando transfiguratus est corā oculis nostris, cum etiā eadem uox paterna cœlitus delapsa, filium unice charum professā est, quemadmodum idem pater in baptismo uoce sua signoq; columbæ filium illustrauit, ac rursus ante mortem rogatus à filio ut se clarificaret ea claritate et gloria quam habuisset ante mundum cōditum, uoce cœlitus demissa filium agnouit, Et clarificauit, inquit, & clarificabo. Deniq; uidimus in resurrectione, cum iam rediuiuus nobis corpus palpabile quidem sed nullis malis obnoxium exhiberet, cum nobis spectantibus eueheretur in cœlum. Nec his tantum rebus emicuit nobis illius gloria, uerum etiam mors ipsa diuinæ uirtutis habebat argumenta, cum uelum templi scinderetur, terra tremere, saxa rumpere, cœtem exhiberet mundo, dum protinus à ualido clamore animam exhalaret, ueluti sponte, non defectione uirium animam deponens. Hac morte tam admirabili glorificauit eum pater, adeo ut & latro supplicij socius & Centurio agnoscerent filiū dei. Et quanquam in terris uersans, cum nostræ salutis negotium ageret, maluit nobis modestiæ mansuetudinis & obedientiæ exemplum exhibere, quàm suam ostentare magnitudinem: tamen omnis illius oratio, omnia facta, gestus etiā ipse ac uultus, declarabant illum esse plenum omnibus diuinis dotibus, plenū æterna & irrefragabili ueritate. Nā tamen deus alijs quocq; sanctis hominibus largas gratiæ suæ ac ueritatis dotes impartiat, tamē in hunc uelut in unicum filium, totum cœlestium donorum fontem transfuderat, ut in uno esset quod omnibus sufficeret. Ac talis nobis usq; ad ascensionem conspectus est.

Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens: Hic erat quem dixi, Qui post me uenturus est, ante me factus est, quia prior me erat.

Prosequitur consequēter Euangelista, quomodo primum innotuerit mundo, cum antea ne à fratribus quidē suis aliud esse crederetur quàm homo. Uoluit enim paulatim innotescere, ne res tam noua fidem inter homines non inueniret, si repente fuisset exorta. Ac multa quidem præcesserant, quæ poterant animos mortalium ad credulitatem aliquo modo præparare, prophetarum auctoritas, legis umbræ, angelorum in natiuitate concentus, prophetarum auctoritas, magorū religio, turbatus ad noui regis famam rex Herodes cum tota Hierosolyma, Simeonis & Annæ prophetiæ, deniq; quædā præter humanæ naturæ modum ab eo gesta, quæ mater & Ioseph apud se mirabantur quid sibi uellent: tamen cum adesset tempus quo iam ab æterno destinatum erat palam aggredi negotium prædicandi regni cœlorum, uisum est, ut diximus, ad tempus & Ioannis testimonio commendari, non quod egeret hominis testimonio, sed quod sic expediret, uel ad inuitandam Iudæorum credulitatē, quorum nemo non sentiebat magnifice de Ioanne, uel ad impiorum incredulitatem corrigendam, cum nec illi de Christo testificanti crederent, cui tantum alioqui tribuebant, ut eum suspicarentur esse Messiam natum, oraculis promissum liberandæ genti Israeliticæ. Quum igitur Ioannes multos iam discipulos collegisset, plurimos quotidie baptizaret, summæq; auctoritate floreret apud omnes, prædicans instare regnum dei, de Iesu uero malignior esset hominum opinio, palam apud multitudinem inculcat ac repetit, quod sapius de illo fuerat testificatus, ac iuxta uaticinium Isaïæ, quod prædixerat ipsum fore uocem clamantis

dei patris: hæc sunt recondita diuinæ mentis consilia, quibus illi uisum est ex deo facere hominem, & ex hominibus quodam modo facere deos, summa misere infimis, & infima ad summa subuehere. Hæc nulli ueterum ad plenum aperuit, quanquam illis aliquando per angelos, per somnia, per uisiones, quaedam suæ lucis scintillas aperuit. Nam deum ut est, nemo mortalium quamlibet magnus uidit unquam, nisi per enigmata. Et quanquam Mosi, patriarchis, & prophetis aliquam suorum arcanorum portionem quadamtenus patefecit, tamen hanc gratiæ & ueritatis plenitudinem solus unigenitus filius accepit, qui sic ad nos descendit factus homo, ut per diuinam naturam semper sit in sinu dei patris: ille nobis quod alijs per partes, quod per inuolucra, & ueluti per somnium utcunq; significatum erat, crassius & explanatius absq; inuolucris enarrauit quicquid pertinebat ad æternam salutem consequendam. Sequitur autem aliud testimoniū Ioannis, ordine secundum, quod Christo præbuit. Voluit enim Euangelista uariâ testimoniâ præmittere, antequam opera Christi nobis recenseret. Per illa enim testimoniâ principio cœpit innotescere Christus et populo reuelari.

C Et hoc est testimoniū Ioannis, quando miserunt Indæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, Quia non sum ego Christus.

Quum aliquoties priuatim Ioannes ornasset Christū testimonio suo, nunc iterum sed palam qualis esset declarauit. Integri famuli fungēs officio, qui nec domini sui gloriam Iudæis deferētibus usurparet, nec illū fraudaret sua, quanq; non ignorabat eā rem sibi non solum authoritatis hæcenus possessæ iacturam, sed etiam grauem apud Iudæos inuidiam allaturam, qui maluissent Ioanni hoc honoris deferre, cuius etiam natiuitas fuerat apud Iudæos celebris, qui generis nobilitate commendabatur; nam sacerdotis erat filius, qui nouitate uictus, qui pilis camelorum, qui solitudine, qui baptismo, qui discipulorum frequentia, plebis admirationem in se prouocarat, quum Christus ob humilitatem generis, ob uitam ac uestitum à populo nihil differentem id temporis adhuc contemneretur. Quum igitur superbis pharisæis nō placeret humilis ille Christus, & ob hoc ipsum cœpissent subinuidere Ioanni, quod de Christo bene prædicaret, honestissimam legationem subornauerunt, à Hierosolyma missis sacerdotibus & leuitis, ad offerendum ei summam dignitatem, cupientes eum de se testantem, Messiam se esse in lege ac prophetis promissum. Tunc ergo confirmauit id quod sæpe de Christo asseruerat: Si altero testimonio non creditis, & ueritatis à me confictum esse testimoniū, cuius multos testes producere poterō in medium adferam. Certum igitur est principes Iudæorum inito consilio inter se deliberasse, quisnam ille Ioannes esset: num esset Christus? Et uoluisse in suum collegium cooptare, utpote leuitici generis hominem, imò & sacerdotis. Ea tempestate erat uulgatissimus rumor de aduentu Christi, iam iam appeteret tempus illud. Erant enim impletæ hebdomadæ Danielis: erat ablatum sceptrum de Iuda, & omnia consonabant, in foribus esse Christum, & id ipsum Ioannes prædicabat. Ea propter Iudæi inito consilio cogitabant, nū ipsemet Christus esset, & uoluerūt in suas partes eum trahere, cum esset plausibilis populo. Sed si habuissent eum pro Christo uere, utiq; debebant non missis nuncijs hoc discere, sed ipsū uenire. Idem agunt quod Herodes, qui magos misit ad querendum

dum Iudæorum regem. Semper suspecta sunt illa ministeria, quæ tepido pectore progrediuntur. Non unum & alterum miserunt, sed iustum numerum sacerdotum & leuitarum. Magna hac legatione factum est dispensatione diuina, ut Iudæi postea cum Christo non acciperent, minus essent excusabiles. Sciscitantur ergo à Ioanne quisnam sit. Videmus principio blande agere sacerdotes cum Ioanne, ubi autem non successisset ex eorum sententia, cœpere seuerius agere. Quasi dicerent: Quæ dignitas tua? Videmus uitam tuam, sanctimoniam raram, longe secus doces quàm cæteri sacerdotes: cupimus scire quid sis, ut alij sacerdotes te digno honore prosequantur. Erant qui sperabant futurum ut Ioannes etiam si Christus non esset, tamen nomen tam honorificum ultrò delatum agnosceret. Sciebant ipsi addictissima gloriæ mancipia, pestem hanc etiam sanctissimis uiris insidiari, non ignorabant quantus fuisset orbis applausus, si Ioannes Messiam nomen agnouisset, quod illi iam ultrò bona pars Iudæorum tribuebat. Si agnouisset apud populum, habebant quo Christum ob humilitatem exosum excluderent: si non agnouisset, habebant paratam calumniam. Ioannes autem non ignarus quod hæc odio Christi percontarentur, non statim aperit suam de illo opinionem, sed falsam de se suspicionem, quæ Christi gloriæ poterat apud plebem officere, repulit, ac forti animo contempta falsi nominis gloria, confessus est se non esse Christum, qui multis uidebatur esse. Nec inficiatus est esse se id quod erat, paratus indicare quis esset ille cui nominis huius gloria debebatur, in quorum altero erat opinionis propriæ iactura, in altero pharisaicæ illius periculum. At uir integritatis incorruptæ, utroque contempto, palam fassus est, non se esse Messiam prophetarum oraculis & Mosi uoce promissum, haudquaquam negans iam adesse Messiam, sed non sum ego, inquiens, significat hoc cognominis alteri potiori deberi, qui tamen illorum opinione contemptior habebatur.

Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non.

Hoc igitur gradu frustrati pergunt sciscitari, Si quod summum est, quodque plerique tibi tribuunt, non es, quum præter auctoritatem scribarum & pharisaeorum uisurpes nouam auctoritatem & populum in admirationem tuam rapias, non sine iactura publicæ auctoritatis sacerdotum & pharisaeorum, certe debes esse quispiam Messiam proximis. Legimus autem in Malachia propheta: Priusquam ueniat Messias uenturum Eliam Thesbitem, qui restituet omnia. Num igitur ille Elias es tu? Ioannes negabat se Eliam esse. Non quod non esset aliquo modo Elias, qui spiritu Eliæ præcursor erat Christi, sed quod non esset ille Elias Thesbites, igneo curru raptus in aëra, quem in hoc seruari credebant multi, ut præcursor sit secundi aduentus Christi. Legerant illi prophetiam, sed non intellexerant, nec erant digni qui mysterium hoc discerent, quod animo maligno sciscitarentur. Quoniam autem sciebant Mosen promississe prophetam quemdam exoriturum à gente Iudaica, quem audiri iusserat, nec ignorabāt quidam hunc prophetam fore Messiam ipsum, ad hæc nonnulli iactabant aliquem e uentis prophetis reuixisse, atque hunc esse Ioannem suspicabantur, rogabant, num esset ille propheta promissus à Mose, aut aliquis denique e numero prophetarum, qui rediituis sibi sumeret eam auctoritatem. Ille ingenue fassus est, se nihil esse tale, quale multi suspicabantur.

Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his qui miserunt

contatio, nostram credulitatem confirmauit.

Et interrogauerunt eum, & dixerunt: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua, medius autem uestrum stetit quem uos nescitis.

D

Matth. 3. c

Marci 1. b

Luca 3. c

Acto. 1. 2. 2. d

11. c. 19. d

Quandoquidem Ioannem in sententiam suam pertrahere nequibant blanditijs, nunc seueritate nituntur, quasi increpantes illum, qua nam auctoritate baptizaret, cum id sibi non concessum esset à summis sacerdotibus, quasi nihil agere deberet nisi ab illis cōcessum. Decebat, inquiunt, ut ordinaria auctoritate hoc faceres, quam planè uideris contemnere; ut appareat accessisse eos, non ut meliores fierent exhortatione illius, sed ut calumniæ occasionem perquirerent. Quid igitur, inquiunt, sumis tibi ius baptizandi populum, si neque Christus es, quem uaticinia docent aboliturum peccata populi sui, nec Elias Messiaë præcursor, nec eximius ille propheta, de quo Moses? Ad hanc calumniam Ioannes mansuete respondet, sed ita ut libere & suam humilitatem agnosceret, & Christi dignitatem profiteretur. Meus, inquit, baptismus talis est qualis est mea prædicatio. Nam quemadmodum prædicatio mea perfecta non est, sed tantum præparans animos Euangelicæ philosophiæ: sic baptismus meus qui tantum aqua constat, non abluuit sordes mentium, sed imagine quadam ueritatis baptismi præparat rudes, ut superioris uitæ poenitentia præparati, capaces sint eius gratiæ, qua Messias per spiritum suum semel abluet omnes peccatorum sordes omnium qui crediderint ipsius cœlesti doctrinæ. Non loquitur magnifice Ioannes de suo ministerio, ut nos quoque recte sentiamus de nostro. Quatenus per nos agitur baptismus, sit quasi in aqua, siue sacramenta exhibeamus siue alia. Non tamen interim negatur comitari uirtutem spiritus sancti, sed non esse alligatam elemento. Nos uerba ministramus, uel etiam elementa, siue aqua sit siue panis dominicus; ut autem illa efficaciam quandam habeant, id non erit à nobis præstolandum, sed à Christo. Ea solius Christi dignitas, diuinitas, & spensatores mysteriorum dei solum sumus, intra hos limites nos contineamus. Addit quoque Ioannes, Is uero Christus de quo quæritis, iam non procul abest, sed nunc quoque stat in hac populi multitudine, & tanquam unus è numero populi uersatur in medio uestrum. Et ob id à uobis negligitur uel ignoratur, quod iuxta mundi æstimationem humilis est & obscurus, nulla pompa earum rerum sese uenditans, ex quibus mundi cultores æstiment hominem. Nondum illi uisum est exerere uirtutem ac magnitudinem suam, sed re ipsa longe alius est quam uidetur.

Ipse est qui post me uenturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut soluam eius corrigiam calciamenti.

Ego qui populi iudicio & uobis sum uisus esse aliquid magni, ad illius sublimitatem nihil sum. Is ipse est de quo dixeram, quod me posterior hominum opinione, dignitate anteuertisset. Cuius dignitati adeo non sum æquandus, ut ipse me iudicem indignum, qui apud illum infimi mancipij fungar officio, uel corrigiam calciamentorum illius soluturus. Hoc ergo Ioannes agit, ut omnes inuestigent Christum, & agnoscant non se sed Christum, cui non inuidet, nec æmulatur. Neminè ergo pudeat suæ paruitatis, quoties gloriæ Christi aliquid accedit, uel charitas id postulat. Nemo se magis poterit infamare, quam indignis se laudibus, dum plus de se sentit quam par est. Hac quoque sententia quantumuis simplici, primo confitetur aliquid Christum esse supra hominem. Ho-

mo certe dignus est, qui homini seruiat, quia ad mutua officia conditi sumus. Deinde omnem gloriam operum nostrorum damnat, cum confitetur se indignum qui seruiat. Postremo phariseorum superbiam reprehendit. Quasi dicat, Vos sapientes & sancti eum contemnitis quæ ego uobis prædico: uos regnum & sacerdotium tenetis, cum ille sit à deo ordinatus rex & sacerdos.

Hæc in Bethabara facta sunt trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

Tam magnificentum testimonium Ioannes præbuit de Christo phariseis, sacerdotibus, ac leuitis, teste copiosa multitudine populi, id quæ in loco celebri, nimirum in Bethabara, qui locus haud ita procul abest ab Hierosolymis trans Iordanem, propter aquæ paratam copiam, ac desertum proximū, Baptizans & penitentia præconi accommodus, quod quotidie solita est magna uis hominum e diuersis Iudææ regionibus confluere, doctrinae gratia & baptismi, nam illic Ioannes & prædicabat & baptizabat. Hactenus ergo de secundo testimonio, nunc sequitur tertium.

Altera die uidit Ioannes Iesum uenientem ad se, & ait: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi.

Quum iam e populo multi studiose quærent, quis nam esset ille tantus, cuius dignitati in tantum cederet Ioannes, omnium iudicio summus uir habitus, Iesus postridie redit eodem, nec iam se continuit admixtus turbæ, sed seorsum ipsum adiit Ioannem, partim officij gratia, partim ut suum baptismum agnosceret, sed multo maxime ut illi præberet occasionem clarius etiam apud populum testificandi de Christo, ne adhuc ignotus hoc animo uideretur adire Ioannem quo cæteri, nimirum baptizandus aut confitendi peccati gratia. Nam quod ab eo baptizatus est, id humilitatis exemplo datum est. Cæterum ne quis suspicaretur illi fuisse opus baptismi, aut aliquid in eo fuisse maculae, Iordanis quod unda abluerent, semotus à turba Ioannem adiit. Is admonitus spiritu quid esset agendum, conspicatus Iesum uenientem ad se, uersus ad populum, digito demonstrat illis Iesum, ut iam de facie quoque notum mirari atque amare confiterent, & illum potius quam se sequerentur, illius ambirent baptismum potius quam suum. Nam animi puritas spiritu sancto pleni, in ipsis etiam Iesu oculis ipsoque uultu relucebat, ipso incessu, totoque corporis habitu semet exerebat, quemadmodum ex aduerso furiosus ac uitij obrutus animus proditur ipsa corporis imagine. Ecce, inquit, Hic est ille quem plerique uestrum uiderunt à me baptizari, cum illum non purificari Iordanis, sed ipse potius Iordanis aqua sanctificari. Est enim solus omnium ab omni peccatorum labe immunis. Hic enim uictimam destinauit, ad expianda peccata totius mundi, omnium uitiorum genere inquinati. Qui autem peccatum tollit adfert iustitiam, idem & mortem tollit uitæque concedit. Hic est quem agnus ille Mosaicus adumbrabat, cuius innoxius cruor filios Israel ab angeli uindice gladio tutos reddidit. Ipse adeo non obnoxius ulli peccato, ut unus idoneus sit uniuersa totius orbis qualiacunque peccata tollere: adeo charus deo, ut solus illius iram possit uertere in misericordiam: adeo mansuetus & amans salutis humanæ, ut paratus sit pro peccatis omnium poenas dependere, & in se recipere mala nostra, ut nobis cõferat sua bona. Iam etiam Ioannes aliquo modo derogat suo baptismi. Aqua enim non abluunt, sed sanguis Christi. Certe quantum ad dignitatem attinet, sufficit is sanguis purificare

care totum mundum à peccatis : sed ut conscientia purificentur opus est spiritu sancto, qui operetur in nobis fidem illam, ut credamus nos sanguine Christi ablutos. Et quotquot saluantur à peccatis suis isto sanguine purificantur.

Hic est de quo dixi, Post me uenit uir, qui ante me factus est, quia prior me erat : & ego nesciebam eum : sed ut manifestetur in Israel, propterea ueni ego in aqua baptizans.

Hic est ille de quo prius semel atque iterum ceu per ænigma dixi, esse quendam post me uenturum, qui dignitate & uirtute prauertens me reliquisset à tergo : propterea quod quanquam uideretur natiuitate humana & tempore prædicandi denique & autoritate posterior, tamē diuinis dotibus me longe prior est. At nec ipse prius quantus esset aut quid esset certo noueram. Tantus enim est, ut ego, quem uos suspicitis, nullo modo sim ad hunc conferendus. Ille dominus est & author totius salutis, ego nihil aliud sum quam famulus illius ac præcursor, nec baptismus meus nec prædicatio mea quicquam est aliud, quam præludium cœlestis doctrinæ & uirtutis, quam ille uobis est allaturus. Nec in aliud annunciarē instare regnum cœlorum, & aqua uos tingerem, ut ille ueniens, quam uobis missus sum, nisi ut prædicarem poenitentiam superiorum delictorum, uestris animis iam rudimētis huiusmodi præparatis, facilius innotesceret, postea quam mihi quoque certis indicijs esset à patre monstratus. Versabatur humilis, nec ulla re insignis inter homines, uelut unus quispiam è populo multitudinē admixtus uenit ad baptismum, ueluti peccatis obnoxius. Et ut testimonium feram mouet me opus iniunctum, ut manifestetur Israeli suus redemptor, ob hanc causam ueni ut baptizarem aqua. Si quis uero ultra sciscitetur, unde habeat Ioannes quod sciat Christum tantum esse coram deo, sequitur :

Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens : Quia uidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & mansit super eum. Et ego nesciebam eum.

Non ex habitu corporis, nec humana coniectura certum quicui cognoscere, quod is esset unicus filius dei, & agnus ille purissimus, per fidem aboliturus omnia peccata mundi : sed ex insigni symbolo cœlitus didici hunc esse, cui ego præcursor essem datus. Quod autem esset hoc signum, Ioannes palam aperuit apud multitudinem. Cum, inquit, ipse humilitatis exemplum uolens mundo exhibere, peccatorum turbæ mixtus ueniret baptizandus, pater illum cœlesti signo honestauit. Nam ipse uidi spiritum sanctum columbæ specie descendentem in illius uerticem, ac manentem super eum. Ante id tempus non certo noueram personam eius, cuius essem ego præcursor. Cumque hoc cernerem, præsigno datum fuit mihi, ut illi testimonium perhiberem, tanquam huiusmodi signum tandem certior redditus, ut tacere eius testimonium clarum non debuissim ultra. Summam autem simplicitatem atque charitatē uenerat Christus non tam docturus quam largiturus suis. Id columbæ simulachrum indicauit, quod animali nihil & simplicius est & erga pullos suos affectus ardentioris. Indicatur præterea eo fuit Iesum hunc fuisse illum, in cuius persona apud Isaiam legitur : Spiritus domini dei super me, eo quod unxerit me, ad annunciandum mansuetis &c.

Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem uideatis spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptis-

E

Matth. 3. d

Marci 1. 6

Luce 3. d

zant in spiritu sancto. Et ego uidi, & testimonium perhibui, quia hic est filius dei.

Nondum uenerat tempus quo palam uellet eum innotescere populo, Igitur qui scirem afflatu patris iam adesse Messiam, ne quid erroris esset in periculis, aut ne quid ambiguitatis haberet humana coniectura, is cuius iussu suscepit ministerium uos baptizandi aqua, certo signo me docuit, cuius indicio cognoscerem quis esset ille, qui uos efficaci baptismo baptizaturus esset, ac per spiritum sanctum, quo plenus est, conferret gratis omnibus sibi fidentibus remissionem omnium peccatorum. Etenim prius quam ad me ueniret baptizandus Iesus, pater coelestis sic me pramonuerat: Hoc indicio certo cognosces filium meum, Inter multos quos aqua tinxeris, super quem uideris specie columbae descendentem ac manentem spiritum sanctum, eum esse scito, cui potestas est baptizandi spiritu sancto. Nam homo tingit aqua, solus ille coelesti uirtute sublati peccatis confert iustitiam. Hoc signum quemadmodum promiserat pater, uidi in baptizato, & ideo mihi uidere datum est, ut meo preconio uos quoque cognosceretis uestrae salutis authorem. Proinde quemadmodum & ante testificatus sum, ita & nunc palam testificor hunc esse filium dei, unde uelut coelesti fonte uobis petenda sunt omnia quae pertinent ad iustitiam ac eternam felicitatem. Non enim patiar uos de me maiora suspicari quam promereor, nec hunc ignorari quem nouisse salus est. Huiusmodi testimonijs Ioannes frequenter Iesum adhuc ignotum populo commendabat, suamque autoritatem in illum uelut in maiorem transferebat, ut posthac se deserto illius adhereret ministerio. Illud interim agente diuina prouidentia, ut nobis in utroque pararetur salutare exemplum Euangelici doctoris. Siquidem Ioannes nec tantae gloriae ultro se offerentis lenocinio corruptus est, ut alienam laudem sibi uindicaret, nec sacerdotum ac pharisaeorum inuidia deterritus, quorum ambitiosus liuor & ambitio liuida non ferebat quenquam praeter se magnificari, tacuit Christi gloriam, nec spectauit quid sibi conduceret, sed quid expediret populo. Doces nimirum Euangelij praconem non solum aduersus luxum & auaritiam, uerum etiam aduersus omnem ambitionem usque ad uitae contemptum animum confirmatum & infractum habere oportere. Porro Iesus Christus, dum uelut unus e plebe uenit ad baptismum, dum inter Ioannis discipulos se uelut discipulum gerit illius, quum esset omnium dominus, nos docuit per summam animi deiectionem ac modestiam perueniri ad ueram gloriam: neque quenquam esse magistrum ad id munus prorumpere, nisi fuerit omnibus modis spectatus ac probatus, atque huc ueluti diuinitus ascitus.

Altera die iterum stabat Ioannes, & ex discipulis eius duo. Et respiciens Iesum ambulans, dixit: Ecce agnus dei.

Quo magis eluceat eximia Ioannis integritas, non sat habuit populi studium a se diuertisse in Christum, suos etiam discipulos quos habebat peculiare, a se alienatos Christo studet tradere. Nam postridie quam haec quae modo narrauimus acta sunt apud populum, rursus stabat Ioannes, & aderant magistro discipuli duo. Iesus autem illinc haud procul inambulabat, idque factum est non sine mystica significatione rei. Nam legis Mosaicae typum gerebat Ioannes, Christus Euangelicae professionis erat author. Lex igitur quae iam ad summam lianam peruenerat stabat, uelut non progressura longius, sed mox cessatura quoad ad cere-

ad ceremonias, & Christo uenienti cessura, suosque discipulos illi traditura, sed interim constanter testificans de Christo, ac synagogam ueluti tradens uero sp̄so, ut illius sit ecclesia. Christus obambulat, ueluti semper in maius progressus, & undique cœlestis doctrinæ discipulos colligens. Ioannes igitur stans, hoc est solide in suo perseverans officio, & omnia dextre agens, quum intuitus esset Iesum ambulantem, nec ignarus sitire eum salutem humani generis, ac discipulos captare idoneos sublimi doctrinæ, uersus ad suos discipulos qui præceptoris astabant, ut eos Iesu meliori se magistro traderet, digito demonstrans ambulantem, Ecce, inquit, ille est agnus dei, de quo iam toties testificatus sum, qui solus tollit omnia totius mundi peccata. Huic ego uos præparaui. Quisquis uerum & efficacem baptismum desyderat, quisquis amat ueram innocentiam, quisquis ueram ac perfectam salutem desyderat, huius magisterio se tradat oportet. Quoniam qui ueri cultores fuerant legis Mosaicæ, legis ipsius testimonio profecerunt ad Euangelicam perfectionem, hoc est ex fide in fidem: quum pharisæi peruerso legis studio persequuti sint eum, quem lex illis commendarat.

Et audierunt eum duo discipuli loquentem, & sequuti sunt Iesum. Ioannis discipuli non responsant suo magistro, sed fidem habentes illius sermoni, relicto Ioanne Euangelij præcursore, sequuti sunt Iesum Euangelicæ salutis auctorem. Sequebantur autem taciti, flagrantés amore sublimioris doctrine, cuius spem ex Ioannis testimonio conceperant, sed interpellare non audent eum quo cum nulla intercesserat familiaritas. Iesus igitur intelligens quod animo sequerentur, ut declararet quàm esset obuius ijs, qui synceris animis sicuti Euangelicam doctrinam, non expectata interpellatione ultrò subleuat et inuitat illorum uerecundiam, sic dicente litera:

Conuersus Iesus, & uidens eos sequentes se, dicit eis: Quid queritis? F
ris: Qui dixerunt ei: Rabbi, quod dicitur interpretatum, magister, ubi habitas? Dicit eis: Venite et uidete. Venerunt et uiderunt ubi maneret, & apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima.

Conspicatus dominus sequentes se, non quod ignoraret quem quererent uel sequerentur aut quo animo, sed ut alijs illorum affectum Euangelio dignum ostenderet, compellat eos, rogatque quid sibi uellent, ut horum nota cupiditas, et aliorum animos accenderet. At illi ipso statim nomine professi, se teneri desyderio discendi, Rabbi, inquit, ubi habitas? Nimirum magistrum appellantur, discipulos illius profitentur, & dum domicilium illius ubi sit percontantur, declarant se familiarius secretiora quædam uelle discere quæ fortassis in publico dicturus non esset. Hic dominus Iesus delectatus illorum pio discendi ardore, non excusat instantem noctem, non iubet eos redire postridie, nec sitignis indicat domum suam, si quando per oportunitatem se uelint inuisere, sed comiter blandèque ad domesticum colloquium inuitat eos, Venite, inquit, & uidete. Senserat enim illorum ardenti desyderio moram omnem molestam futuram fuisse. Illi læti tam optato responso uenerunt, ac non solum uiderunt domicilium ubi habitabat Iesus, sed eo die commorati sunt apud illum, sacroque eius colloquio sic inflammati sunt, ut non solum ipsi sibi gratularentur, sed alios etiam ad huius felicitatis consortium inuitarent. Porro quum adirent domicilium Iesu, erat hora diei ferme decima, iam sole uergente ad occasum. Nullum enim tempus, nullus locus non oportunus est discendis ijs quæ spectant ad æternam salutem, semperque debet esse parata doctoris Euangelici copia; talem enim

ut Andreas, hi non sunt contenti sira salute, sed inflammanur ut cupiāt etiam plurimorum salutem. Multa in Iesu laudem Ioannes iam dixerat, totus mūdus suspensus erat ad Christi expectationem, Danielis hebdomadæ impletæ credebatur. Facile offensus fuisset aliquis in Christi persona humili, & nullo famulatio utenti, qualia Iudæorum pleriq; spectabant, qui optabant talem regem Messiam, qui Salomonem superaret.

In crastinum uoluit exire in Galilæam, & inuenit Philippum. Et dixit ei Iesus: Sequere me. Erat autem Philippus à Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri.

Postridie instituit Iesus proficisci in Galilæam, qua non alia Iudææ regio eacōtemprior, quod ex ea nemo magni nominis unquam fuisset exortus. Circa quam tamē primum exoriturā Euangelij lucem Isaia uaticinium prædixerat: idē sibi uisum est diuino consilio, ut ab humilibus, indoctis & rudibus uirtis, & ē sterili cōtemptraq; regione oriundis, suā auspicaretur ecclesiam. Nam & Petrus atq; Andreas, qui non uocati sequuti sunt Christum, Galilæi erant. Quod autem frater fratrem attraxerat ad Iesum, felix erat ecclesiæ nascētis auspiciū, quæ constat fraterna charitate concordiaq; mutua. Iesus igitur abiturus in Galilæā, comitatus iam duobus Galilæis discipulis, quo ueniret aliquanto comitator, asciscit & alios duos eiusdem gentis & nobilitatis. Repperit autem Iesus Philippum quendam, ortum ē ciuitate Galilææ Bethsaida, ea est iuxta lacum Genesareth patria Andreæ & Simonis, cui nomen additum est Petri. Iam & patriæ consortium omen habet Euangelicæ concordia, & omnium gentium diuersitates in unam ecclesiam uelut in unam ciuitatem coituras. Vis debatur forte obuius factus Philippus, sed res tota gerebatur diuina prouidentia, cui iam ab æterno decretum erat, quos uellet ecclesiæ primores esse. Itaq; ob uiuo Philippo, dixit Iesus: Sequere me. Ille nihil contatus, ilico sequutus est Iesum, de quo iā multa & Ioannis testimonio & populari rumore cognouerat. Efficax erat sermo loquentis, & suapte sponte promptus erat audientis animus.

Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in Gelege & prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni & uide.

Quemadmodum Andreas Simonem fratrem attraxerat, ita Philippus iam lætus magisterio Iesu, quum reperisset Nathanaelem, quem nouerat incredibili desyderio teneri Messia uenturi, & ob hoc in legis & prophetarum oraculis diligentissime obseruare solitum, unde & quando esset uenturus, ut illi gaudium quo totus gestiebat communicaret, ait: Inuenimus uerū illum Messiam, de quo Moses ille scripsit, quod esset exoriturus propheta ex Israelitico genere, & huius nomine notior erat quàm Mariæ matris. Deinde Nazareus uulgo dicebatur, non quod illic natus esset, quum Bethleem illius cunabulis sit consecrata, sed quod illic à puero cum parentibus uersatus sit & educatus. Hoc ubi audiuit Nathanael, fauet quidem latissimo nuncio, sed offenditur scrupulo, quem illi tacitus mouebat prophetia, quæ palam promittit Christum exorturum ē Bethleem. Cupiens certius edoceri, dicit Philippo: Num à Nazareth potest aliquid boni exoriri, cuius non meminerunt prophetarum oracula? Hunc nodum quum ipse Philippus rudis adhuc & præter simplicem fidem nihil ha-

Gen. 49. b

Deut. 18. c

Isaia 40. c

45. b

Ierc. 23. d

Ezech. 34. f. 37. f

Dan. 9. f

bens explicare non posset, inuitat eum ad fontem ipsum, non dubitans, quia uiso & audito Iesu, statim sit crediturus. Si dubitas, inquit, mihi credere, ueni ipse & uide, interimq; differ iudicium de scripturis, non plane conuenientibus, ut uideatur, fortassis intelliges suo tempore eas non contradicere, ut simul Christus & Nazareus uocetur, & natus intelligatur in Bethleem ex semine Dauid secundum carnem. Sic non ilico definiendum est fideli iuxta scripturarum intellectionem.

Vidit Iesus Nathanael uenientem ad se, & dicit de eo: Ecce uere Israelita in quo dolus non est.

Iesus nondum miraculis auditis inclaruerat, ut cognitione rerum occultarum subindicaret diuinam uirtutem suam, conspicatus Nathanaelem uenientem ad se, priusquam esset per Philippum de illo admonitus, aut antequam esset ab illo appellatus, uersus ad suos discipulos demonstrato Nathanaele, Ecce, inquit, uere Israelita, in quo dolus non est. His uerbis Iesus simul & collaudauit Nathanaelis simplicem credulitatem, & syncerum cognoscendi studium, cum hi qui falso se iactabant Israelitas calumniandi studio soleant esse curiosi. Suspiciantur quidam hunc Nathanaelem eundem esse qui & Stephanus, non quidem ad apostolatam electus, sed tamen eruditione & pietate pra multis insignis, unde & spiritu sancto plenus dictus est, ut mutato nomine Hebraico in Graecum dictus sit Stephanus ob coronam martyrii primam. Sed nihil de hoc certi asserere oportet, nisi quod uerus & germanus Israelita fuerit, & dignus discipulatu Christi, & multorum nominum, quorum unum donum dei quod est Nathanael.

Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus uocaret, cum esses sub ficu, uidi te. Respondit ei Nathanael, & ait ei: Rabbi, tu es filius dei, tu es rex Israel.

Nathanael intelligens Iesum his uerbis significare se non latere colloquium quod de ipso habuisset cum Philippo, & admirans unde hoc ad illius conscientiam permanisset; nam Iesum nihil adhuc suspicabatur esse quam hominem, Vnde, inquit, me nosti? Iesus autem euidentius etiam declarans, se non latere quantumuis occultas cogitationes, Priusquam, inquit, Philippus te uocaret, cum esses sub ficu, iam uideram te. Colloquium fuerat duorum, neque quisquam erat arbiter, qui potuisset renunciare. Locus expressus est, & in mysterio obiter notata est ficus, primae transgressionis conscientia, unde discedant oportet qui uolunt Christum agnoscere. Ex his indicijs palam erat, & totius colloquii argumentum Iesum non ignorasse, cuius tamen non refricat mentionem, ne uerecundo & simpliciter percontanti uideatur exprobrare incredulitatem. Hac simul atq; audiuit Nathanael, cui persuasum erat soli deo esse perspicua cordium secreta, & homine maius esse quod audiret, nihil iam offensus scrupulo de loci natalis uocabulo, plena fide testimonium reddidit Christo, Rabbi, inquit, tu es ille filius dei, per quem pater decreuit liberare populum suum, Tu es ille rex Israel, prophetarum uaticinijs olim promissus.

Respondit Iesus, et dixit ei: Quia dixi tibi, Vidi te sub ficu, credis, maius his uidebis. Et dicit ei: Amen dico uobis, uidebitis caelum apertum, & angelos dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.

Tam promptam & alacrem uiri fidem ac professionem, tamq; Euangelicam, libenter amplectens confirmat etiam Nathanaelis de se opinionem, & apertius iam

iam indicans diuinam naturam, ait: Ex hoc concepisti fidem, quod sim Messias ille promissus, & rex Israel, quia dixi, te mihi fuisse uisum, tum cum esses cum Philippo sub ficu, atq; ideo magnifice de me sentis: uidebis olim euidentiora signa, ex his crescet tua de me opinio. Moxq; Iesus conuersus & ad reliquos discipulos, quorum nullus adhuc de ipso pro dignitate sentiebat, ait: Illud habete pro certo, uidebitis aliquando coelos apertos, & angelos dei ascendentes ac descendentes super filium hominis. Hoc ænigmate dominus Iesus simplicem licet ac synceram suorum fidem, sed tamen rudem adhuc, & quæ procul abesset à perfecta cognitione sublimitatis Christi, excitabat ad expectationē maiorum miraculorum, & ex his cognitionem sublimiorum. Nam tametsi discipuli uelut per somnium arbitrabantur quiddam in Christo maius homine, tamen nondum ad plenum credebant in eo plenitudinem diuinitatis habitantem corporaliter. Philippus professus est eadem, quæ post Petrus professus est, sed quia non eodem animo, idcirco non audiuit nunc eadem quæ ille audiuit. Propterea quæ ceu magnifico titulo uolens honorificare Iesum, appellauit eum regem Israel, significat eum adhuc de regno terreno somniasse. Terrenum autem est & humile quiddam, regnum habere in mundo: sed longe sublimius est, regem esse totius orbis atq; etiam angelorum. Id innuit cum ait, angelos ueluti sedulos ministrros, obsequij studio sursum ac deorsum comeaturos super filium hominis. Quanquam autem discipuli sermonem hunc Iesu id temporis nondum intellexerant, tamen ceu semen recondidit eum in animos illorum, suo tempore progerminaturum. Post enim cognouerunt apostoli frequenter obsequijs angelos agnouisse regem omnium, quum Gabriel illius cōceptum nunciasset agnitum fuit, quando in natiuitate cecinisse Gloriam in excelsis deo, quum subinde apparentes Ioseph incolumitatem pueri procurarunt, quum post tentationem satana ministrarent illi, dum in agone sudanti solatium exhibent, dum in resurrectione frequenter apparent. Rursum quum omnibus spectantibus sublatus est in coelum, aderant angeli promissi reditus sponsores. Sed id tamen potissimum fiet quū uenturus est in nubibus, cum maiestate patris, cum uniuerso angelorum exercitu, iudicaturus uiuos & mortuos, ac traditurus regnum deo & patri.

CAPVT II.

In die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, & erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino, dicit mater Iesu ad eum: Vinū non habent.

Non diu commoratus est in Galilæa, quin ædito miraculo incipiebat declinare, non fuisse uanum Ioannis de se testimonium. Erat quidem Iesus notior in Galilæa quàm in cæteris Iudææ regionibus, sed tamen nihil adhuc præclari de illo sentiebant, cum fratrum etiam & cognatorum adhuc esset maligna de ipso opinio. Die igitur ab adita Galilæa tertio, celebrabantur nuptiæ in Cana, id est oppidū eius regionis. Ad has ob affinitatem uocata fuerat mater Iesu, atq; hac occasione uocatus est Iesus ipse unā cum quatuor discipulis, quos modo collegat. Porrò cum conuiuium incaluisset, ac deficiente uino pudore periclitaretur sponso, quod parum liberaliter apparasset nuptias, simulq; metus esset ne conuiuium redderetur parum hilare, sollicitis hac de causa conuuiis, mater Iesu Maria muliebri quadam sollicitudine, cupiens huic incommodo mederi, quum iam ex multis argumentis atq; etiam ex Ioannis testimonio non ignoraret uita

tutem filij sui, audet illum compellere, dicens: Fili, uinum non habet. Quod autem audet eum appellare, maternę erat authoritatis, quod nihil præscribit quid fieri uellet, reuerentię est erga filium. Hic uero discimus Christum suos non habere uelle ut angelos, sed benedictionem habendam statum matrimonialem propter institutum filiorum. Cibos & uinum non esse prohibita à deo, contra pharisęos, qui à conuiujs huiusmodi abhorruissent. Falsum docent, qui dicunt nuptijs mundum impleri, cœlibatu cœlos, quasi tam paruus futurus sit numerus electorum. Hilaritate modesta nõ offendamur, Christus exorditur gloriam in honesto conuiuio. Mater quoque Christi defectum & inopiã indicat eximiam filio, ut succurrat confundendis.

Et dicit ei Iesus: Quid mihi et tibi est mulier? nondum uenit hora mea.

Dominus Iesus iam aggressurus cœleste negotium Euangelij, cuius solum patrem authorem esse uolebat, non patitur ullam humanam authoritatem admisceri. Non enim in hoc gerebat miracula, ut suorum cognatorum affectibus seruiret, sed ut apud incredulam nationem signis corporalibus spirituali doctrinę fidem præstrueret. Durius itaque matri respondet, non quod hanc talem non unice diligeret, qui sic amabat uniuersum hominum genus, sed ut miraculorum authoritatem ab humanis affectibus assereret, ac diuinę uirtuti totam gloriam uindicaret. Itaque non abnegans matrem, sed ab huius negotij quod gerendum erat authoritate declarans alienam, respondit: Quid mihi tecum rei est mulier? Est mihi tempus præscriptum à patre, quando & quibus modis agere debeam negotium humanę salutis, id nondum uenit. Hactenus tua uoluntati me præbui morigerum, quod nunc restat ex arbitrio patris gerendum est, non ex humano præscripto. Alibi mater fuisti, posthac mihi nihil aliud eris quam mulier, quoties uersor in patris negotio. Huius glorię quoties erit seruicium, nihil opus erit tua interpellatione, ultrò faciam id quod res ipsa postulabit, habeo tempus à patre præscriptum. Sic & ante matrem admonuerat adhuc puer, quod in populo disputantem interpellasset. Sic rursus admonuit, quum apud populum concionantem euocari iussisset. Omnibus modis in inijtis uanam uideatur declinare uelle gloriam, quod ferè in omnibus uidetur obseruasse miraculis, ne gloriosulus uideatur. Alius cui uana gloria cordi est, multis uerbis suę glorię iactaret, & aureos montes polliceretur, Christus simulat, & cæteris ne scientibus hoc facit miraculum, ut cæteri uidentes cogitent, quis sit author tanti miraculi. Non absolute negat Christus, sed affectum reprimit nostra quærentem, significatque uoluntati patris committendũ esse quod petimus: & quia postea faciet quod fuerat postulatus, significat nõ se deserere, quanquã non mox exaudisse uideatur.

Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit uobis, facite. Erant autem ibi lapideę hydrię sex positę secundum purificationem Iudæorum, capientes singulę metretas binas uel ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua.

Sentiens dominus tempus adesse, quo suis innotesceret ministris, mandat, ut sex hydrias lapideas, quę illic stabant in eum usum, ut si quis iuxta Iudæorum consuetudinem lotionem se purgare uellet, haberet paratam aquę copiam, quod ea regio siticulosa nec ubiuis fontibus ac fluuijs irrigua sit, impleantur aqua. Nimirum & hoc faciebat ad miraculi fidem, quod earũ hydriarum solennis esset usus, nec alium liquorem unquam accepissent præterquã aqua. Quin

Quin & magnitudo uasorum faciebat ad miraculi fidem: nam singulae capiebant binos aut ternos cados, ut nec loco facile moueri possent. Aduertendum tamen hic, ut mater non indignatur, non desperat, sed confidit facturum quod petierat, lubet expectare. Et sicut mater expectat, iubetque audiri quicquid iusserit Christus: ita nos expectemus, & orationi instemus, cui & committamus animas nostras, qui obsequundat etiam cum negasse uideatur.

Et impleuerunt eas usque ad summum, & dicit eis Iesus: Haurite nunc, **B** et ferte architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustauit architriclinus aquam uinum factum, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, uocat sponsum architriclinus & dicit ei: Omnis homo primum, bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum uinum usque adhuc.

Paruere famuli, & ut iussi fuerant impleuerunt hydrias aqua usque ad summum. Id ubi factum esset, quo plures haberet miraculi testes, iussit ut hauriret ex hydrijs, & quod hausissent offerrent architriclino, qui conuiuio curando praefectus erat, & partim quia sobrius: nam cui cura mandata est apparatus, is ceteris bibentibus abstemius esse consueuit, partim saporum peritus, & palati iudicio callidus, maiore fide pronunciare poterat de uino quam ceteri conuiuae, quorum palata tam multo uino uideri poterant obsurduisse. Architriclinus autem simulatque gustasset uinum ex aqua factum, nec sciret unde esset haustum, suspicans errore ministrorum esse factum, quod tale uinum distulissent in extremum conuiuij, praeter aliorum morem, uocat ad se sponsum, discere cupiens qua nam occasione is error accidisset, ceteri, inquit, qui solenne conuiuium exhibent, initio conuiuij optimum quodque uinum apponunt, post ubi iam tenuenti minus dijudicant palato, & hauriunt intemperantius, apponunt id quod deterius est. Tu contra uinum hoc quo nullum adhuc appositum generosius est, seruasti usque ad finem conuiuij. Atque hac occasione rei gestae miraculum paulatim ad plures dimanauit, ac post re ex famulis perquisita, cognitum est non solum aquam uersam in uinum, sed etiam in uinum optimum. De hydrijs nullam suspitionem, quin soli aquae fuissent consecratae. Ministri aquam aquae addiderant usque ad summum, eodem ex eo quod infuderant haustum obtulerant architriclino sobrio. Sponsum agnoscit tale uinum apparatus non fuisse. Itum est ad summum non minus est quam quod ex quinque panibus quinque hominum milia parauit, uel quod mortuos suscitauit, & coelum ac terram ex nihilo condidit: ex eadem enim potentia omnia proficiscuntur. Euangelista autem nihil omittit quod pertineat ad magnificandum miraculum, ut prorsus suspitione carere ostendat. Non sic muratur panis in carnem Christi.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae, & manifestauit **C** gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

Ab hoc facto dominus Iesus auspicatus est in Cana Galilaeae miraculorum patratiōem, paulatim prolaturus mundo diuinae suae uirtutis argumenta. Nam primum hoc in re non perinde seria & priuatim gestum est, ac propemodum de Iesu, quod essent illi consanguinei propinquitate coniuncti. Atque hoc signum temporis non ita multis animaduersum est, sed post maiore cum fide res manauit ad plures. Interim tamen discipulorum fides qui aderant confirmata est de

Iesū, qui maiora pollicitus præstitit quod promiserat. Nec tamen hoc signum, quo ueluti prælusit ad cætera, fuit otiosum. Primum enim sua præsentia uoluit honestare nuptias, præsciū olim exorituros, qui eas ut spurcas damnarent, quum res sit deo gratissima honorabile connubium, & thorū immaculatus. Deinde ueluti typo quodam nobis adumbrauit Iesū, quod tum aggrediebatur. Iam enim tempus erat, ut pro insipida ac diluta legis Mosaicæ litera, bibere remus generosum illud uinū Euangelici spiritus, Christo uidelicet quod erat inefficax & inutile nobis uertente in melius. Lex em̄ Iudæis absq̄ Christo non solum insipida est, uerum etiam exitialis. Qui non crediderunt Euangelio ad huc bibunt aquam legis Mosaicæ. Qui crediderunt Christo, spiritualis doctrinæ musto feliciter ad uitæ cœlestis amorem incalescunt ac uegetantur. Nec id factum est priusquam Christus sibi iungeret ecclesiam sponsam suam. Aderat illic & mater Iesū, synagogæ typum gerens, cuius authoritas minuitur, admet tamen de uino, sed ipsa non præstat. Genuit tamen nobis eum qui mentes nostras sui spiritus mero lætificat.

Post hæc descendit Capharnaum, ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt non multis diebus.

Hoc signo Iesū in obscuro oppido inter cognatos uirtutis suæ declarationem auspiciatus, descendit Capernaum. Ea ciuitas est in eadem Galilæa gentium, iuxta lacum Genezareth, finitima Zabulon & Neptalim, propter opum affluentiam & loci amœnitatem; interpretatur enim, oppidum iucunditatis & gratum, luxu diffuens et superbiam tumens. Porro iuxta philosophiam Euangelicam quod altum est apud mundum, hoc abiectum est apud deum. Descendit unā mater eius fratres ac discipuli, atq̄ ibi commorati sunt dies per paucos, nec ullum miraculum est æditum. Verum hoc officij interim datū uidetur matris & cognatorum affectibus, quos iam circumferri diutius nolebat, nimirum aggressurus maiora, ne quæ gerebantur in gloriam patris cœlestis, hinc sibi quicquam uindicaret affectus humanus.

Et prope erat pascha Iudæorum, & ascendit Iesū Hierosolymam, & inuenit in templo uendentes boues & oues & columbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoq̄ & boues, & nummulariorum effudit æs, & mensas subuertit.

Hucusq̄ habemus ea quæ ad initium reuelationis Christi pertinent, quomodo reuelatus est à Ioanne, & quomodo congregauerit discipulos. Sequitur nunc de profectione prima, qua ascendit Hierosolymam. Cognatis igitur Capernaum relictis Iesū quærit tempus ac locum idoneum, palam declarandæ uirtutis & authoritatis suæ, quam à patre cœlesti non ab hominibus acceperat. Etenim iam instabat celeberrimus ille dies Iudæorū, qui dicitur pascha, quod Hebræis transitum sonat. Hunc quotannis celebrabant ob ueteris historiarum memoriam, quod maiores eorum incolumes fuissent à plaga primogenitorum ab angelo, & quod miraculose transissent ex Aegypto, petituri terram à deo promissam. Porro quod illi typo celebrabant hoc per Christum uere agebatur, nimirum ut homines per Euangelicam fidem relictis errorum tenebris, & uitiorum caligine, transferrentur ad innocentiam, ad lucem, ad immortalitatem. Quum igitur id temporis ingens esset Hierosolymis hominum frequentia, qui ad diem festum ex cunctis Syriæ regionibus confluxerant, Iesū eo se contulit, iam

iam ascendens ad patris negotium, qui Capernaum descenderat cognatis obsequens. Mox templum ingreditur, qui locus religionis causa à plurimis solet frequentari. Christus autem ueræ religionis erat magister. Quum autem esset ingressus templum, religioni & cultui diuino dicatum, offendit illic non templi sed fori speciem. Reperit enim illic permultos, qui in loco sacro sordidū atq; iniquum etiam quæstum exercerēt, & religionis occasionem uerterent in rapinam. Siquidem hospitiibus ut esset quod offerrent, magno uendebant oues, boues, columbas, aliāq; huius generis, quæ iuxta Iudæorum consuetudinem solent offerri, siue donari sacerdotibus; sed interim pacti cum sacerdotibus & Leuitis, ut eadem animantia accepta ab his qui obtulerant, rursus ipsis uenditoribus reuenderēt, sed minoris, ut iterum cum lucro possent alijs hospitiibus uendere. Ita fiebat, ut spoliatis hospitiibus turpe lucrum subinde ex eodem animantia rediens, inter mercatores & Leuitas diuideretur. Quoq; paratior erat negotiatio, id quod in prophano mercatu fieri consueuit, aderāt & nummularij siue collybistæ, qui minutiore moneta mutarent maiorem, aut aurum argento, aut peregrinam pecuniam eius loci moneta uerterēt, atq; hinc quoq; quæstus erat sordidus, nec multum abhorrebant ab usura, quam à Iudæis fratribus colligebant avari sacerdotes; est enim mutuandis pecunijs admodum ingeniosa auaritia. Veniebant enim Iudæi ex regionibus longinquis, ut à Lybia & Mesopotamia, à Græcia & Italia, quia Iudæi ferè per totum mundum dispersi, & eo tempore multi etiam Romæ erāt, & in Germania: non sicut hodie dispersi & exules, sed gaudebant iure ciuitatum. Confluebant, ut in Actis apostolorum, Proselyti quoq; ex regionibus ad diem festum. Hoc scientes sacerdotes, ideo curabant adesse hostias uenales. Hoc illis multo magis curæ erat, quam ut recte instituerent populum dei. Cogimur & similia hodie quoq; deplorare, donec & Christus uenturus similia agat. Tum autem ipso facto docuit, quanta pestis ecclesiæ sit, turpe lucri studium, & quantum ab hoc morbo abesse oporteat eos qui se religionis Euangelicæ proceres profitentur. Contextiuit sibi quasi flagellum è funiculis, tanquā canes à domo dei profligaturus, magnaq; indignatione simul & autoritate omnes illos exegit à templo, negotiatores unā cum suis mercibus exturbans. Neq; enim solum eiecit homines, sed oues etiam ac boues, ne quid talium sordium hæreret. Quin & collybistarum æs effudit in terram, ac mensas etiam subuertit, docens hæc prorsus esse conculcanda religionis ueræ cultoribus. Docuit quoq; facto se iudicem templi. Sic quoq; uidemus quid obijciendum his, qui solam mansuetudinem Christi ex Euangelio nouerunt, quasi nullos liceat condemnare, & iuste plectere. Quia em̄ legerunt Christum non damnasse adulteram, ideo putant iudicia esse iniusta, & Christū non posse condemnare, cum hunc locum perpendisse debebant, ubi uendentes & ementes eiecit de templo & flagellat. In Christo ergo notāda est mansuetudo & simul seueritas. In ijs exercet seueritatem, ubi uidet non nihil decedere paternæ gloriæ: mansuetus autem est in alijs, quia non uenit sibi uendicare regnum terrenum in hoc mundo.

Et his qui columbas uendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negotiationis. Recordati uero sunt discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me.

Psal. 68. 6

Indignabundus Christus dixit his qui uendebant columbas: Auferte ista hinc, & ne ex domo patris mei feceritis domum negotiationis. Discipuli uero

quum uiderunt Iesum, alioqui placidum ac mitem, hic tanta seueritate profligantem eos qui templi religionē sordido quæstu prophanabant, recordati sunt eius prophetiæ, quam habet Psalmus 68. Zelus domus tuæ comedit me. Quæcunq; em̄ narrantur ab Euangelistis aliquo modo etiam deliniata fuere in Psalmis. Dauid em̄ conqueritur, quomodo fratribus & amicis exosus fuerit, quod plurimum optauerit cultum dei uere reparari, inde sibi magnam inuidiam esse exortam. Id multo uerius in Christo uidemus esse impletum. Nemo adeo steterit mundus, ut si gloriam dei toto corde quæserimus, & ueri zelotes fuerimus, redarguentes religionem falsam, non defuturam inuidiam & persecutionem: quod uidemus in patrefamilias & magistro, id ipsum expectent discipuli & domestici. Hoc nunc potissimum odiunt multi, dum cupimus expurgatam domū dei: quod ubi tentauerimus necessum est ut ecclesiasticorū peccata detegamus. Quicquid tunc agebant in templo, honestum uidebatur & pulchrum. In stationibus populi circum templum, quæ & ipsæ dicuntur templum, uendebantur sacrificanda animalia, nō sacrificia ipsa, debebat tamen & ipsa statio esse sacra & inuiolata, non polluta sacerdotum scandalosa auaritia, non minore quàm tempore Samuelis. Et qui ueniebant adoratum in Ierusalem, nō debebant propter auaritiā sacrificulorum impediri, & ex auaritia grauari cum impio scandalo profelytorum.

D Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hæc facis? Respondit Iesus, & dixit eis: Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.

Matt. 26. f. 27. c
Marci 14. f. 15. c

Iudæi quum audissent quod domū patris sui nominans, peculiari quadam ratione se declararet filium dei, uiderentq; palam tanta cum autoritate se uentem in eos, qui uidebantur rem sacerdotum atq; religionis adiuuare, obstreperunt illi, & dicunt: Si deus pater tuus est, & si patris contumeliā uindicas, æde miraculum aliquod, ut intelligamus te patris autoritate hæc facere. Si ista facis autoritate tua, temeritas est: si diuina, quod signum profers ut credamus tibi? Iesus autem sciens eos calumniaturos, etiam si quod miraculum adiderit, nisi ad subleuandam egentium necessitatem, ut quod esset diuinæ uirtutis argumentum, idem esset & humanæ necessitatis beneficium, sub ænigmatate promissit eis signum, quod si tum palam fuisset eloquutus, non erant credituri, quando ne tum quidem crediderunt quum esset exhibitum. Id erat signum mortis & resurrectionis. Idem erat signum Ionæ, quod post multis æditis miraculis & adhuc flagitantibus signum de cælo promissit. Nunc autem idem rudibus ad huc tectius etiam promittit. Sermonis occasionem templum in quo uersabantur præbebat, de quo Iudæi supra modum gloriabatur. Soluite, inquit, hoc est soluetis templum hoc, & in triduo excitabo illud. Hoc ænigmati ne apostoli quidem tum intelligebant, sed cognita tandem resurrectione, ex re compererunt sensum orationis. Iesus autem sentiebat de templo corporis sui, quod illi per suam malitiā morte essent soluturi, ipse uirtute diuina intra triduum resuscitaturus. Hoc Iudæis non solum absurde, uerum etiam impie dictum uidebatur. Nam iubere solui templum tantæ religionis impium erat, tam operosam fabricam intra triduum excitare dictu uidebatur absurdum.

Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud: Ille autē dicebat de templo

plo corporis sui. Cum ergo surrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus.

Qualis erat illorum intellectus, talis fuit responsio. Quadraginta, inquit, sex annis ædificatum est, uixq; illud tot duces & imperatores extruere potuerunt multis annis. Hic habet magnam quæstionem litera de quadraginta sex annis, quomodo constent. Planè arbitratur Oecolampadius, Iudæos exaggerasse numerum ex inuidiâ; nam in supputatione non inueniuntur tot anni. Apud Esdram & Zachariam quod in sexto anno Darij templum illud absolutum fuerit legimus. Cum igitur hoc scriptura testetur satis apparet Iudæos auxisse numerum. Per Herodem alia ædificia, perq; reginam quandã Mesopotamiæ Helenam, & per sacerdotes erecta sunt, quas turres suis nominibus nominabant reges, ut Antoniana turris & Herodiana, & ita omnes annos in unũ coniecerunt. Qua autem ratione cogeremur assentire Iudæis, qui per inuidiam omnia loquuntur, nisi aliunde ex sacris uel alioqui certis historijs uerum dicere comprobetur. Autem, Quadraginta sex annis sudatum est in hoc templo, post Babylonicam captiuitatem instaurando, & tu triduo excitabis illud? Ad eam objectionem non respondet, sciens se nihil profecturũ si sermonis inuolucrum explicasset, quando nec postea tot æditis signis, tot prædicationibus instructi discipuli potuerunt ferre mentionem mortis, nec credere mysterium resurrectionis. Hæsit tamen hoc dictum ceu semen quoddam in animis auditorũ, sed in alijs alium fructum protulit. Siquidem Iudæi eiusdem memores, hũc sermonem ueluti capitale crimen obiecerunt illi apud sacerdotes impios. Discipuli quod assequi non potuerunt, tamen recondentes in pectore, quid sibi uellet admirabatur, donec peracta resurrectione spiritus sanctus doceret illos, Christũ templi uocabulo suum ipsius corpus significasse. Id erat multo sacratius tẽplo, quod religiose uenerabantur Iudæi, ut in quo inhabitaret plenitudo diuinitatis. Et tamen saxeam illud templum uiolare sacrilegium erat, at sacratissimum illud templum sanctissimi corporis nihil ueriti sunt impie demoliri. Sed idem Salomon, qui sibi ex uirgine Maria condiderat templum hoc, ab illis solum restituit intra triduum, iuxta prophetarum uaticinia. Tum itaq; discipuli conferentes scripturas cum sermone Iesu, intellexerunt hoc esse maximũ signum, quo Iudæis declararet suã diuinitatem. Quanquam enim legimus aliquot homines reuixisse, nemo tamẽ præter unum dominum Iesum excitauit seipsum ad uitam. Solus enim in se habebat potestatem deponendi animam suã, & eandem resumendi quum uellet. Atq; his quidem initijs Iesus excitauit totius Iudæicæ gentis in se expectationem, instante die festo.

Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, uidentes signa eius quæ faciebat. Ipse autem Iesus non credebatur semetipsum eis, eo quod ipse nossset omnes, & quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat quid esset in homine.

Quum per aliquot dies paschæ Hierosolymis commoratus, signis & doctrina iecisset aliqua semina fidei Euangelicæ, multi fidem habuerunt dictis illius, credentes eum esse filium dei quem se esse prædicabat, magis commoti miraculis quæ perpetrabat quàm uerbis; nam Iudæi non tam ratione commouentur quàm uisis prodigijs. Cæterum Iesus iam tum formam & imaginẽ nobis ostendit

dens Evangelici doctoris, cuius prudentiæ est non statim omnia mysteria doctrinæ sublimis rudium animis committere, cuius mansuetudinis est infirmos adhuc & imperfectos tolerare, donec proficiant ad sublimiora, quoniam sciebat fidem illorum adhuc esse rudem & ancipitem, animosq; illorum nondum esse capaces mysteriorum Evangelicæ philosophiæ, ne subito uersis populi studijs, tumultus aliquis nasceretur, non se credebat promiscuæ multitudini. Complures enim erant, quos urebat hæc autoritas, præsertim qui Iesu doctrinam & gloriam suo quæstui & authoritati offecturam arbitrabantur. Nondum eruperat pharisæorum & scribarum liuor in manifestam calumniam. Nondum inuidiam ac malevolentiam in corde premebant captantes occasionem lædendi. Eoq; quia nondum prodesse poterat, dominus Iesus, ne præberet malis occasiones, nec opus haberet ut quisquam apud eum testificaretur de homine. Ipse enim quem nihil fugebat, ex sese sciebat quid lateret in recessu cordium uniuscuiusq;. Nec interim suæ salutis consulebat Iesus, qui sponte in hoc uenerat, ut pro salute mundi mortem oppeteret, sed illorum malitiæ peccandi materiam subtrahebat.

CAPVT III.

A Rat autem homo ex pharisæis, Nicodemus nomine, princeps ludæorum. Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à deo uenisti magister: nemo enim potest hæc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit deus cum eo.

Inter multos qui ex conspectis domini Iesu miraculis nonnullam opinionem conceperant, erat quidam nomine Nicodemus, sectæ pharisæicæ, ex eorum ordine qui apud ludæos primores habebantur. Hic non ignorans esse permultos sui ordinis ac sectæ qui Iesu subinuerent & insidiarentur, adijt Iesum nocte, re declarans quod imbecillus, non nihil etiam facillans adhuc esset in amore erga Iesum, quem hæcenus admirabatur, ut tamen nollet eius causam suæ gloriæ iacturam apud homines facere, nec eius gratia in sui ordinis inuidiam pertrahi. Metus autem erat potius quam impietas, & pudor humanus uerius quam peruersitas. Atq; hic pudor in quorundam animis tantam uirum habet, ut qui rem & uitam possunt contemnere, affectum hunc generosis ingenijs potissimum insitum non possunt uincere. Pudebat enim eum, qui inter iudeis principis dignitate præminebat, humilis Iesu discipulum fieri uel uideri: timebat ne cui primus confessus in synagoga tribuebatur, eijceretur e synagoga. Iesus autem mansuetissimus doctor, qui calamum contritum non comminuit, nec linum fumigans extinguit, non repulit timidum atq; intempertem salutatorem, sed comiter excipit imbecillum quidem, sed malitiæ expertem, & ob id dignum qui paulatim ad sublimiora prouehatur: statimq; quantum eius miraculis conspectis profecerit aperiens, hac præfatione captat beneuolentiam Iesu, Rabbi, inquit, iam illud perspectum habemus, doctrinam istam tuam non esse talem, qualis est pharisæorum. Res enim ipsa loquitur, ipsam docendi auctoritatem non ab homine traditam, sed à deo. Nullus enim potest hæc ædere miracula quæ tu profers, nisi deum habuerit sibi præsentem & opitulantem. Hanc opinionem de Iesu Nicodemus ut magnificam ac præclaram proposuit, quum esset infra illius dignitatē. Nihil enim aliud eum esse suspicabatur quam prophetam aliquem, cui deus faueret, & adesset in ædendis miraculis, quasi suapte uirtute non ea patraret. Iesus autem nec hominis imperfectam de se opinionem refellit,

refellit, nec statim se iactat quantus sit, sed blanda comitate docilem paulatim prouehit ad Euangelicæ doctrinæ penitiora mysteria. Iudæi qui tantum adhuc aquam Mosaicæ legis biberant, qui præter Ioannis baptismum nihil nouerant, nec adhuc gustarant uinū Euangelicæ doctrinæ, necdum per spiritū & ignem baptizati fuerant, præter carnem nihil sapiebant, ob id ad Euangelicam philosophiam, quæ tota spiritalis est, admodum rudes. Proinde dominus non exprobrauit illi suam ruditatem, non animum utroq; claudicantem, & mundo deoq; se partientem, nondum protulit illud, quod post à prouectioribus discipulis exigit: Quæ mei puduerit ad homines, huius & me pudebit apud patrem meum, sed obscuris dictis elicit dominus ruditatem, ut paulatim erudiat, & ab affectu carnali transferat ad intelligentiam spiritualem.

Respondit Iesus, & dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest uidere regnum dei.

Respondere, Hebræis & Euangelistis non semper ad præcedentem quæstionē refertur, sed est idem quod dicere, etiamsi nullus sermo præcedat. Quam & hic Christus menti illius uideatur respondisse, quasi dicat: Tu me accedis ut audias doctrinā meam, uideo te simplici pectore adesse, neq; ex eorum numero qui indigni sunt cœlestibus donis. Ostendam ergo tibi quæ maxime necessaria sunt: primo ut innoues uitam tuam, & nascaris spiritaliter, qui hactenus carnem uixisti. Disputatio est de duplici natiuitate. Carnalē nemo non intelligit, spiritualem paucissimi, imò nulli nisi qui spiritaliter iam nati sunt, quicq; solum agnoscunt deum. Inducitur igitur nobis rudis disputator, qui crassam tantum natiuitatem sciebat, eorum instar qui nihil intelligunt quàm quod oculis cernunt, uel auribus hauriunt, & alia nihil putant esse, quum tamen longe nobiliora sint quæ animo tantum percipiuntur quàm quæ sensu. Itaq; si apud huiusmodi crassos loquaris de spiritali generatione uel manducatione, de carnali intelligunt: si de libertate spiritus, arripiunt eā quæ carnis est. Dicit igitur Christus Nicodemo: Videris ex illorum numero esse, qui cupiunt regnum dei, sed nondum intelligunt quid sit regnum dei. Imaginaris terrenū regnum, quæ si Messias sit regnaturus ut Salomon, & mansura sacrificia & cætera Iudaicæ: Nam si quis cognoscere uult quale sit regnū dei, quod est in spiritu, nimirum necesse est ut denuo nascatur. Qui nascitur ex carne, spectat solū quæ sunt huius carnis, modo habeat quibus utatur, & in delitijs agat, putās se esse beatum, sed pecunus est planè, ideo opus habet regeneratione, ut sicut hactenus spirauit terrena, ita nunc felicitatem suam constituat in æternis, & deum præ omnibus colat. Necesse est, ut in illo sit semē dei & spiritus, ut incipiat aliter agere quàm prius. Prius superbus, nunc postquam afflatus est diuino spiritu seipsum humiliat, & non sentit de se sublimia. Antea lucro addictus, iam se emendat, & elemosynas facit. Ita agitur ille diuino spiritu, ut iam totus alius uiuat, ut sic possit uidere regnum dei.

Dicit ad eū Nicodemus: Quomodo potest homo renasci cū sit senex: nunquid potest in uentrē matris suæ iterū introire, & renasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire regnum dei.

En crassum Christi discipulum, qui erat magister in Israel, sed expediebat nostræ tarditati, ut talis dialogus proponeretur. Christus de renouatione ani-

mi loquitur, ille ad crassa respicit. Cum igitur audit de secunda natiuitate, uult per omnia esse eam similem primæ. Magna absurditas est, ubi scriptura solet his rebus & sermonibus uti, res diuinas comparare carnalibus. Ita de manducatione spiritali: Nisi comederitis carnem filij hominis &c. crassulus putat carnem illam edere, neq; cogitat secum quid sit spiritaliter manducare. Nostris autem uiribus planè est impossibile ut renascamur. Adeo infectū est corpus nostrum & procliuè ad peccatum, nisi indies gratia illustremur mali efficimur. Nec hoc tamen tam crasso responso offensus Iesus grauatur interpretari quid sit Nasci denuo siue è supernis. Verissimum est, inquit, Nicodeme quod dixi, Renascendum est ei qui uelit esse capax Euangelicæ doctrinæ. Sed aliud natiuitatis generatione corporum, sed transformatione animarum. Nec hac natiuitate rursum efficimur filij hominum, sed filij dei. Itaq; pro certo habe, quod modo dixi, Nisi quis denuo natus fuerit per aquam & spiritum sanctum, & ex carnali fiat spiritalis, dono diuini spiritus, non arbitrio uoluntatis humanæ, non poterit ingredi regnum dei, quod prorsus spirituale. Simile nascitur de simili. Quod è carne nascitur, nihil aliud est quàm caro; cæterum quod è spiritu natum est, spiritus est. Quantum autè interest inter carnem & spiritum, inter corpus & deum, tanto præstantior est hæc de quo loquor generatio, ea quæ corpus propagat è corpore. Qui iuxta carnem nati, nihil aliud quàm carnem sapiunt, nihil esse credunt nisi quod sensibus percipitur. At qui ea quæ nec uidentur præstantissima sunt, uimq; maximam habent, quum caro sit infirma & impotens. Spiritus ergo dei in corde hominis pro semine uitæ habetur, à quo efficacia operandi conceditur, & mortificandi desyderia carnis, ut sic sit origo spiritalis uitæ, & re generatio quædam noui hominis secundum deum.

Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est.

Oportebat te Nicodeme dijudicare inter carnalia & spiritalia. Quid nascitur ex carne quàm caro? generalis loquutio est. Iam non subsistamus in carnali natiuitate, qua pueri nascuntur in mundum. Nec potest homo de se prestare quicquam nisi quod est humanū. Carnales sumus, carnalia operamur. Nobis ipsi relictū quid aliud quàm peccatores erimus? Si quis affectus nostros scrutetur, planè inueniret nos carnalia sectari, fugere lucem, amare nosiplos &c. Si uero accesserit spiritus, & deus aliquid genuerit, id spirituale est. Filij igitur spiritus, id est dei, referunt imaginem sui patris cœlestis, ut sint misericordes, sancti, puri & synceri. Tales nos uult spiritus esse diuinus, si annumerari uoluerimus populo dei. Non opus est ut respicias ad initiū natiuitatis spiritalis quam uidere non potes, expectes saltem opera illius spiritus, & ex ipsis innotescet tibi quid uelim.

Et non mireris quia dixi tibi: Oportet uos nasci denuo. Spiritus ubi uult spirat, & uocem eius audis, sed nescis unde ueniat aut quò uadat sic est omnis qui natus est ex spiritu.

Quum sit igitur alia nascendi ratio, non est quod mireris homini secundum carnem nato ut esset filius hominis, eidem secundum spiritum inuisibiliter esse renascendum, ut possit esse filius dei, qui spiritus est & aptus regno cœlorum, quod spirituale est non carnale. Quod si nondum animo consequeris, sume tibi imaginem ab his rebus, quæ cum spiritalibus nonnullam habent congruentiam,

entiam, & tamen corporeis sensibus percipiuntur. Deus simplicissimus est spiritus, proculque semotus ab omnibus sensibus corporeis: sed hic aër quo uegetamur, & cuius tantam uim & utilitatem sentimus, quoniam ad nostra corpora collatus subtilior est, spiritus dicitur. Atque hic spiritus non cohibetur hominum arbitrio, sed impetu suo fertur quo uisum est, per omnia sese diffundens, mirificam uim inferens rebus corporalibus, nonnunquam uitam adferens, nonnunquam mortem, nunc tranquillus ac tacitus, nunc rursus uiolentior, interim ab Oriente spirans, interim ab Occidente, interim ab alijs atque alijs mundi partibus, & effectu se prodit, ac uocē illius audis, quum nullum corpus uideas, nec sic quod manibus possis apprehendere, sentis presentem, nec uides ueniētem, nec uides quò se proripiat abiens. Tale quiddam habet hæc spiritualis natiuitas. Arcanis afflatibus mētes hominum à dei spiritu rapiuntur ac transformantur. Vis ex effectu ineffabilis sentitur, nec tamē oculis cernitur id quod agitur. Et qui sic renati sunt, non iam aguntur humano carnalique spiritu, sed dei spiritu, qui uiuificat ac moderatur omnia.

Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? **Re B**

Nicodemus adhuc crassior, non repugnans quidem Iesu, sed sermonis intelligentiam non assequens, & planius etiam exponi cupiens quæ audierat, dicit Iesu: Qua ratione possunt ista fieri, ut homo corporeus renascatur in spiritu, & ex deo nascatur diuinus? Iesus ostendēs ea quæ cœlestis doctrinæ sunt, non percipi rationibus humanis, sed fide potius comprehendī, & ad hæc indociles esse mundi philosophos, humana sapientia turgidos, & pharisæos, qui literam legis magno supercilio profitebantur, quum spiritum legis ignorarent, sed hæc esse sapientiam, quam pater cœlestis cælar et prudentes huius sæculi, & aperiret his qui iuxta mundum humiles essent & idiotæ, respondit Nicodemo: Tu habetis magister in Israel, & profiteris te doctorem populi, & hæc quæ potissimum oportebat scire ignoras? Quantum igitur abest populus à spirituali doctrina, si tu tantus populi doctor hæc nō assequeris? Sed interim credidisse profuerit, quod intellectu non potest assequi. Fides præstabit ut hæc sentias etiam si non uideas. Etenim si aëris huius naturam & impetum cum sentias non potes ingenio consequi, quomodo consequeris hæc longe sublimiora, & ab omnī sensu corporis semotiora? Siquidem diuina cum sint, longe superant humanas mentes, nisi & ipsæ spiritu diuino afflentur.

Amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod uidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis.

Tuto mihi credas, qui hæc quæ cœlestia sunt, non solum afflatu sentiam, aut audierim quemadmodum prophetæ senserunt, quorum de numero tu me esse credis, sed comperta certaque loquimur, et quod uidimus in cœlo, hoc uobis testificamur in terris. Sed uos qui nondum estis renati per spiritum, hæc spiritualia non creditis, fidem uestram perspectam uobis non habetis. Cum qui loquitur non alia quam dei eloquia loqui debeat. Sapientia dei thesaurus Christus est, cui fides uni habenda. Cum Nicodemo igitur etiam alios pharisæos perstringit, Ipsi ignoratis, & scientibus fidem adhibere nō uultis, quæ est ergo excusatio uestra?

Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo si dixero uobis cœlestia, credetis?

Ut certiora sunt cœlestia quàm terrestria, ita certius cernuntur ab eis quàm cœlestes habent oculos. Hæc autem dicebat dominus Iesus sub inuolucro, significans sibi diuinam esse naturam, quanquam corpus mortale circumferret: atq; hoc testimonium quod ipsi tribuerat Nicodemus uelut magnificum, quod à deo missus esset, iuxta sensum illius qui proloquutus est, longe est infra ipsius dignitatem. Siquidem Nicodemus nihil adhuc altius sentiebat de Iesu, nisi quod sic esset missus à deo, quemadmodum ceteri prophete leguntur à deo missi, & quemadmodum Ioannes missus erat à deo: sed longe sublimius filius missus erat à deo, qui semper fuisse apud patrem antequam mitteretur, & iam tum esset apud patrem iuxta diuinam naturam, qua non recedit à patre. Quoniam autem ad huius mysterij sublimitatem, quomodo in eodem diuina natura coniuncta esset cum humana, ut idem in terra ageret homo mortalis, & idem apud patrem esset deus immortalis, quæ hæcenus dixerat de renascendo per aquam et spiritum, crassiora uideri poterant, subiicit dominus Iesus: Si mihi terrena quædam adhuc uobis prædicanti ob carnalem animi sensum non creditis, quomodo credituri sitis, si prædicauero uobis ea quæ planè cœlestia sunt, quæ tamen ipse & uidi, & certius cognoui, quàm quæ uos oculis corporeis uidetis: Animalis quippe homo non percipit quæ dei sunt. Et si deus loquatur apertius, nisi per spiritum eius illustremur, non capimus illa, & frustra insillantur auribus nostris.

Et nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.

Quis hominum aut angelorum tantus fuit, ut ascenderet in cœlum, cœlestia ac diuina contemplaturus, & ipsam diuinam naturam ut est coram conspiceretur? Nemo prorsus ascendit in hoc cœlum ad tantam felicitatem, nisi filius hominis, qui è cœlis descendit in terras, humanam sibi naturam uniens, qui idem nunc iam uersatur iuxta diuinitatem suam in cœlis, & ubiq; nunquam à diuinitatis contemplatione seclusus, licet interim iuxta carnem humilis, & obscurus uideatur in terris. Sed ita uisum est diuino consilio, dei gloriam per summam ignominiam & humilitatem declarare mundo, ut homines relicta falsa gloria, eadem uia properent ad ueram atq; æternam gloriam. Quod si quis roget, quæ necessitas compulit dei filium descendere de cœlis, & in terris humilem & abiectum uersari? Nihil aliud in causa fuit quàm summa charitas dei patris erga genus humanum, cui seruando filium suum unigenitum tradidit in mortem, & mortem iuxta mundi iudicium probrosam: unum impendere uoluit omnium salutem, unde & eandem carnem in se recepit, quam & nos habemus, excepto solo peccato, conceptus est enim à spiritu sancto. Descendens autem de cœlo carnem induens cœlum non reliquit, nec natura diuina facta est deterior, neq; iniustitia commissa est naturarum. Mansit in dignitate patri equalis, & ante mundi constitutionem ordinatus est, ut electi omnes in ipso sanctificandi essent, et per Christum ascensuri in cœlum.

Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam æternam.

Non nouum est hoc prædictum, nec subitum. Hoc ipsum est quod futurum adumbrauit Moyses, quum pereunte populo serpentium incursum serpentem æneum suspendit in stipite, ut quicumq; flexissent huc oculos suos, incolumes essent.

sent à morfu letali. Quemadmodū igitur æneus ille serpens specimen quidē habens uenenaſſe beſtiæ, ſed adeo ueneno carens, ut alios etiã ueneno tactos liberaret, ſuſpenſus eſt in deſerto, quo conſpicuus eſſet omnibus ad ſalutem; ita oportet exaltari filium hominis, ut om̄es qui huc per fidem ſuſtulerint oculos, à letifero peccati ueneno liberentur, ut non ſolum Iſraelitæ, ſed omnino quiſquis hominum ſyncero pectore fiduciam in illo collocet, nō pereat peccato obnoxius, quod mortem adfert æternam, ſed per mortem unius innocētis uitam obtineat æternam. Huiuſmodi quibuſdam ænigmatis dominus Ieſus aſſumpti hominis, & orbis per crucem redimendi myſterium aperuit, nondum licet earum rerum capaci; ſimul interim aperiens quantum intereſſet inter eos qui legem carnaliter legerent, præter hiftoriam nihil animaduertentes, & eos qui ſpiritus afflatu, de quo fuerat mentio, ſenſum arcanum ſub ſcripturæ tectorio latentem perciperent. Sed tamē hæc fidei ſemina tum dominus Ieſus iniicit in aſinum Nicodemi, ut poſt intelligeret, hoc non fortuito, ſed diuino conſilio geſtum eſſe, atq; ita bonum ſemen exceptum in terram bonam, fidei fructum produceret ſuo tempore, non ſolum in eius pectore qui hæc audiuit, uerum etiã in omnium animis, ad quos per Nicodemum referentem hæc erant permanētura. Quid autem ſit exaltari filium hominis, & quantum beneficium dei ſit, clariuſ indicat proſequendo hiſ uerbis.

Sic enim deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, ut 1. Ioan. 4. 6
omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam.

Quis crediturus erat tantam fuiſſe dei charitatem erga mundum, deo rebellem & tot ſagitij obnoxium, ut non ſolum non ulciſceretur admiſſa ſcelera, ſed filium etiã unicum ē cœliſ demitteret in terras, atq; hunc in mortē, & mortem crucis probroſiſſimam traderet, ut quiſq; hominum, ſiue Iudæus, ſiue Græcus, ſiue Barbarus in hunc crederet, non periret, ſed per fidem Euangelicam uitam conſequeretur æternam? Nominauerat iam ante ſe filium hominis, nunc & filium dei, ut ſecernat eum à cæteris mortalibus, ut uere dicas Chriſtum ſuum unigenitū, ut ſecernat eum à cæteris mortalibus, ut uere dicas Chriſtum & filium dei pro nobis eſſe mortuum. Ne dicas, Deus dedit filium Mariæ, qua ſi ſeparari poſſit filius dei à filio Mariæ, unus eſt non duo. Ex quo eluceſſit magnitudo diuini beneficii. Quid em̄ maius in rebus humanis quàm dare filium, unigenitū, cui nihil eſt comparabile pro humili et abiecto peccatore? Vnigenitus autem dicitur, quia uerbum dei æternaliter genitum, & caput omnium filiorum dei eſt, de cuius plenitudine omnes accepimus, ut & nos filij dei per adoptionem eſſemus: ſolus abſq; peccato dei imaginem plene obtinet, iuxta hominis beatā animā in uerbo. Id adhuc clariuſ indicat per contrarium.

Non enim miſit deus filium ſuum in mundū, ut iudicet mundum, ſed ut ſaluetur mundus per ipſum.

Quamquam olim per filium iudicaturus eſt uniuerſum mundum in aduentu poſtremo, tamen hoc tempore, quod clementiæ datum eſt, non miſit deus filium ſuum ut condemnet mundum pro ſiſ ſcleribus, ſed ut ſua morte mundo per fidem cōferat ſalutem gratuitā. Et ne quis ſponte periens haberet quod prætexeret ſuæ malitiæ, facilis aditus datus eſt omnibus ad ſalutem, per Chriſti domini gratiam & mortem: unde ſi perimus non dei culpa eſt, ſed noſtra. Olim autem uenturus eſt iudicare mundum, cum in maiestate ſua aſſulgēs uenerit, qui nūc uenit ut iudicetur & damnetur à peccatoribus, ut ſaluet electos.

Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus

tus est, quia non credit in nomine unigeniti filij dei.

Non exigitur pro prioribus admittis satisfactio, non legis obseruatio, non circuncisio satisfacit, tantū qui credit illi tutus est à condemnatione, nimirum illud amplexus per quod salus aeterna datur omnibus, quantalibet peccatorum sarcina grauat, si modo post Euangelicam professionem absteineat à uitae prioris flagitijs, & iuxta doctrinam eius, cuius nomen professus est, proficere nitatur ad perfectam pietatem. Porro quisquis non credit Euangelio, tantam dei erga se charitatem contemnens, et salutem gratis oblatam à sese repellens, nihil opus habet ut à quoquam iudicetur, quum ipse palam condemnet seipsum, & aeternae poenae reddat obnoxium, hoc à se repellens per quod licebat assequi uitam aeternam. Deus per unigenitum filium suum salutem omnibus obtulit, id est per fidem, ut illum salutis authorem agnoscamus ac ueneremur, & in illo totius us felicitatis nostrae fiduciam collocemus. Hoc qui recusat & dei tam obuiam bonitatem aspernatur, & filium quem pater honorificari uoluit contumelia afficit, & mortem ipsius pro nobis obitam pro nihilo ducit, re nimirum ipsa declarat sese dignum aeterno supplitio. Quis enim non intelligit illum merito & sua apte culpa perire, qui uolens & sciens amplectitur id per quod perit & auersatur id per quod salus poterat restitui? Pura autem fides quae saluat, semper instigat ad opera uere sancta. Non operibus salus tribuitur, nec pro peccatis satisfactio paratur, nec istis purgatorius ignis extinguitur.

Hoc est autem iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera.

Error & peccata tenebrae sunt animorum, & peccata mortem gignunt aeternam. Filius dei lux est mundi: lux enim est ueritas, huic credere salus est. Itaque quum benignitate dei lux uenerit in mundum, ignorantia ueri & innumeris uitijs caligantem, ut cognita ueritate resipiscerent ac seruariantur, homines magis amarunt suas tenebras quam lucem caelitus missam. Si perit aegrotus qui medicum caelat morbum ne sanetur, nonne ipse de se pronunciat quod suo uitio perit? Sic homines mundo dediti, lucem oblatam auersabantur, quod mala essent ipsorum opera. Ut enim is qui rem dedecorofam patrat, noctem amat, ac solem fugit, ne prodantur ipsius facta: ita qui sibi male conscius sunt, oderunt lucem Euangelicae ueritatis, per quam produntur ea quae turpia sunt ut emendantur. Neque enim sanari potest qui morbum amat suum. Sibi displiceat peccator oportet, ut deo placeat. Id est quod subditur:

Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non uenit ad lucem, ut non arguantur opera eius: qui autem facit ueritatem, uenit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in deo facta sunt.

Cuius autem opera recta sunt, is amat solem, ut ex recte factis laudem inueniat. Ita qui sibi bene conscius est, aut certe qui sanari cupit, nec dissimulat sua peccata. Nam hoc quoque ueritas est, agnoscere tuum malum quod habes, & amare bonum quod non habes, ultrò se offert Euangelicae luci, ut palam fiant opera ipsius, & quae bona sunt laudem habeant, quia non ex mundi spiritu, sed ex deo profecta sunt: & quae mala sunt corrigantur. Caeterum qui ex legis obseruatione sibi perfectam iustitiam arrogat, cum intus madeant uitijs animi, qui in philosophiae praesidijs, qui in huius mundi commodis felicitatem constituunt, in magnis uersantur tenebris, maxime si hoc ex animo sentiant, aut in maioribus etiam, si quod sentiunt esse malum, excæcati suis cupiditatibus mor-

dicus tenent, & quod uident esse salutiferum pertinaciter auersantur. Agnatus est autem omnibus hominibus pudor aliquis, ut nolint peccata sua uideri, & confiteri recusent, ne prodeant in lucem. Hinc sunt fontes contentionum ad exortum ueritatis Euangelicæ, quæ prodit omnia, hinc gladius quem Christus promittit non pacem; impietates enim reuelantur per uerba. Qui autem opera tur ueritatem, ex spiritu Christi id agit, cui et reddit accepta, intelligens se nihil boni cogitare posse absq; deo. Ideo eadem opera iudiciū dei nō refugiunt, sicut & sancti uiri iudiciū domini non cum desperatione exhorrescunt confisi de gratia dei. Huiusmodi mysteriorum semina quædam dominus Iesus recondiderat in pectus Nicodemi. Atq; hic est ille Nicodemus, qui postea autoritate sua patrocinator est Iesu aduersus phariseorum calumnias, dicēs neminem esse condemnandum, nisi perspectis ipsius operibus; quiq; mortuo sepulturam cum Ioseph ab Arimathia exhibuit.

Post hæc uenit Iesus & discipuli eius in Iudæam terram, & illic morabatur cum eis & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Aenon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant illic, & ueniebant & baptizabantur. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.

Christus uenerat ad Ierusalem, purgauerat templum, etiam docuerat quæ opus esset purgatione, sic tandem procedit ad aquas, & per discipulos facit uenientes baptizari. De interno baptismo loquutus multa fuerat, tandem de sacramento baptismi loqui incipit, qui modus in tradenda ratione sacramentorum negligi non deberet. Nisi enim probe quis iudicare possit inter id quod signatur & quod signat, inutile erit signum. Certum est autem multos à discipulis baptizatos, qui rem non omnem intellexerant, etiam ne discipuli, donec Christus resurgeret à mortuis. Instituatur ergo adulti baptizandi pro capacitate sua an tequam in numerum ecclesiæ accipiantur, sed propterea non oportet paruulos amandare & reiicere. Regeneret ergo nos spiritus sanctus, ut habeamus fiduciam, tunc licebit intrare in ecclesiam dei, imò iam sumus in ea, & inscripti. Sed ut innotescat fratribus nos in hoc numero esse, necessarium est ut externo symbolo significemus. Sed non est nostrū aliquod symbolum sacramentale institutum. Argumentū quoq; hic habetur aduersus eos qui citāt testimoniū ex Marco & Mattheo, ubi iubet dominus apostolos prædicare Euangelium toti mūdo & baptizare, quasi tunc primum institutus sit baptismus. Hic dicitur manifeste quod baptizari, sed infra 4. cap. se exponit. Functus est enim Christus longe nobilio re officio quàm si baptizasset externe; intus enim baptizat per spiritum. Morabatur autem Christus in Iudæa aliquanto tempore cum discipulis, iisdem in itis exordiens prædicationem Euangelicam, unde cœperat Ioannes; prouocabat enim ad pœnitentiam & baptizabat. Atq; id temporis baptizabat adhuc & Ioannes; nondum enim ab Herode coniectus erat in carcerem. Baptizabat autem non iam in Iordane, ut solet, sed in obscuriore loco cui nomē Aenon, non de illic baptizandis suppetebat aquæ copia. Eo loci multi se conferebant, & ab Ioanne baptizabantur. Nonnulli conferebant se ad Iesum, & à discipulis illius baptizabantur.

Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Et uenerunt ad Ioannem, & dixerunt ei; Rabbi, qui erat tecum

trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes ueniunt ad eum.

Orta est occasione prædicta inuidia quædam in discipulis Ioannis aduersus Iesum, quod cum ipse nuper baptizatus esset à Ioanne, seque ueluti pro discipulo illius gessisset, ac illius testimonio fuisset populo commendatus, nunc repente sese æquaret illi, imò se illi anteponeret, cuius discipuli sibi sumerent, quod hactenus solus Ioannes fecisset. Ac primum conati sunt populum à baptismo discipulorum Iesu auertere, persuadere conantes Ioannis baptismum efficaciter esse peccatis abluendis quàm baptismum Iesu. Id cum populo non persuaderent, adierunt Ioannem, querelam ad illum deferentes, et existimantes illum indignè laturum et aliquo modo cohibiturum hanc æmulationem. Atque hic huiusmodi affectus discipulorum Ioannis profecit ad Christi gloriam, & euidentius etiam Ioannis de Christo testimonium elicuit. Deferunt autem rem his uerbis: Magister, is qui nuper apud te fuit, cum baptizares iuxta Iordanem, & abs te baptismum suscepit, quemque tuo testimonio ornaras apud multitudinem, cum omnibus esset ignotus, nunc idem sibi sumit quod tu, palam baptizans, atque omnes ad illum confluunt. Ita futurum est, ut per illum authoritas tua obscuratur. Hæc discipuli Ioannis studio quodam humano, cupientes sui præceptoris gloriam indices augeri, & hac gratia Christo inuidentes, cuius authoritas uidebatur effectura Ioannis opinioni. Gloriantur discipuli de magistris. Non sic audent Christianis, unus est nobis magister. Si addicere uoluerimus esse hominibus, haud mirum est si sæpe erremus cum ipsis.

Respondit Ioannes, et dixit: Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de caelo.

His auditis Ioannes sic discipulorum suorum prauo affectui mederi studuit, ut ostenderet sese non solum non ægre ferre quod Iesu gloria indices crescens suam obscuraret, uerum etiam uehementer gaudere, se munus delegatum expleuisse, nunc adesse Christi tempus, qui longe sublimiora esset præstaturus. Respondit igitur hunc in modum: Quid humano affectu uultis in me gloriaris? An postulatis ut me ipsum maiorem faciã quàm sim? Non potest homo quicquam accipere nisi fuerit ei datum caelitus. Hæc enim non geruntur humanis præsijs, sed authore deo. Quod muneris ille mihi delegat iuxta modum meum, id bona fide peregi. Præcursorem gessi, prouocaui ad poenitentiam, de spiritu & ignis, indicaui quem posthac oporteret sequi, & unde salutem perferretam petere.

D Ipsi uos mihi testimonium perhibetis quod dixerim: Ego non sum Christus, sed quia missus sum ante illum.

Supra 1. c.

Si, inquit, mea apud uos ualet authoritas, cur meis dictis fidem non habetis? Ipsi testes estis, quod non semel palam professus sim me non esse Christum, quem multi putabant esse, nec in aliud esse missum, quàm ut præcurrerem illi ueniendi uiam præpararem. Famulus illius sum, ille dominus est omnium. Quod si ille iam innotescit mundo, suaque gloria meam obscurat, gaudeo meum testimonium uerum esse. Nam illud unice erat in uotis, ut huc proficeret meus famulus. Quanquam enim per miraculum natus sum ex parentibus prouectus a patris, non tamen sum extra sortem hominum reputandus, purus sum homo, non sic ille à quo habeo quicquid habeo, Ego non baptizo in remissionem peccatorum,

rum; sed ille: non sum unctus plenitudine gratiarum, sed de plenitudine eius accepi ut illum præcurrerem.

Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter uocē sponsi. Hoc ergo gaudiū meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.

Quemadmodum ei debetur sponsa, qui uere sponsus est: ceterū qui sponsus ipse nō est, sed tantum amicus sponsi, non inuidet sponso suam felicitatem, neq; præripit illi sponsam suam, sed ei gratulatur cui fauet ex animo, & astat illi tacitus, magnoq; animi gaudio audit sponsi uocem cum sponsa colloquētis. Ita ego cui nihil erat optatius quā ut ille tantus agnosceretur esse, quātus est, & ego desinerem maior uideri quā essem, gaudio perfundor intelligens rem bene succedere. Illū qui hæcenus longe minor habitus est quā est oportet crescere, me qui maior sum habitus quā eram, decet minui. Sic expedit hominū salutē, & meam opinionem obscurari, & illius gloriā indies augetur, & à me desciscere discipulos, & ad illum demigrare, ad cuius potentiam mea diluta est & inefficax, tantoq; inferior baptismus quanto est ignis aqua potentior. Vtiam hæc quoq; cogitando perpenderent, qui pro episcopo Romano contendunt, ut sit caput ecclesiæ, quæ dignitas solius est Christi, cui & soli tribuenda. Oues ecclesiæ Christi sunt, non episcoporum: igitur Christi dignitas semper illibata seruanda. Sponsa est Christo propria, quam solus suo redemit sanguine. Amici sunt, & in loco amicorum fideles episcopi, non faciāt sponso iniuriā, non est ipsorum ecclesiæ, non quærant quæ sua sunt, sed quæ Christi. Primus honor in nuptijs sponsi est, alius est amicorum honor. Gaudet Ioannes audire se loquentem sponsum. Iam enim non loquitur per angelum uel prophetas, sed per seipsum. Tandem per filium loquutus est, qui plenitudo est temporū. Hoc Abraham quoq; uidere cupiebat, & omnes prophetæ, qui expectauerunt regnum Christi. Quid aliud regnum Christi quā quod sponsa loquatur Christus? Et est Christus quidē exaltatus in cruce, Ioannes minutus capite, sed hoc uerba sancti non indicant: sicut & quod de solitijs comminiscuntur Christi natiuitate & Ioannis. Mens uerborum spectanda est, uult dicere: Omnis gloria Christo danda est, et mihi tanquam ministro tenuitas ascribenda. Propterea noluit pro me contendatis. Id nobis quoq; sentiendum & dicendum.

Qui de sursum uenit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur, qui de cœlo uenit, super omnes est. Et quod uidit & audiuit, hoc testatur, & testimonium eius nemo accipit. Qui autem accepit eius testimonium, significauit, quia deus uerax est. Quem enim misit deus, uerba dei loquitur.

Aequum est terrena cedere cœlestibus, humana diuinis, imperfecta perfectis. Qui è terra profectus est terrenus est, terrena ac humilia loquitur. Quid enim aliud potest homo quā loqui humana? Ceterum is qui è cœlo profectus est, superat omnes, quamlibet etiam magnos homines. Nos tenuem aurulam cœlestium rerum hausimus, & ut possumus testamur. Ceterū ille quod in cœlis uidit & audiuit apud patrem, certissima fide apud homines testatur. Ac me tanto inferiorem mirantur homines, illius testimonium uix quisquam recipit: meum, qui famulus sum, de illo testimonium requirunt, & illius de patre testimonium nō recipiunt. Et tamē si quis mihi diffidit, diffidit homini: si quis non credit illi qui filius dei est unicus, facit deum mendacem, Iudæi patrem adorant, &

filium ab illo missum afficiunt contumelia, sed omnis in filium contumelia recedit in patrem. Quisquis igitur accipit testimonium filij, is credens filio certo confirmat deum esse ueracem, qui loquitur in filio. Filius enim qui missus est a patre, non loquitur humana, sed uerba dei. Is solus loquitur fideli in cor, ut obli-gnetur in pectore suo propter certam fidem; quam certitudinē dat solus Christi spiritus, non lectio scripturarum uel doctor humanus, etiamsi sit Ioannes Baptista. Etiamsi diu manserimus apud Ioannem, non tamen obli-gnabuntur pectora nostra spiritu sancto, qui non solum non fallit, sed certitudinem conscientiae praebet, & conseruat in sanctis.

Rom. 3. 24

Non enim ad mensuram dat deus spiritum.

Christus non habet angustam quandam honorum mensuram, in ipso est plenitudo gratiarū & maxima abundantia. Nobis uariae gratiae concessae sunt, alius hoc alius aliud donum a deo sortitus est. Omnia autem ista dona in uno Christo sunt. Deus dat spiritum, id est dona diuini spiritus. Requieuit enim spiritus domini super Christum, non parce sed omnia ei cōtulit charismata. In me Ioanne uix fonticulus est, uel aquae stilla, propter quam non relinquatis mare plenissimum. Ad fontem non ad cisternam uobis fuerit properandum. Aliam quoque consequenter Christi domini ponit dignitatem.

Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.

Nihil habet pater quod huic desit, & quicquid huic detraxerit hominū incredulitas, id pater sibi detractum putat. Pater enim unicum filiū unice amat, ac rerum omnium summam tradidit illi in manum. Non se spolians sua potentia, sed huic eandem quam habet uirtutem communicans. Quicumque ergo saluari uoluerint per solum Christum saluabuntur, indicium dilectionis quam pater expressit uoce audita: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, id est quem plurimum diligo. In quo fideles elegit pater, antequam fundamenta saeculi iacta fuerunt, quos & de Christi manu nemo auferre potest.

2. Ioan. 5. 6

Qui credit in filium, habet uitam aeternam, qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum.

Euangelium hic explicat, quod prius dixerat Nicodemo: Quicquid conferre uoluit deus humano generi, hoc per filium largitus est. Offert autem omnibus rem non mediocrem. Offert enim uitam aeternam, sed per eum qui est fons uitae aeternae solus. Sed huius tam eximij muneris se reddit incapax, qui recusat accipere. Recusat autem, qui non credit filium posse largiri quod pollicetur, simulque mendacij patrem insimulat, qui per filium uana polliceatur. Magna est igitur merces credulitatis, & atrox damnū incredulitatis. Etenim quisquis fiduciam suam ponit in filio, iam habet filium, quisquis habet filium, habet uitam aeternam. Contra qui diffidit filio, quoniam ipse sibi uelut oculos occludit, ne lucem aspiciat, non uidebit uitam, quoniam haec lux uita est hominum, sed ipse permanens in peccatis suis, manet obnoxius ultioni diuinae, hoc est aeternae morti. Imprudenter igitur agunt, qui filium relinquentes uel negligentes, alios sibi saluatores perquirunt, prostituunt tutelares, in tenebris ambulat, Christi praeconia relinquentes, sanctorum laudibus occupantur, & intercessio-nibus falso se iuuari credunt contra uerbum dei & rationem rectam.

Vtergo cognouit Iesus, quia audierunt pharisæi quod Iesus plures discipulos facit et baptizat quam Ioannes (quanquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abiit iterum in Galilæam:

Dictis huiusmodi castigauit Ioannes discipulorum suorum immodicum erga se studium, & malignam de Iesu opinionem, tacite prouocans eos, ut se neglecto iam illum sequerentur, unde omnibus petenda essent omnia. Vt igitur cognouit Iesus, quem nihil omnino fugiebat, sibi quoque contigisse quod inter homines solet euenire, ut gloriâ comiteretur inuidiâ, iamque hoc male habere pharisæos, quod plures alliceret discipulos, & plures ad ipsius baptismum confluerent quam ad Ioannis (Tamen si Iesus non baptizabat, iam tum ostendens præclarius esse munus Euangelizandi quam baptizandi, sed discipuli eius) & hoc magis urebantur, quod tantum sibi fumerent huius discipuli, quantum uiuerebant in Ioanne, cui plurimum tribuebant: partim ne magis exacerbaret illorum inuidiam, si illis ueluti cõtemptis illic diutius fuisset commoratus: partim ut iam tum præluderet futurum, ut Euangelij gratia à Iudæis repulsa ad prophetas deferretur, relinquit Iudæam, iactis illic Euangelicæ doctrinæ rudimentis, & reuertî parat in Galilæam, unde uenerat. Laborantes ergo inuidiâ Iudæi indigni erant audire ueritatem, & digni ut lucem amitterent.

oportebat autem eum transire per mediam Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sychar, iuxta prædium quod dedit Gen. 48. d Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob.

Eundem erat domino à Ierusalem per prouintiam Samaritanorum, ut perueniret ad Galilæam. Samariam illam olim prophanae gentes expulsis Israelitis occuparant sub regibus Assyriorum, inductis in eam conuenis hinc atque hinc contractis. Hi tandem multis afflictionibus eruditi diuinitus, aliqua ex parte Iudæorum religionem amplexi sunt, deum unum colere cœperunt, licet ritum diuerso: & ad Iacob Abrahamæ nepotem genus suum referunt, quod is habitauerit aliquando apud Chaldaeos. Solius Mosis libros recipiebant, prophetas non agnoscebant. Nomen autem genti inditum à monte Samor, in quo steterat urbs Samaria regni Israelitici metropolis splendida, à qua urbe totius prouintiae nomen erat Samaria. In hos igitur Samaritanos atrox ac publicum odium erat gentis Iudaicæ, ob memoriam per uim occupatæ regionis, & incolarum sedibus suis eiectionum, ritusque in plerisque diuersos. Sic enim receperant Mosis legem, ut ueteris superstitionis superessent multa uestigia. Quum igitur uenisset in Samariæ prouintiam ad ciuitatem quæ dicta est Sychar, ac deesset cibus: nam discipuli tantum inhiantes domino, de cõmeatu non prospexerant: ipse quidem Iesus non ingressus est ciuitatem, ne Iudæis probabilem calumniandi ansam præberet, quod Israelitis neglectis sese transferret ad gentes prophanas & impias, quemadmodum post grauis conuitij loco Samaritanum & dæmoniacum appellabant, discipulos passus est abire in ciuitatem emendorum ciborum gratia. Ipse solus ibi commoratus est: partim ut reditum suorū operiretur: partim ne deesset occasio miraculi: nouerat enim quid esset euenturum. Erat autem illic prædium quod dederat Iacob Ioseph filio suo. Locus erat sacer ac celebris apud Samaritanos ob ueteris historiae memoriam. Erat inibi fons quoque, uel ob hoc celebris apud eam gentem, quod eum Iacob, quo, ut dixi, generis authore gloriantur Samaritani, fodisset.

A Iesus autem fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora autem erat quasi sexta.

Dominus Iesus ex longinquo fessus itinere, quod pedes non eques aut uehiculis confecerat, nobis iam tum exemplum præbens, qualem oporteat esse Euangelij præconem. Sedebat illic ut se dabat locus, fonti imminēs, ac uelut ex aura fontis refocillationem captans. Erat autem hora fermè sexta iuxta Iudæorum supputationem, cum iam sol uergens ad meridiem æstu suo laboris molestiam cōduplicabat. Atq; his indicijs Iesus declarabat se uerum hominem esse, iisdem affectionibus obnoxium quibus obnoxia sunt corpora cæterorum hominum. Aliās siccis pedibus super mare ambulabat, ut diuinum aliquid ostenderet; nunc laborat ex itinere, ut nostras fragilitates gustaret in humanitate.

Venit autem mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. Discipuli enim eius abierant in ciuitatem ut cibos emerēt.

Accessit interim mulier quædam Samaritana, ut ex eo puteo, cui assidebat Iesus, hauriret aquam. Cui Iesus ut statim colloqui præberet argumentum, & ex hoc ipso quod agebat mulier, uenaretur illam ad salutē, dicit illi: Mulier, da mihi bibere. Commodum autem interim abierant apostoli, quod Iesus illi quædam arcana dicturus esset, quæ apud alios dixisse petulantius uideri poterat. Qua quidem in re dominus Iesus ciuilitatis & mansuetudinis exemplum exhibuit Euangelicis doctoribus, qui peccatricē & non unā prostituta pudicitia mulierem adeo non dedignatur alloquio suo tam clementi, ut etiam pudori impudicæ solitudine consuluerit. Volebat Christus indicare se esse Messiam, qui eo tempore expectabatur, seseq; fontē esse aquæ uiuæ, & refrigerare quotquot ad illum uenerint. Assumit autem sitim, ut potari cupiat à muliere ista, quæ non uenerat ea causa ut Christum requireret. Ita gentes quæ non quæsierunt iustitiam, per gratiam & misericordiam iustitiam consequute sunt, ut certo sciamus salutem non ex nostris meritis sed ex diuina misericordia contingere. Gratia salui facti estis. Sed & usq; hodie nobis Christus loquitur refrigerari à nobis cupiens, fide nostra & charitatis operibus: desiderat enim salutem nostram. Erant autem apostoli cibum non sine pecunia, ne sibi usum pecuniæ indignum putarent fideles & apostolici.

B Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana: non enim contuntur Iudæi Samaritanis.

Mulier è cultu linguæq; deprehēdens Iesum esse Iudæum, nec ignara quantum topere Iudæi soleant abhorreere à commertio Samaritanorum, adeo ut occurrit quoq; & colloquio se putēt contaminari, admirata quod & ultrò compellaret, & potum ab ipsa peteret, respondit: Qui sit, ut tu Iudæus cum sis, quemadmodum è sermone cultuq; conijcio, præter Iudæorum morem à me muliere Samaritana poscas potum, cum soleatis uos Iudæi à commertio nostro abhorreere, nefas esse ducentes, si quid habeatis consuetudinis nobiscum: erat enim planè ignara mysterij dei. Haud paruum autem miraculum est Christū relictis Iudæis gentes uocasse in suum populum. Odi autem causam multis Iosephus declarat lib. antiq. 9. sub finem, & 2. Regum 17. Dissidiū illud auxerat Sanabalath administrator Samariæ tempore Darij, cuius filiam acceperat Iosabab, sacerdos. Cui & templum ædificauit instar Hierosolymitani in monte Garisin, ad quem & Iudæorum multi concurrebant ad inuidiam aliorum propter uxores alie-

res alienigenas. Hinc factum est, ut templum hoc Samaritanorum, qui & Sy-
chimitæ dicebatur, à Sychem quæ & Sychar putatur metropoli, diceretur tem-
plum & mons transgressorum. His ergo ex causis Iudæi non communicabant
cum Samaritis. Cumq; domino uellent insigniter conuitiari, Samaritanum uo-
cauerunt.

Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum dei, & quis est qui dicit
tibi, Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam
uiuam.

Dominus Iesus qui nō tam sitiebat aquam illam, tamen uere iuxta carnis
naturam sitiebat, quā animarum salutem, sensim pellicit mulierculam ad co-
gnitionem Euangelicæ gratiæ, respondens hunc in modum per ænigma, quo
magis accenderet in ea discendi studium: Si nosset quā eximium sit donum
quod nunc uobis offert deus, & si nosset eum qui nunc aquæ potum abs te pe-
tit, tu potius petisses ab eo, & is dedisset tibi longe potiore aquam ista, uideli-
cer aquam uiuam. Hoc quum esset dictum de spiritu quem hausturi erant cre-
dentes Euangelio, mirū non est, si muliercula Samaritana nō intellexit, quum
Nicodemus & Iudæus & Rabbini non potuerit assequi quod aliquanto cla-
rius dixerat Iesus de renascendo à supernis. Quin ille crassius etiam respondit
quā hæc mulier. Nunquid, inquit, potest homo in uentrem matris iterum in-
troire, cum sit senex & nasci denuo? Hæc autem cum magnificum quiddā con-
cepisset ex eo quod dixerat Iesus, Si scires donum dei, & si nosset quis esset qui
daret aquam uiuam: non indigne tulit cōtemni puteum Iacob, de quo religio-
se sentiebat, non irrisit magnificam orationem & hospitis et ignoti & Iudæi, sed
discere cupiens, quid esset hoc, quod ceu nouum ac præclarum ostendebat, ho-
noris gratia dominum eum appellat, ut iam non humili de illo concepta opinio
ne. Atq; interim hoc mulierculæ Samaritanæ exemplum dispensatione diuinæ
consilij procuratum est, ad coarguendam ac traducendam Iudæorum peruer-
sillius & salutarem doctrinam impie calumniarentur, quum hæc muliercula ci-
uilliter ac mansuete responderit ad omnia, doceri gestiens, adeo ut in æstu com-
morans, & oblita eius rei cuius gratia uenerat, penderet ab ore ignoti hominis
& alienigenæ, de quo nihil adhuc præclari audierat. Nihil respondet Christus
ad hoc quod mulier petiuerat. Omnia fert Christus, ut nos ipsius fruamur beni-
gnitate. Aqua uiua donum est spiritus sancti. Eius dator est filius dei. Cuius do-
num Iudæi inuidēt Gentibus. Vbi summa necessitas urget hominem non est
habendus respectus personarum. Vbiq; ad se nos uocat dominus, Venite om-
nes ad me. Videmus ignorantia diuinæ benignitatis causam esse cur tam pauci
Christum accedant. Euangelij prædicatio utilissima ac necessaria, ut dei libera-
litas maximis encomijs celebretur.

Dicit ei mulier: Domine, neq; in quo haurias habes, & puteus altus
est, unde ergo habes aquam uiuam? Nunquid tu maior es patre nostro
Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora
eius?

Non sine nostra utilitate mulier illa tam crassa est, & ferè iocatur cum Chri-
sto. Sed utilis est illa iactantia, quo commodius Christus suam indicet liberali-
tatem. Domine, inquit, tu mihi polliceris aquam hæc præstantiorem, cum fons
iste nobis ceu præclarū munus datus est nobis à Iacob patriarcha, & adeo non

contempſit hanc aquã, ut ipſe de eo biberit, & ſua omnia. Interim quoq; ne uas quidem habes quo haurias aquam, & puteus profundus eſt. Alienigena Iacob patrem ſuum uocat, quia legem Moſis agnoſcebat, & prædium quod Iacob filio ſuo dederat poſſidebat. Sic argutatur Iudaice: Quid opus eſt alia aqua, cum hanc à Iacob traditam habeamus? Quid opus eſt Euangelica doctrina, cum te neamus Moſen? Quid opus eſt ſacra doctrina, cum habeamus ſanctos patres? Non ſtatim diuina ſapientia ſe aperit, ſed abſcondit aliquandiu eloquia ſua, ut ſimus attentiores, quo poſtea maiori deſyderio illa non derelinquamus.

Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dabo, non ſitiet in æternum, ſed aqua quã ego dabo ei, fiet in eo fons aque ſalientis in uitã æternam.

Videns dominus docilem mulierem, quæ non magum ſuſpicata eſt, aut incantatorem, ſed magnum aliquem uirum, quem cum Iacob, de quo magnifice ſentebat, conferendum putaret, non dedignatur illam paulatim allicere ad maiorem ſui admirationem oſtendens aquam eſſe ſpiritualem, de qua loquebatur, quæ non reficeret corpora uel pecora, ſed animas. Qui biberit, inquit, ex hac aqua, quam uobis dedit patriarcha Iacob, ad breue modo tempus ſitit corporis ſedat, mox recurſuram. Cæterum ut intelligas quanto magnificentius ſit hoc donũ dei, de quo loquutus ſum dono Iacob, quantoq; præſtantior aqua quam ego polliceor, iſta aqua quæ ſcetet è terræ uenis, Si quis biberit ex hac aqua, quã illi ſi deſyderet daturus ſum, non ſitiet in æternũ, nec unquam poſtea ſiti periclitabitur, nec ſubinde aliunde petenda erit aqua, ſed ſemel hauſta permanebit in eo qui bibit, & in eo gignet fontem perpetuo ſcotentem uſq; ad uitam æternam. Hæc per ænigmata dicebat Ieſus, ſciens mulierem nondum capacem myſterij de fide, per quam datur ſpiritus, qui ſemel acceptus nunquam deficit, ſed uſq; proficit, donec prouehat hominem ad uitam æternam. Nihil fatiat animam niſi ſolus deus, qui replet bonis deſyderium noſtrum. Hoc fideles experiri uolunt in ſe, quantum donum ſit, quod filius dei pro nobis paſſus ſit, à periculis nos exemerit, tunc tandem ſatiamur de patris benignitate. Scimus nobis nihil deſuturum, pater dedit filium, & cum illo omnia conceſſit. Hæc fides docet, & doctri dicimus: Nunc dimittis ſeruum tuum in pace &c. Qui ergo credit filium dei, per hauſtum ſpiritus uiuet: qui mandata dei reueretur, & audit ſermones Chriſti, habet in ſe deum habitatorem, qui eſt fons uiuus: ſeminarium uitæ habet hic ad ſancta opera, alibi ad beatitudinem peractam: non erunt tales otioſi, ſpiritalibus incumbunt ſanctis exercitijs & corporalibus.

Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non ſitiam, neq; ueniam huc haurire. Dicit ei Ieſus: Vade, uoca uirum tuum, & ueniat hic. Reſpondit mulier, & dixit: Non habeo uirum. Dicit ei Ieſus: Bene dixiſti, Quia non habeo uirum: Quinq; enim uiros habuiſti, & nũc quem habes, non eſt tuus uir: hoc uere dixiſti.

Tanta erat mulieris ſimplicitas, ut quum Iudæi ſoleant huiusmodi parabolas ſiniſtre interpretari, illa non intelligens quid eſſet dictum, tamen credens et amans, diceret: Domine, impartimihiquæſo iſtam aquam, ne ſubinde recurrente ſiti, cogar hunc adire puteum, & haurire. Hæc quanquam erat craſſa reſponſio, tamen animum arguebat ad credulitatem pronum. Proinde quoniam non humilem opinionem conceperat de Ieſu, maioribus ſux diuinitatis argumentis prouocat, ut magnificentius etiã de ipſo ſentiat. Ieſus igitur ueluti non commu-

communicaturus rem tantā nisi marito præsentē, iubet ut uirum suum accersat, atq; illo comitata mox ad se redeat. Hoc audito mulier existimans sese apud hominem tantum loqui, muliebri pudore cupiens dissimulare turpitudinem suam, Domine, inquit, uirum non habeo, inficiens matrimonium, sed dissimulans stuprum. Hic Iesus & suam declarans diuinitatem, & mulieris uitā comitans arguens, Recte, inquit, dixisti, tibi non esse uirum. Etenim quum quinq; uiros habueris ad libidinem, nullum tamen habuisti legitimū, atq; hic ipse quem nunc habes, non est uir tuus legitimus; nihil igitur hic mentita es. Mulier ubi sensit uitæ suæ domestica probra non latere Iesum hospitem & Iudæum, qui quod narrabat ex hominum narratione scire non poterat, non resilit ab illo pudescens, non irritata regerit contumeliam, sed magis etiam in illius admirationem inflammatur; quum si quid tale Iesus dixisset pharisæis clamaturi fuerint: Magnus est, & dæmonium habet. Quid autem hæc pia peccatrix Samaritana?

Dicit ei mulier: Domine, uideo quia propheta tu es. Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & uos dicitis, quia Hierosolymis est locus ubi adorare oportet.

Hoc profecit mulieris credulitas, primum Iudæum dumtaxat appellat, miratur non perinde tenacem religionis Iudaicæ, quod præter aliorum morem à Samaritana postulare potum; mox dominum appellat: nunc prophetici tituli honorem tribuit, quod ex sese nosset aliorū arcana. Moxq; omisso de rebus humilioribus sermone, cupiens è propheta sublimiora quædam discere, proponit quæstionem uelut inexplicabilem, de ratione adorandi deum, quod hic longe diuersum sentirent & Samaritani. Quum enim utraq; gens deum eundem adoraret, tamen Iudæi contendebant deum nusquam adorandum, nisi Hierosolymis in templo, quasi deus alibi non audiret uota precantium. Contra Samaritani, simili sed diuersa superstitione negabant deum usq; adorandum nisi in monte Garizim, quod is locus à Mose decretus esset, ubi patriarchæ benedicerent populo seruanti præcepta dei. Quum autem utraq; gens suis ritibus delectata, alterius religionem contemneret, mulier uelut è propheta talium rerum non ignaro cupit discere, utrius nationis sanctior esset cultus, quasi sequutura quod melius cognouisset. Ait itaq; oblita fornicationum suarum, & de religione uerbata edendo, quærit ut religiosa, dicens: Maiores nostri nempe à centum uel ducentis annis supputando, in hoc monte soliti sunt adorare, nec alibi fas esse putant deum colere, præscriptione uetusti temporis persuasi utentes, quum uos Iudæi contra ducatis abominandum in excelsis ac lucis immolare, nec alibi fas esse adorare deum, quàm Hierosolymis in templo, quo gloriantur illi, quasi deus ædificio manibus facto cõcludatur. Hæc mulieris interrogationē, quoniam ad ueram pietatem discendam pertinebat, Iesus aperit illi, prodito per Euangelicam doctrinam uero & spiritali dei cultu, prorsus abolendam gentium superstitionem, quæ de antiquitate & more gentium argumenta sumit, deorum ac dæmonum religionem abolendā, & Samaritanorum cultum, qui nec de deo sentirent ut oportet, sed ceu præcipuum quendam dæmonem crederent, & huius cultui dæmonum cultum admiscerēt, gentium impiam superstitionem dei cultui uelut ignem aquæ confundentes, & ad illorum exemplum in lucis ac montibus sacra peragentes, & Iudæorum religionem, quæ pro temporis ratione fuerat hæctenus crassa & carnalis, atq; umbras quasdam ueræ pietatis habebat uerius quàm pietatem ipsam, in melius profecturam. Et posthac deum plenius cognitum per filium & spiritum sanctum non solum in Iudæa, sed toto ter-

rarum orbe colendum, idēq; in sacratoriſſimis templis quā̄m erat illud Hieroſoly-
mitanum, uidelicet in puris hominum animabus, quos ipſe deus ſibi ſuo ſpiri-
tu conſecraſſet. Nec iam nidore pecudum deliniendum, ſed ſanctis precibus,
ſed pijs uotis, ſed caſtis affectibus. Verum hoc Euangelicā pietatis myſterium
aperturus, præfatur fidem, ſine qua nullus eſt idoneus auditor Euangelicæ do-
ctrinæ, nec idoneus cultor Euangelicæ religionis. Fides enim ſola purificat cor-
da, redditq; idonea quibus credantur philoſophiæ cœleſtis arcana. Hic tamen
notandum nobis duplicem eſſe religionem: unā uerbo dei confirmatam, quā̄
ſequi uidebantur eo tempore Iudæi, & certa erat; alterā opinione patrum ro-
boratā, quā̄ Samaritani habebant. Ipſa igitur gloriatur de paterna religione,
uolens tamen etiam comprehenſos, ut uideatur, patriarchas, quaſi ipſi magis il-
los ſequantur quā̄m Iudæi. Incertum tamen erat an perpetuo in hoc loco ado-
raſſent, nec lex aliqua conſtituta ut in loco iſto adorarent: imō apoſtate à uera
religione, perſuaſerāt ita populo, poſtea addiderūt ſic patres conſtituiſſe. Non
eſt tutum fidere exemplis patrum, quemadmodū continētia & obſeruationum
ceremoniarum, tempora apoſtolorū & aliorum patrum ſubſequētium. Abſq;
dei uerbo nihil introducendum. Hieroſolymis locus olim erat, ubi incolumes
manebant ceremoniæ Iudæorum, quæ ideo inſtitutæ ſunt, ut populus colle-
ctus unanimiter deum adoraret, ne ſegregaretur. Multum ad charitatē proxi-
mi faciebat, ut omnis Iſrael uno in loco ſua ſacrificia offerret.

Dicit ei Ieſus: Mulier, crede mihi, quia ueniet hora quando neq; in
monte hoc neq; in Hieroſolymis adorabitis patrē. Vos adoratis quod
neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt.

Mulier, inquit, mihi fidem habe, ſi uere prophetā exiſtimas, iam ad eſſe tem-
pus, quando & Samaritanorum impurus cultus abolebitur, & Iudæorum car-
nalis religio transferetur in melius: neq; poſthac adorabitis patrē in hoc mon-
te, qui non ſolum huius montis deus eſt, ſed totius orbis; neq; Hieroſolymis,
ſed ubicunq; erit piorum hominum congregatio, ibi futura eſt Hieroſolyma.
Nos interim uobis in hoc præſtamus, quod deum per legem cognitiui adora-
mus, quem conſitemur omnium rerum & gentium dominum, nec illius qui ſo-
lus adorandus eſt cultum aliorum deorum cultu contaminamus. Vos adora-
tis quod neſcitis, exſtimantes deum non eſſe deum niſi Iudæorum ac ueſtrum,
& talem, ut dæmonum admittat conſortium, cui ſoli debentur diuini honores.
Hæc Iudæos docuit lex, & unius dei cultui templum ipſius iuſſu conſtructum
eſt Hieroſolymis, quod templi ſpiritualis haberet imaginē. Inſtituti ſunt ſacer-
dotes, ad hæc ſacrorum ritus, uelut umbris quibuſdam deſignantes Euangeli-
cam pietatem. Hoc igitur uobis præſtamus Iudæi, quod melius de deo quā̄m
uos ſentimus, quod illius cultum nullo prophano deorum cultu contamina-
mus, quod in loco ab ipſo deo præſcripto, quod ritibus ab eo traditis illum col-
amus. Quanquam hæc interim religio, tamenſi perfecta non eſt, tamen ad perfe-
ctam pietatem gradus eſt. Et idcirco ſalutis initium à Iudæis profectum eſt, qui
per prophetas tenent promiſſa uenturi Meſſiæ, qui per legem tenent ſigu-
ras & umbras Euangelicæ pietatis. Nunc tempus eſt, ut falſa religio gentium
cedat, & carnalis cultus cedat ſpiritali, & umbræ legis cedant Euangelicæ lu-
ci. Inſignis hic locus, ad reiſciendas inutiles ceremonias, tum quod non eſt in il-
lis ſalus conſtituta, tum quod deo ultra non placent, qui à nobis maiora nunc
exigit. Quod ſi iſtæ ceremoniæ à deo inſtitutæ ceſſarunt tanquam inutiles, &
tanquam

tanquam umbra locum dederunt luci & ueritati, multo magis ceremonię quas homo inuenit & obtrusit, ut sunt monasticę ceremonię & ecclesiasticę, quę ci- tra dei uerbum sunt institutę. Alię ceremonię assumptę ex lege Iudaica, quibus sacerdotium illorum introducere tentarunt episcopi, deo nõ placent, quia subuerso templo etiã ceremonię sunt ablata, et pietatis studium surrogatum & commendatum.

Sed uenit hora & nunc est, quando ueri adoratores adorabunt patrem in spiritu & ueritate: nam & pater tales quęrit qui adorant eum. Spiritus est deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare. 2. Cor. 3. d

Instat nunc tempus imò iam adest, quando ueri adoratores patrem adorabunt non in templis, non pecudibus, non rebus corporeis sed spiritu, non umbris sed ueritate. Deus enim cum spiritus sit non delectatur puritate corporali, nec templorum parietibus, nec pecudum uictimis, sed spirituales adoratores amat, a quibus adoretur iuxta spiritum & ueritatem. Hactenus em̄ satis umbris & figuris Mosaicę legis datum: posthac ubicunq; mens erit per fidem Euangelicam a uitijs pura, ibi templum erit deo dignum; ubicunq; uota cęlestia, preces purę, cogitationes sanctę, ibi uictima quibus litatur deo. Nec tamẽ ideo ceremonias reijcimus, quas Christus instituit, baptismum & cęnam: quiddam enim nobis significant, non Christum adhuc uenturũ in carnem, lucemq; uenturam, sed gratias agimus nobis illuxisse lucem. Et quoniam charitas deo omnibus modis grata est, ideo sacrosancta huiusmodi symbola nemo charitate & fide uera præditus respuet. Nam interim siue utatur siue nõ, semper deum adorabit, semper habebit sabbatismum suum, nec loco addictus est nec tempori. Christianus erit memor suę libertatis, uerum ubi charitas docuerit utendum esse huiusmodi ceremonijs, nullus refragabitur. Non quęrit deus tale templum quale habebatur Hierosolymis, qui in animabus hominum tanquam in templo habitaculum habet. Deus spiritus est, ideo non opus tali loco: nam ista omnia imperfectionem sonant. Deus autem adorari quęrit absq; omni simulatione & modo perfectissimo.

Dicit ei mulier: Scio quia Messias uenit, qui dicitur Christus: cum ergo uenerit, ille nobis annunciabit omnia. Dicit ei Iesus: Ego sum qui loquor tecum.

Hoc Iesu sermone tantum profecit simplex & patiens mulieris credulitas, ut quem prius Iudęum mox dominum, deinde prophetã appellarat, nũc ipsum Messiam suspicetur. Nam & Samaritani ex Mosis promissis prophetã illum exitum expectabant, e Iudęis exoriturum. Itaq; respõdet hunc in modum: Scio Messiam uenturum, quem Iudęi expectant, de quo iam apud Iudęos multus rumor ferebatur. Is ubi uenerit explicabit nobis hæc omnia, quę de nouo dei cultu dixisti, neq; quicquã nos patietur ignorare. Hęc uero usq; hodie opinio uiget & famatur apud Iudęos, ut quicquid in lege & prophetis obscurum est, & nondum a quoquam expositum, id per uenturum Messiam expectetur clarissime exponendum. Alij Eliã dicunt huiusmodi explicaturum. Iesus autem uidens tantam mulieris docilem credulitatem, & ardens cognoscendę ueritatis studium, quamlibet peccatrix esset, quale non repererat in suis Iudęis, dignatur illi aperire quis esset. Expectas, inquit, Messiam uenturum. Hunc sci- to uenisse, iamq; uides illum: nam ego sum, inquit, qui loquor tecum. Ego sum

ille ipse magister, quem totus orbis expectat, qui arcana hominum cognoscit, qui docet ueram religionem, & quid pater cœlestis requirat ab omnibus: nempe ut in illum credentes habeant uitam et salutem aeternā. Tarde Christus se reuelat, consciētiam prius ingerit ignorantiae homini, & peccatorū agnitionem. Deinde auellit à falsa religione, & ad ueram inducit: sic tandem apparet, sic plerisque uere cognitus erit Christus, ubi à superstitionibus fuerint liberati, tunc uere docebit illorum corda, ut ipsum agnoscant.

D Et continuo uenerunt discipuli eius, & mirabantur quia cum muliere loquebatur: nemo tamen dixit: Quid queris, aut quid loqueris cū ea?

Simul his dictis aderant discipuli, redeuntes ex oppido, & prius quam acciderent, conspicati illum cum muliercula Samaritana colloquutum, mirabantur tantam illius humanitatem: nemo tamen ausus est illum interrogare, quid rei peteret à muliercula, aut qua gratia cū illa colloquutus esset. Certe id commodi accepit ex colloquio domini, ut fide illustraretur, & Christum quem desyderabat agnosceret. Nunc sequitur quos fructus fides ipsa afferat. Nam qui fide illustrantur, seipso abnegant, & sua nō quærunt, sed ea quæ sunt Christi. Non est enim otiosa fides uera in homine, sed agnito Christo contemptis proprijs rebus hoc unum curat, ut gloriam dei prædicet.

Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & uidete hominem qui dixit mihi omnia quæcūq; feci: nunquid ipse est Christus? Exierunt de ciuitate, & ueniebāt ad eum.

Mulier stupefacta sermone domini Iesu, nihil quidem respondit, sed relicta apud puteum hydria (iam enim aquæ sitis exciderat, gustata aqua quam promiserat Christus) properat in ciuitatem, & ex Samaritana peccatrice subito facta est apostola: narrat palam omnibus, ut plurimum conscientia sua fidem confirmet, Venite, inquit, & uidete hominem admirandum, & occultarum rerum consciuum, qui quum hospes sit, & nunquam mihi uisus, tamen narrauit mihi secreta mea quæ fecerim. Fieri potest ut is sit Messias. Nolite fidere dictis meis, ipsi potius facite periculum, & me non uanam esse comperietis. Videte nū ipse sit Christus, qui potest occulta cordium cognoscere, utiq; plenus gratia. Erat autem tempus ut aggregarent se etiam alij populi ad Christum, quandoquidem à Iudæis negligebatur. Quod uero hic fit, tenuis quaedam figura est & umbra, & quæ sit conuersatio eius: nam erat tunc magna expectatio Christi, Prophetie iam impletæ erant, propter quod talia audiētes aueritate uidendi egressi sunt, in typo gentilium omnium, qui aliquando erant ad Christum accessuri, & certatim accursuri. Ita pulchre præludit Christus hac quadam figura.

Interea rogabant eum discipuli, dicētes: Rabbi, manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare quem uos nescitis. Dicebant ergo discipuli ad inuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare?

Dum prædictum rumorem mulier spargit inter ciues Sychar, interea discipuli suspicantes Iesum iam fame cruciari, inuitāt ut cibum caperet, quem emiserant. De uino nihil dicitur: potandi enim erant ex puteo, Christus dominus omnium cum suis discipulis. Iesus autem ubiq; captans occasionem homines à corporalium rerum cura ad spiritualium studium euehendi, quemadmodum mulierem

mulierem ex mentione aquæ pellexerat ad cognitionem Euangelicæ fidei, ita discipulos adhuc rudes ex occasione cibi prouocat ad studium euangelizandi. Et tunc forte non sitiebat aquam putei, & si sitiebat, magis tamen sitiebat hominum salutem, & tamen ex affectu mulieris quæ uenerat aquam haustum captata est sacri sermonis occasio. Ita tamen tunc esuriret secundum carnis naturam, tamen maior quædam fames habebat illum seruandi generis humani, cuius gratia uenerat e cælo. Discipulis igitur ad corporis refectioem inuitantibus, Mihi, inquit, alius est cibus quæ edam, quicquid mihi magis est cordi quam iste quem uos adfertis. Hoc dictum quid sibi uellet admirantes discipuli, nec audentes tamen interrogare pro reuerentia præceptoris, ne quid offenderetur interloquebantur. Quid hoc sibi uult? An interim dum nos absumimus alius quispiam attulit ei cibum? Certe esuriebat cibum, salutem gentium, quas cupit adducere ad patris cognitionem. Esurit nos ipsos, ut nos in se traiciat. Nos in ipsum mutamur si induerimus mores Christi per nouitatem uitæ, patri obediens cælestis, sicut & Christus obediens patri fuit usque ad mortem. Quod maxime desideramus id dicimus esurire.

Dixit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me, ut perficiam opus eius. Nonne uos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt, & messis uenit?

Quo magis insurgeret in animos eorum, quod prius obscure dixerat dicit apertius. Me, inquit, leuissime mouet iste cibus corporum, est alius cibus, qui mihi præcipuæ curæ est, nimirum ut perficiam id cuius gratia me huc misit pater cælestis. Hæc est mea fames, hæc est mea sitis, ut obeam quod ille mandauit. Tempus urget, & hominum pronæ mentes ad Euangelicam fidem flagitant operam prædicatorum. Si uos qui rei corporum studetis, nostis instare metendi tempus, postquam à semente facta quatuor menses præterierint, quanto magis oportet nos non negligere spiritualis nostræ messis tempus?

Ecce dico uobis, leuate oculos uestros & uidete regiones quia albæ sunt iam ad messem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in uitam æternam, ut & qui seminat simul gaudeat & qui metit:

Quemadmodum ipsa seges iam flauescens falcem et messorum operam quasi flagitat: ita si sustuleritis oculos uestros, & obseruaueritis humanarum mentium segetem, etiam apud Samaritanos & Ethnicos properantium ad Euangelicam doctrinam, intelligetis regiones undique uelut albescere ad messem Euangelicam, & operam ac studium nostrum flagitare. Quod si fructus spes facile prouocat messorum ad operam, quanto magis oportet uos alacres esse ad hanc messem patri colligendam, quæ & messori præmium in cælis amplissimum parabit, & deo colliget non triticum in horrea, sed animas hominum in uitam æternam. Atque ita futurum est, ut pariter gaudeat & qui sementem fecit, & qui metit. Vocat autem conuersionem hominum per Euangelium demissionem, quod ita essent animi hominum præparati ac maturi, ut paruo negotio sæpe ad unam annunciationem plurimi illud reciperent: quod cum alias tum in Samaritis istis clare apparuit, dicente Luca in Actis: In Samaria acceperunt spiritum sanctum. Illa est ergo egregia merces quam spectant operarii, ut quam plurimos lucrifaciant, de quorum salute lætentur. Illa messis mansura est in uitam æternam, cum alia deuoratur ab hominibus & muribus. Consolatur ergo discipulos quos prouocat terrore laboris magnitudo.

in hoc enim uerbū uerum, quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego misi uos metere quod uos non laborastis: alij uero laborauerunt, & uos in labores eorum introistis.

Vsu quoq; uobis uenit quod uulgato Prouerbio dici solet: Alium esse qui ferit, alium qui metit. Plus est sudoris in semente quam in messe, profcinda da tellus rastro, sarculoq; comminuenda gleba, laramine stercorandus ager, iaciendum semen, occidendum ac tuendum, reuellenda zizania: ceterum ubi iam seges maturuerit non magno negotio demetur. Paratus autem fructus lenit laboris tedium. Ceterum hic secus accidit quam in messe corporali. Nam illic quoties iuxta uulgi Prouerbiū ad alium deuenit fructus messis quam ad eum qui sementem fecerat, gaudet quidem messor, sed discruciat fructus leniter enim caret fructu suo. Ego uos misi ad metendum segetem, in qua uos non laborastis. Prophetæ suis laboribus subegerunt arua & mundum adhuc intrastabilem sua doctrina præpararunt Euangelio. Vos nunc in eorum labore succeditis, & rem paratam aggredimini, mundo se iam ultrò præbente celestis doctrinæ & mortalibus in regnum cælorum uel per uim rumpere conantibus. Visum namq; deo fuit, ut tam Iudæi quam Græci palam peccato obnoxij apparerent, atq; ita tum manifestum fieret omnem iustitiam per fidē Iesu Christi dari. Laborarunt ergo quicumq; siue apud Iudæos siue apud Gentes uera docuerunt, quia multis uigilijs uel nihil uel parum profecerunt. Cum autem deo uisum est per filium suum uera iustitia mundum donare, ita Euangelio cooperari per spiritum sanctum coepit, ut breuissimo tempore ubiq; solida iustitia uigeret, ueraq; pietate homines innumeri tam Ethnici quam Iudæi florent. Cui Euangelio quia præcedentibus doctrinis scribarum & philosophorum conscientia agitata desiderioq; iustitiæ accensæ fuerant, recte dicit dominus, Apostolos in laborem eorum qui ante populos docuerunt introisse. Utitur autem frequenter dominus allegorijs ac parabolis, quod aptæ sint ad docendum rudiores, ad excitandum auditorum animos, & ad insigendum tenacius quæ audiuntur. Hærent enim diutius, quæ quis cum attentione percipit, iuxta illud Plutarchi: Suscipiat, inquit, oratio quæ instituitur ad moderandū animos multitudinis, forense dicendi genus, sententias, historias, fabulas, metaphoras, quæ maxime mouent, si modice & in tempore adhibeantur.

Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorū, propter uerbum mulieris testimonium perhibentis, Quia dixit mihi omnia quæcunq; feci.

Dum huiusmodi sermonibus dominus Iesus cohortatur suos discipulos ad negotium Euangelicum, res ipsa declarat esse uerū, quod dixerat de messe iam albescente. Nam in ciuitate multi Samaritani crediderunt uenisse Messiam, quum illa nihil aliud esset testificata de Iesu nisi quod aperuisset sibi occulta uitæ dedecora. Ceterum nec ipsum loquentem audierant, nec ullum uiderat ex ipso miraculum. Tam prona erat etiam illorū credulitas qui uidebantur à prophetarum promissis alieni. Erat hæc subita Samaritanorum conuersio, prædium uocationis gentium. Ideo uoluit eam dominus magnificā esse uti plane fuit, cum ad unius mulierculæ confessionem multi statim crederent.

F Cum uenissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem

monem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuius, & scimus quia hic uere est saluator mundi.

Procurrit multitudo Samaritanorum è ciuitate ut oculis cernerent de quo tanto affectu prædicauerat muliercula. Nec minuit opinionem præsentia, nec offenduntur humili cultu raroq; & tenuium ac idiotarum discipulorum comitatu, quum Iudæi tot uisis miraculis, tot sermonibus auditis, tot beneficijs affecti, uel calumniarentur illum, uel conuictijs incesserent, uel saxis eijcerent. Deniq; Samaritani ad mulierculæ testimoniū obuiam procurrunt, non suę gentis homini, quem nondum loquentem audierant, à quo nihil præclari gestum uiderant, & precibus inuitāt ut urbis suę hospitio dignaretur uti. Quid autem clementissimus Iesus? Nouerat Iudæorum inuidiam, nouerat odium in Samaritanos, & nondum aderat tempus, ut illis ob inuincibilem incredulitatē repulsi, Euangelij prædicatio demigraret ad gentes. Proinde sic temperauit negotium, ut nec probabili quadam specie præberet occasionem suis querendi se spreto ab eo, sibiq; antepositos Samaritanos, quum prophetia promiserit Messiam ipsi uenturum esse, nec Samaritanorum piam credulitatem omnino destitueret. Nam quod per Samariam fecerat iter necessitatis erat, quod ab ipsis rogatus commoratus est illic biduum dumtaxat, humanitatis erat, quam nemo poterat calumniari. Iamq; audito Iesu, multo plures illic crediderūt, & eorum credulitas confirmata est, qui ex mulierculę uerbis præclaram opinionem conceperant de Iesu. Iamq; plenum & uero Iudæo dignum testimoniū ferunt de Iesu, dicentes mulieri: Tu parcius de illo prædicaras quàm res habet. Nō enim nos iam tuis uerbis adducti credimus hunc esse Messiam, sed ipsi ex eius sermonibus admirandis certum habemus, quod hic est uere Messias ille, Iudæis expectatus, qui salutem adferet non Iudæicę genti tantum, sed toti mundo. Hoc tam alacri tamq; pleno testimoniō Samaritani & suam declararunt credulitatem, & Iudæorum impiam credulitatem coarguerunt. Iesus igitur ne Iudæis daret odij maioris & inuidentię materiam, fortassis nullum miraculum adidit apud Samaritanos, nec nisi obiter & rogatus ad eos diuertit, nec nisi biduo illorum hospitio usus est, sed mox institutum iter peregit, & proficiscitur in Galilæam.

Post duos autem dies exiit inde, & abiit in Galilæam. Ipse enim le-

Matth. 23. 2

Marci 6. 4

Luca 4. 6

habet. Proficiscitur quidem dominus in Galilæam, quum autem tum haberet obuiam suam patriam, nō tamen eò deflexit, non quod eam contēneret, sed quod ob contemptum & incredulitatem suorum quibus secundum carnem erat notus & cognatus nō speraret aliquem Euangelij fructum, & prædicatio crimen incredulitatis conduplicasset: nunc enim leuiore culpa diffidebant doctrinæ Iesu. Rogatus autem dominus quare non se conferret ad suos, ostēsurus quantus esset, usurpauit illud tritum uulgi sermone Prouerbiū, Prophetam nusq; esse contemptum nisi in sua patria, & inter cognatos suos. Sic enim est affectus hominum, ut familiaritas contemptum pariat, & pleræq; res illis non ob aliud in pretio sunt, quàm ut è longinquo uenerint. Vbi autem uerbum dei contemnitur, illic non est annunciandum. Nocet ualde externam considerare dignitatem. Nō moremur per sonā, ad ipsum potius quod adfertur uerbū dei animum aduertamus. Humilia secundū carnē deus eligit, ut supba reijciat et cōfundat.

Matth. 4. b
Marci 1. b
Luc. 4. c

Cum ergo uenisset in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, cum omnia uidissent quæ fecerat Hierosolymis in die festo: etenim ipsi uenerat ad diem festum. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam uinum.

Quum in Galilæa iam ob Ioannis testimonium ob miraculum quod illic nuper ædiderat rumor satis honestus de illo sparsus esset, quum eò uenisset, exceperunt eum Galilæi, præsertim quod Hierosolymis uidissent eum efficiens ementes ac uendentes è templo, ceteraq; quæ illic tum teste populo magna cum autoritate gesserat: nam & hi Galilæi tum conuenerant Hierosolymam ad diem festum. Nimirum hæc omnia condemnant incredulitatem pharisæorum, & Euangelicam gratiam ad Gentes demigraturam præcludunt. Samaritani ad precationem mulierculæ credunt, alienigenam ad hospitium pertrahunt, Messiam mundiç liberatorem profitetur, quum nullo miraculo illos fuisset dignatus dominus Iesus, quæ necessaria fidelibus non erant. Galilæi crassa & legis imperita natio, apud quam nullus unquam extiterat propheta, uis miraculis credere cœperunt. Hierosolymitani sacerdotes pharisæi & scribæ, qui uidebantur & religionis apicem tenere, & legis peritia præcellerant, tum facta tum dicta Iesu peruicaciter calumniabatur. Itaq; quo sibi quisq; uidebatur esse iustior ac religiosior, hoc longius aberat ab Euangelica pietate, & quo quisque uidebatur iuxta iudicium humanum longius abesse à prophetarum ac legis cognitione quæ Christum promittebat, quoç; magis alienus à religione, hoc erat ad Christum quem lex promiserat propensior, ac doctrinæ Euangelicæ capaxior. Itaq; Iesus Galilæam ingressus recepit se in Canam Galilææ, ubi ante diem aliquot uerterat aquam in uinum. Id miraculum initio paucis cognitum, post populari rumore diuulgatum, nonnihil bonæ opinionis conciliauerat domino Iesu, sed tamen quæ non responderet eius dignitati. Perpauci enim credebant illum esse Messiam, pleriq; prophetam esse suspicabantur. Canam igitur repetebat Iesus, nō ut ex miraculo illic ædito laudem aucuparetur, sed ut ex ea seмене quam occulte fecerat, nunc messem aliquam meteret: hoc enim erat quod ille sitiebat, hominum fidem Euangelio dignam. Et hic rursus exortum est argumentum Iudæis suam incredulitatem exprobrandi.

G Et erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia Iesus adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet & sanaret filiū eius: incipiebat enim mori.

Regulus ille prophanum aliquem Cæsaris nomine magistratum gerebat, nec Iudæus nec Samaritanus, sed Ethnicus, & ab omni religione Iudæorū alienus. Huic erat filius unice charus, qui periculose ægrotabat in ciuitate Capernaum. Is cum audisset quod Iesus relicta Iudæa se reciperet in Galilæam, ipse profectus è ciuitate Capernaum domi relicto filio uenit ad eum, precibus ab eo contendens, ut unā secum proficisceretur Capernaum, ac sanaret filium eius. Maior autē erat morbi uis, quā ut ad Iesum ægrotus deferri potuerit: iam enim cœperat agere animā, cum abiret regulus. Erat aliquid fidei in hoc regulo, sed multo minus quā decebat habere erga Christum. Inter prophetas Christum æstimabat, putabat necessariam ipsius præsentiam, Christus tamen nequaquam auersatus est eum. Qui de corporali præsentia Christi contendunt, non sunt absimiles huic regulo, quorum nemo tamē negat gratiam, deitatem, potentiam, beneuolentiam ubiq; esse. Aequè nunc deus est Christus ut ante resurrectionem,

urrectionem, qui suos non relinquit etiam constitutus in caelis.
 Dicit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dicit ad eum regulus: Domine, descende prius quam moriatur filius meus. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo sermone quem dixit ei Iesus, & ibat.

Indicans Iesus adhuc imperfectam esse reguli fidem, qui nondum crederet filium sanari posse, nisi Iesus eò se contulisset, quasi medicum accerseret, aut quia si non posset & mortuo uitam restituere, sed magis arguens quorundam Iudeorum incredulitatem, qui nec miraculis uisis crederent, ait regulo: Illorum, inquit, fiducia mihi gratissima est, qui nudo sermone nullis miraculis confirmato credunt: uos mihi non creditis, nisi uideritis signa & prodigia. Regulus ut erat totus intentus periculo filii morientis, nihil ad hunc sermonem domini Iesu responderet, quod existimaret huiusmodi colloquio tempus eximi, quum morbus posceret praesens remedium. Urget igitur, ut properet uenire Capernaum prius quam moreretur filius: quasi frustra uenturus, si post exhalatam semel animam uenisset, quum nihilo difficilius esset Iesu, animam semel elapsam reuocare quam exire parantem in corpore retinere. Iesus itaque non obiurgata fide reguli, re ipsa ostendit, se longe plus posse quam ille posse consideret. Nihil, inquit, opus est, ut hac gratia me conferam Capernaum, abi, iam filius tuus quem morientem reliquisti uiuit & ualet. Hoc dicto non nihil confirmata est reguli fides: nam is strenuus sermone Iesu domum properat.

Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia eius filius uiueret. Interrogabat ergo horam ab eis in qua moriatus habuerit. Et dixerunt ei, Quia heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei Iesus, Filius tuus uiuit: & credidit ipse, & domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum uenisset a Iudaea in Galilaeam.

Occurrerunt serui rem laetam nunciaturi patri de filio, quomodo morti proximis subito reualuisset, ne iam sollicitaret Iesum, cuius opera nihil esset opus: suspicabantur enim puerum casu quopiam conualuisse, ignari quid actum esset inter regulum & Iesum. Hic uero diffidentia reguli mixta fiduciae fidem aluit miraculo. Regulus enim certo scire cupiens casu ne an uirtute Iesu reualuisset filius, sciscitatus est a famulis, qua nam hora filius coepisset habere meliorem. Tum illi: Heri, inquit, hora septima subito reliquit eum febris, & ilico ualuit filius. Agnouit pater hanc fuisse horam, qua sibi dixisset Iesus, Abi domum, filius tuus uiuit. Iamque certum habebat, non casu sed uirtute Iesu reuixisse puerum. Nec fructu suo caruit hoc miraculum, quanquam in hominem Ethnicum collocatum. Non solum enim ipse regulus credidit Christum esse Messiam, uerum etiam illius persuasionem & exemplo credidit uniuersa familia, quam frequenter ac numerosam esse oportuit, utpote hominis opulenti & magistratu functi, quum Iesus apud suos populares & cognatos multis aeditis miraculis uix pauidisset a Iudaea in Galilaeam, ut prius miraculum quod adiderat in Cana rursus altero maiore confirmaret, & hominis prophani exemplo suos ad fidem prouocaret, iam tum ceu praeludens per occasionem & Iudaeos ob suam incredulitatem repellendos, & Gentes per fidem ad Euangelij gratiam recipiendas. Mul-

ta & alia signa fecerat Christus in Galilæa, sed in Cana fecit hoc secundū. Tan-
tum ergo de prima profectioe annotauit Ioannes, nūc sequitur secundū iter.

CAPVT V.

A **B** Ost hæc erat dies festus Iudæorum, & ascendit Iesus Hieroso-
lymam. Est autem Hierosolymis Probatica piscina quæ cogno-
minatur Hebraice Bethesda, quinq; porticus habens.

Lactis his rerum initijs apud Samaritanos & Galilæos, Iesus rursus se con-
fert Hierosolymam ad diem festum, quis tandem is fuerit siue pentecostes eius-
dem anni, siue pascha sequentis, uel etiam tabernaculorum. Elegit autē diem
festum, in quo maior populi congregatio, ut doctrinam suam clarius manifesta-
ret, nolens docere in occulto, sed ubi omnes Iudæi conueniunt. Legem quoq;
ut iustam obseruare uoluit, frequentando solennitates lege institutas. Diligen-
ter hanc historiam Euangelista describit, deinde ad disputationem cum Iudæis
descendit, qua diuinitatem suam non minus astruit quā ipso miraculo. Erat
autem Hierosolymis piscina siue lacus quidam, quæ Græcis dicitur Probatica,
nimirum à pecudibus, quod illic sacerdotes hostias immolandas abluere sole-
bāt: & ab eodem argumēto Hebræis, hoc est uulgari Hierosolymitarū lingua,
quæ erat Syriaca, & imperfecta Hebraica, dicitur Bethesda fortassis בֵּתֶשֶׁתַּיִם
quasi dicas domū pecualem. Lacus hic habet imminentes sibi quinq; porticus.

In his iacebat multitudo magna languentium, cecorum, claudorum,
aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem domini secun-
dum tempus descendebat in piscinam, & mouebatur aqua. Et qui pri-
mus descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus fiebat à qua-
cunq; detinebatur infirmitate.

Israeliticus iste populus peculium dei erat, promiserat se habitaturū in me-
dio eius. Hinc quamlibet grauer identidem ipsum offenderent, ut tamen de-
clararet quā firma esset sua electio, semper mira illi beneficia in regione illa et
urbe præstabat præ alijs populis. Tale iam fuit & hæc quam Euangelista com-
memorat salutaris laci cōmotio, qua statis temporibus angelus domini descen-
debat in piscinā. Atq; hæc iam tū erat imago baptismi, quo diuina uirtute ac cœ-
lesti sordes morbiq; animarum quamlibet capitales semel abluuntur, quoties
ad elementum aquæ baptizātis opera cœlitus accesserit. Nec dubium est quin
hac occasione tum temporis ingens hominum frequētia in eo loco uersaretur,
uel eorum qui ad spectaculum conuenerant, uel eorum qui curam agebant æ-
grotorum, in quinq; porticibus decumbentiū. Omnes expectabant motionem
aquæ. An semel in anno ea facta sit uel mense, non indicatur. Certum est Chri-
sto crucifixo desisse hoc miraculum, ubi populus iste contra deum occiso filio
dei sic peccauit, indignus tali miraculo, unde piscina ista sublata est & miracu-
lum. Non autem omnes sed unus dumtaxat, ut intelligamus uirtutem sanandi
non naturalem, sed miraculosam, ideo tribuitur angelo qui mouerit aquam.

Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in in-
firmitate sua. Hunc autem cum uidisset Iesus iacentem, & cognouisset
quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri?

Ex omnibus his quo miraculum esset insignius, unum elegit omnium ma-
xime deploratum, ut qui morbo periculoso penēq; immedicabili, deinde ueru-
sissimo

stissimo teneretur, postremo qui maxime desyderaret alienum subsidium, & a deo tenuis erat agrotus, ut neminē parare posset à quo tempestiue deferretur in aquam. Nec ex ea turba sanabatur quisquam præter unum, cui contigisset primum in aquam descendere. Huius calamitas ad miraculi magnitudinem erat profectura, & eiusdem fides conducebat ad exemplum. Siquidem triginta iam annos rem habebat cum paralyti, ut nos doceret nullum esse morbum animi tam capitalem, quem non facile tollat baptismi spiritualis & diuina uis, quæ est & fides in Iesum. Hunc igitur omnibus deploratum paralyticum cum misericordissimus ille Iesus conspicatus esset, solutis morbo membris iacentem, & cognouisset malum hoc esse deploratius, quod iam triginta totos annos detinuerat miserum, misericordia tactus, dixit illi: Vis ne saluus fieri? uidelicet fidem & tolerantiam circumstantibus uolens ostendere, præterea uim morbi omnibus conspicuam facere, simulq; subindicans neminem ab animi uitijis sanari posse, nisi morbum suum oderit, & salutis desyderio teneatur. Neq; enim dubium erat, quin ille cuperet sanitatem, qui tot annis obsederat piscinam pertinaci spe salutis, nec toties frustratus spem abiecerat.

Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo ut cum turba fuerit aqua mittat me in piscinam; dum uenio enim ego, alius ante me descendit.

Paralyticus non respondebat ad id quod rogarat Iesus, & tamē aliquid bonæ spei ex illius tam alacri interrogatione concipiens, ostendit sibi non deesse uoluntatem, nec se diffidere ob morbi magnitudinem ac uetustatem, quin delatus in piscinam posset sanari, sed ait sibi deesse hominis baiuli opem, per quem mature deportaretur in piscinā, simulatq; moueretur aqua: nam ubi sensissent alij moueri piscinam, pro se quemq; properare, ut primus ingressus salutis beneficium solus auferret: ipsum uero morbo tardum ac baiulo destitutum, frustra iam prorepere in lacum, quum alius prius descendisset. Hæc autem paralytici uerba eò tendebāt, ut uerecunde rogaret Iesum, uti ipse qui ualidus erat, ac ut uidebatur ex compellatione misericors, quum tempus esset sese deferret in piscinam. Id quidem non audebat palam ab eo petere, tamen exposita necessitate subindicabat quid obstarat ad salutē: nec enim nouerat agrotus Iesum.

Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Et statim factus est homo ille, & sustulit grabatū suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo.

Dominus Iesus delectatus hominis tolerantia, qui quod pleriq; calamitosi solent, nō uociferaretur, non deuoueret seipsum, non execraretur diem in quo natus esset, nec offensus interrogatione Iesu, an uellet sanus fieri, clamaret sese ab eo haberi ludibrio, simulq; commotus dominus tam pertinaci spe salutis ad piscinā, deniq; uolens ostendere & eos qui motu piscine sanabantur, sua uirtute sanari, sibiq; in promptu esse solo nutu omnes & corporum & animorum morbos posse tollere, dixit illi: Surge, tolle grabatum tuum & ambula. Simulq; cum dicto sanatus est homo, ut non solum liber esset à morbo alioqui languidus & imbecillis, quemadmodum solent qui medicorum arte sanantur, sed ut absq; hominis adminiculo subrigeret sese in pedes, lectulum suum in humeros sustolleret, atq; ita robustus lecti sui baiulus ambularet, ac diuturni morbi momentum cunctis uidentibus domum referret. Erat autē sabbatum cum hæc faceret paralyticus, atque inde calumniæ seminarium pharisæis, qui quæ legis

erant carnalia, & non nisi ad tempus data & locum, superstitiose tuebantur, neglectis ijs quæ erant præcipua ac perpetuo duratura. Sabbatorum otium uio-
lasse nefarium erat, ab illis uero proximum fraudasse sabbato, nullius erat mo-
menti. Sabbato sustulisse grabbatum impium uideri uolebant, inuidere misero
sanitatem culpa non erat. Nouerant paralyticum, sciebant multis annis decu-
buisse, constabat eum iam esse ualidum, nec ulla morbi uestigia præ se ferentem.
Ex tanto miraculo et glorificare deum debuerant, & sanato gratulari, nisi uere
impium fuissent erga deum, & inuidi in proximum.

Dicebāt ergo iudæi, illi qui sanatus fuerat, Sabbatum est, non licet ti-
bi tollere grabbatum tuum. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi
dixit, Tolle grabbatum tuum & ambula. Interrogauerunt ergo eum:
Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabbatum tuum & ambula?

Adoriuntur iudæi hominem qui sustulerat grabbatum, et obiurgant peruer-
se religiosi, Sabbati dies est, inquit, cui debetur otium, non est fas tibi tollere
grabbatum tuum. Ille non dissimulans beneficium acceptum, & Iesu authorita-
te criminis inuidiam à se depellens, significans eum qui rem tantam uerbo præ-
stare potuerit, homine simul & sabbato maiorem uideri, respondit calumnian-
tibus iudæis: Is qui me simplici uerbo sanum fecit, iussit ut grabato sublato am-
bularem. Hoc audito quum iam ob miraculum credere debuerint, non solum
inuidebant sanato, uerum etiam restitutæ sanitatis auctori moluntur insidias.
Volebant enim uiolati sabbati crimen in eum impingere, quod & aliàs non se-
mel fecerunt. Cæterum is qui sanatus fuerat, non nouerat de nomine Iesum, de
facie tantum nosse poterat, sed tum quidem commonstrare non poterat, quod
Iesus loquutus paralytico statim subduxisset sese à turba, partim ne sua præsen-
tia magis irritaret iudæorum inuidiam, partim ut ipso abeunte miraculum ma-
iorem cum fide cognosceretur, ex eo qui sanitatis beneficium senserat. Erat san-
cta gloriatio non in suis uiribus, sed potius in ipso gloriabatur, lectulum portans
qui sanauerat. Facile iudæi coniecrabant, cuius opera sanatus esset, sed præci-
piunt ne ferat. Ibi ergo humanæ traditiones erant & diuinæ. Plus deo quam ho-
minibus obediendum, & magis sectari mentem legis oportet quam obserua-
re cum iste gestaret sabbato lectulum, esto sudauerit sub sarcina, tamen obserua-
bat mentem legis, quia sanctificabat & glorificabat deum & Christum, qui ius-
serat. Iudæi hærebant in sola externa quiete. Hi non obseruabant sabbatum,
quandoquidem non adeo curabant gloriam dei, nec salutem proximi quam
deus magnificat. Vnde ipsi ex diuino præcepto faciunt pharisaicum. Verum
alioqui esset, Sabbatum erat, siquidem impediretur per gestationem lecti ho-
nor dei, cui dies est consecranda. Indigne etiam iussisset Christus, indigne etiam
obtemperasset ille: sed quia gloriam dei maxime illustrabat, recte iste obtem-
perauit. Conferantur & aliæ traditiones humanæ de castimonia, paupertate,
obedientia &c. & ad mentem legis regulentur. Postquam autem certi fuerimus
de iussu diuino, quicquid pharisei obmurmurent deo magis pareamus quam
hominibus. Curatus ille animaduertebat admirabilem prophetam ad minus ui-
deret, Surge & ambula, poterat & dicere, Tolle grabbatum & ambula. Callide
autem & ex inuidia non querunt Quis te sanum fecit? sed Quis ille est qui dixit
ut tolleres lectum?

C Is autem qui sanus fuerat effectus nesciebat quis esset. Iesus autem de-
clinauit

clinavit à turba constituta in loco. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus sanctus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Videtur is qui incolumis factus in templo orauit deo gratias egisse, ut doceat post accepta beneficia ne ingrati simus. Recte Christus illos inuenit qui grati sunt: sicut ingratias quæ data sunt auferuntur, ita gratis dona multiplicantur. Antea non nouerat Christum quantum esset, iam se ille indicat ostendens ei in quanto periculo fuerit, adhiçiens, Attende sedulo quantum beneficij acceperis, propter peccata incurristi incurabilem morbū, adhuc peccare potes, sed caue iam curatus ne fias ingratus. Ob peccata immittit morbos non solum lex & propheta, sed & hic Christus & apostolus testantur, 1. Cor. II. Propter hoc multi inter uos imbecilles &c. Etsi enim quidam cum morbis nascatur, quos nondum uideantur meruisse, proueniunt tamen ex parentum transgressione & agnato peccato. Quos enim suis deus morbos immittit, non solum in hoc immittit ut eos sic castigatos reducat in uiam, sed etiam saepe in hoc, ut in officio contineat, atq; à flagitijs arceat.

Abijt ille homo, & nunciauit Iudæis, quia Iesus esset qui fecit eum sanum. Propterea persequebantur Iudæi Iesum, quia hæc faciebat in sabbato.

Postea cognouerat is cui contigerat sanitas eundem esse, qui prius iusserat tolli grabatum, & qui nunc testatus se esse sanitatis authorē, admoneret ne peccatis iteratis recideret in morbum aliquem grauiorem, eiq; nomen esse Iesum, abijt ad Iudæos calumniatores, & indicauit Iesum esse cui suam deberet sanitatem. Existimans illud multorum interesse, ut omnibus notus esset, qui uerbo posset sic mederi morbo deplorato. Atq; hic quoq; se prodit Iudæorum exitio digna peruersitas. Etenim cum Samaritani Iesum ad mulierculæ testimonium honorifice excepissent, cum Galilæi inter Iudæos ob ignobilitatem & legis impenitentiam uulgo male audientes Christo credidissent, cum regulis Ethnicis, ut uidetur, ob unicum miraculum cum tota familia Iesum mundi seruatorem esset professus, Hierosolymitæ & urbis nobilitate & templi religione tumentes, & exacta legis peritia sese uenditantes, Iesu struunt calumniam adeo destinata malitia, ut quum sanitatis beneficium euidentius esset quàm ut negari posset, esset et sanctius q̄ ut reprehendi posset: quid em̄ sanctius quàm homini calamitoso tanto tempore, dare salutē corporis: illud tamē impingunt Christo, quod neglecto sabbato iussisset tolli grabatum, quasi homo conditus esset ob sabbatum, ac non potius sabbatum hominis causa repertum, aut quasi non oporteat legis ceremonias ubiq; cedere præceptis & officijs sanctioribus. Quanta autem cecitas indignari Iesu quod hominem miserandum sanasset sabbato, cum ipsi qui sibi uidebantur legis tenacissimi, non reuererentur asino in puteum delapsi sine cuius auxilio non poterat sanari homo, in asino subleuato non existimant uiolari sabbati religionem. Hæc est præpostera religio Iudæorum, speciem religionis amplectentium, & ob id ueræ religionis caput subuertentium, mordicus tenentium legis umbras, & eum cuius gratia lex erat scripta obstinatis animis persequentium. Non enim solum calumniabantur Iesum, uerum etiã persequebantur, non ob aliud nisi quod rem sanctam ac piam fecisset in sabbato.

Iesus autem respondit eis: Pater meus usq; modo operatur, & ego

operator. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat deum, æqualem se faciens deo.

Domini Iesus ut ostenderet se sabbati dominum esse non seruum, auctorem non subditum, simulque declararet Iudæorum calumniam, quam impingebant filio ex patris autoritate facienti quæ faciebat, ad ipsum patrem recidere, his uerbis retundere conatus est Iudæorum calumniam: Pater, inquit, meus cœlestis, cuius uos uideri uultis religiosi cultores, quique uobis sabbati fuit auctor, cum orbe sex diebus condito, septimo requieuisset ab opere, non ita se obligauit otio, quin quoties uisum est, possit quæ uelit operari. Nam cum illius sabbatum adhuc daret, non cessat tamen ab opere, quo gubernat omnia quæ condidit, quo subinde res alias ex alijs progenerat, quo collapsa restituit. Quemadmodum igitur ille ob religionem sabbati, quo dicitur ab opificio mundi conquisuisse, non desinit quotidie benefacere mortalibus, ac rebus creatis omnibus: ita ego qui filius illius sum, ab eo & potestatem & exemplum habens operandi ea quæ faciunt ad generis humani salutem, non impedior religione sabbati, quo minus ea perficiam quæ pater mandauit. Qui si me damnatis ob sabbatum uiolatum, eadem opera damnatis & patrem meum, qui mihi & exemplum est & auctor hæc agendi. Quod si illum absoluitis, & glorificatis ob salutem hominum deplorato restitutam, cur mihi sabbati uiolati crimen impingitis, ac non potius agnoscitis uirtutem sabbati religione maiorem? Ego uitam misero restitui, uos mihi ob tantum beneficium mortem machinamini. His tam sacris Iesu sermonibus tantum abest, ut Iudæorum furor factus sit mitior, ut magis etiã exacerbati tumultuarentur aduersus illum, captantes occidendi occasionem, propterea quod iam non solum uiolaret sabbatum, sed & deum sibi tanquam proprium patrem usurpabat, semet illi æquans in operibus & autoritate faciendi quæ uellet. Dominus autem Iesus intellecta illorum malitia, pergit illos clarius expositorum suum temperans, ut nunc sublimia quædam loqueretur, diuinam naturam insinuans quam habebat cum patre communem, nunc humiliora quædam admiscens, quæ naturam humanam testarentur, ut si illos non pelliceret ad amorem hominis affinitas, certe diuinæ uirtutis sublimitas cohiberet ab impia temeritate. Sic autem uindictam sibi consortium potestatis cum patre, ut illi tamen cedat auctoritatem.

Respondit itaque Iesus, & dixit eis: Amen amen dico uobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quod uiderit patrem facientem: quicquid enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit.

Quoties de gloria dei agitur non est cedendum aduersarijs, sed magis obstitendum etiam cum periculo uitæ. Proinde non est impatientiæ quod Christus non cedit, sed zelus pro gloria patris respondere etiam indignis. Graue crimen intentatur Christo, nempe blasphemiam, quod se patri æqualem dixisset. Miramini, inquit, quod operandi societatem mihi uindicaui cum patre. Illud etiam atque etiam affirmo uobis, filius qui totus à patre pendet, non potest quicquam à se facere, cum ex se non sit, sed quod uiderit patrem facientem idem & ipse facit. Est quidem uoluntas ac potestas eadem, sed penes patrem auctoritas, unde proficiscitur in filium quicquid est aut potest filius. Quicquid igitur fecerit pater hæc eadem pariter operatur & filius, ob æqualitatem communicatæ potestatis

statis per natiuitatem æternam. Inter homines sæpe degenerant à parentibus filij, nec eadem semper est patris ac filij uoluntas, nec eadem facultas. Secus hic res habet. Eadem sunt opera patris & filij. Quanquam autem apud Isaiam dicitur: Gloriam meam non dabo alteri. Gloriam tamen suam creationis, uiuificationis, iudicij, filio concedit, quæ opera planè diuinam ostendunt gloriam. Est & insuper uere filius lux & splendor patris, habet quicquid est in substantia, & ipsa substantia patris, nisi quod non est pater, sed filius, sola proprietate personali distinctus à patre non essentia, sicut & à spiritu sancto.

Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit, & D maiora his demonstrabit ei opera, ut uos miremini.

Pater unice diligit filium, suiq; simillimum genuit, paremque potestatem operandi transfudit in illum, omniaque demonstrat filio facienda quæ facit ipse. Exemplar ab ipso proficiscitur, cæterum operatio communis utriusque. Condidit ille mundum, & idem mundum etiam sabbatis moderatur. Condidit hominem, idem etiam sabbatis seruat hominem. Quisquis igitur calumniatur opera filij, patrem afficit contumelia. Hæc quæ uidetis me facientem sabbatis, authore patre ac patre præscribente facio. Quod si mirandum uidetur, atque humanis uiribus maius, dicto restituere sanitate paralytico, pater ad cuius præscriptum filius facit omnia quæ facit, declarabit quod suo filio his etiam maiora demonstrarit opera, quo magis etiã miremini. Nam longe potentius est excitare mortuos ad uitam quam ægroto restituere sanitate. Et hanc quoque potestatem pater tradit filio.

Sicut enim pater suscitatur mortuos, & uiuificat: sic & filius quos uult uiuificat.

Duplex est resurrectio, carnis & animarum. Quædo scilicet renouamur in cordibus nostris accipimus spiritum diuinum, ut poeniteat uitæ pristinae. Id pater facit, Iere. 31. Scribam legem in cordibus illorum. Hoc ipsum facit & filius. Pater per filium mittit spiritum sanctum. Filius dicit se mittere spiritum sanctum à patre. Ille spiritus nos alios facit homines, uiuos coram deo ex mortuis per peccatum. Tradit ergo perpetuam ac propriam potestatem, ut quemadmodum pater solo nutu suo suscitatur mortuos, & ad uitam reuocat: sic & filius eadem potestate quos uult ad uitam reuocat. Quicquid enim pater agit, per filium agit: quicquid agit filius, ex uoluntate patris agit. Eadem ergo est patris filijque uoluntas, quemadmodum est eadem & potestas.

Nec enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem: qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum.

Summa præcipuaque dei autoritas est iudicare mundum: rex enim est ac dominus uniuersorum. Et tamē hanc quoque totam potestatem impartiuit filio, cui tradidit omne ius iudicandi quicquid in cælo est, quicquid in terra, quicquid subter terram. Quemadmodum pater omnia condidit per filium, omnia moderatur per filium, omnia restituit per filium: ita nihil iudicat nisi per filium, per quem operatur: filius uicissim patris maiestatem declarat, unde habet quicquid operatur, ut utroque per alterum cognito omnes honorificent filium, quemadmodum honorificant patrem. Par enim est esse consortium honoris inter quos est consortium potestatis ac uoluntatis. Nolite putare quod patrem habeatis pro pitium uobis, si sitis à filio alieni. Quisquis honorat patrem in filio operantem,

idem honorat et filium ex patre operantem. Quisquis autē non honorat filium patri charissimum ac simillimum, idem nec patrem honorat, qui in hoc misit illum, ut per filium honorificetur. Nihil em̄ inter illos cōmune nō est, siue quid est honoris siue quid est ignominia. Qui filio diffidit, diffidit & patri à quo misus est in mundum, & cuius uoluntate ac præsripto facit quicquid facit, & per quem mundo pater loquitur, ut proprio uerbo suo & omnipotenti, quo omnia pater condidit, & quo uult audiri ab hominibus. Quemadmodum non medicus cre premiū erit credenti, ita non leuis erit pœna diffidenti. Nemo ergo seipsum seducat, quasi sit religiosus obseruator dei, si filium non honorat, & non eodem amore colit quo ipsum patrem &c. Omnibus modis uidemus æqualem auctoritatem esse patris & filij, ut deferatur idem honor patri & filio. Iudiciū autem erit per filium, si quis filium non receperit, condemnabitur; qui uero filio crediderit, is etiam patrem honorabit. Non est autem iudicium hoc modo accipiendum, quasi deus omnem potestatem iudiciariam à se reijciat, & non sit censendus iudex. Planē omnia nouit, non relinquet malum impunitum, sed non uult solus habere illam auctoritatem, sed cum filio et spiritu sancto. Cui filio Christo dedit omnem potestatem. Vult filium appellari deum, & haberi pro uero deo, alioqui non honorabimus eodem honore ut deum patrem. Dedit autem ei nomen quod est super omne nomen. Non tamen censendum quasi istæ duæ naturæ diuina & humana suas quoquo modo proprietates amiserint. Caro manet caro, & deus deus: filius Mariæ est euectus in cœlū cum gloria: filius uerbum omnia est in omnibus cum patre.

Amen amen dico uobis, quia qui uerbum meum audit, & credit ei qui misit me, habet uitam æternam, & in iudicium non uenit, sed transit à morte ad uitam.

Illud pro certo dico uobis, quisquis audit sermonem meum, & credit ei qui me misit & per me loquitur, iam habet uitam æternam; quisquis enim iustificatus est à peccatis, & per iustitiam uiuit deo, deum habet, & uitam æternam habet, nec huic metuēda est damnatio mortis æternæ, quæ manet incredulos, imò quæ iam habet incredulos, sed ablutus à præstinis flagitijs per fidem demigrat à morte ad uitam. Plus est animam peccato mortuam reuocare ad uitam quam corpus exanimam uitæ restituere. Sed utriusq; rei potestatem pater dedit filio, nempe uiuificare fideles, quod tunc agit, si audiatur uerbum Christi, & deo datur qui misit illum, licet assequi inde uitam æternam. Iam audire externū uerbum, non concedit nobis uitam æternam, necesse est ut corda nostra per dei spiritum expergefacta audiant internum magistrum, audiant spiritum sanctum; quamuis externum spiritus sancti instrumentum non sit negligendum, ut discamus illum sermonē qui missus est propter nos & passus, ut ineffabilem charitatem dei ad genus humanum sentiamus credentes. Transiit, inquit, à morte ad uitam. Non opus est ut quis de illo iudicet etiam in hac uita, nempe de sic innouato per spiritum dei. Antea filius mortis & ire, non poterat sibi persuadere deum sibi esse tam beneuolum, ut omnia dignaretur propter se facere, & ut filium suum qui pretiosior est toto mundo daret in mortem. Nemo hoc credit hominum gratia dei non imbutorū. Non poterat sibi polliceri dei gratiam: iam autem operatur opera bona, & quæcunq; facit, sponte agit & libere, quo spiritu Christi purgantur peccata fidelium et animæ reconciliantur deo, qui et gratis datur per Christum. Transeūt ergo illæ poenitentia & purgatoria introducta

ducta per auaritiā & ignorantia uerbi dei. Nam dicunt; Omnes fideles transeunt in purgatorium, infideles non transeunt. Cum non uenire in iudicium aliud non sit quam nullum peccatum illis imputari ad poenam. Etsi quidam hic puniantur, id fit non ut satisfaciant, sed ut humilientur, & alij illorum exemplo edocti resipiscant.

Amen amen dico uobis, quia uenit hora & nunc est, quando mortui audient uocem filij dei, & qui audierint, uiuent.

Hoc habete pro certissimo, quod instat tempus, imò iam adest, quo mortui quoque audiri sunt uocem filij dei &c. Excitati enim uelut à somno prodibunt è sepulchris & oculis, ac mirantibus uobis declarabunt sese uere uiuere. Sic reuiuiscunt & animæ mortuæ, si uocem audierint filij dei. Non audit autem qui diffidens audit. Olim reuiuiscunt & omnium corpora defuncta ad uocem filij dei, nunc in paucis ad uitam reuocandis, ædito specimine futuræ resurrectionis, id quod maius est agitur, ut ad eiusdem uocem animæ reuiuiscant. Quam tamen internam uiuificationem Iudæi non curabant, ut carnales ad corporum resurrectionem obstupescerent. Viderunt ergo resurgere plures, Lazarum scilicet & uiduæ filium, cum filia archisynagogi, & cum Christus moriens mortuorum corpora resuscitaret apertis monumentis. Quibus Christi operibus conuincebantur Iudæi, ut negare non possent opera diuina.

Sicut enim pater habet uitam in semetipso, sic dedit & filio habere uitam in semetipso, & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.

Vt nihil est uita pretiosius, ita nihil est diuinius quam dare uitam aut reddere. Non est quod diffidat quisquam potestati filij, si fidit potestati patris. Neminus dubium est, quin deus sit fons omnis uitæ, unde fluit omnibus ut uiuant, sicut in cælis siue in terris. Sed quemadmodum pater habet uitam in semetipso, ut eam quibus uelit impartiat aut restituat, ita dedit & filio, ut in sese totius uitæ fontem habeat, simulque tradidit illi ius iudicandi uiuos & mortuos. Huius enim sententiam euitabili, qui paruerint ipsius doctrinæ, transferentur in uitam æternam. Contra qui parere noluerint, addicuntur æternis supplitijs. Tot testimonij Christus asserit se esse filium dei, nempe patris uoce, Ioannis testimonio & scripturarum, tandem & ex operibus uiuificationis & iustificationis, quando immisso spiritu sancto corda renouat, & mortuos iuxta corpus resuscitat, breui ipse quoque resurrecturus à mortuis, quæ res planè diuina erat. Promittit consequenter & maius opus.

Nolite mirari hoc, quia ueniet hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient uocem filij dei, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem uitæ; qui uero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Matth. 24. d

Tantam potestatem esse traditam homini nolite mirari, quum idem sit filius dei. Hoc traditum est illi quod semper habuit cum patre commune; traditum, inquit, Christo secundum humanitatē uerbo unitam, ut Christus dicatur communicatione idiomatum resuscitator mortuorum, propter naturarum utrarumque unionem in una persona Christo. Interim uos date operam, ut per fidem digni sitis huiusmodi uita. Siquidem uenturum est tempus, ut omnes qui mortui sunt & sepulti, audiant omnipotentem uocem filij dei, atque ilico reuiuiscant corpora, & qui mortui fuerunt & humo conditi prodibunt è latebris terræ, sortituri credulitatis aut incredulitatis diuersa præmia. Nam qui hic bona fecerunt tum

reuiuifcent ad uitæ immortalis hæreditatem; rursus qui mala patrarunt, reuiuifcent ad æterna mortis supplicia. Fons autem malorum omnium est incredulitas, quemadmodum fons omnium bonorum est fides. Non est autem otiofa, sed affert fecum bona opera, nempe charitatis & misericordiæ. Quidam opinati sunt bonos & iustos dumtaxat refurrecturos, ut Iudæi quidã. Alij duplicem ponunt, ut Chiliastæ dicti olim, primo iustorum per mille annos, deinde bonorum & malorum. Sed una tantum erit generalis refurrectio. Quia autem Christus refurrexit, satis ex eius refurrectiõe corroboramur, ut credamus nos quoque refurrecturos, idq; ad imperium Christi, ubi ille uoluerit ut poterit eadem potestate qua omnia condidit. Cum autem dicitur, Qui bona fecerunt, intelligit eos qui fidem habent, quæ uere sanctis declaratur operibus.

Non possum ego à meipso facere quicquam. Sicut audio, iudico, & iudicium meum iustum est, quia non quæro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui misit me.

Nec est quod quisquam calumnietur filij iudiciũ uelut iniquum. Si patris iudicium iniquum esse non potest, nec filij iudicium, quod idem est cum patris iudicio potest iniquum esse. Nec enim aliud iudicat filius quàm quod præscripsit pater. Qui metuit patris iudicium metuere debet & iudicium filij. Nõ ego possum à meipso facere quicquam. Sicut à patre audio ita iudico, eoq; iustum est iudicium meum, quia non est mihi alia uoluntas quàm quæ est patris, ut aliquo pacto corrupta uolũtas corruptum pariat iudicium. Probatio esse potest, quod hic dicit, eius quod supra sibi sumpserat, Sua uoce olim omnes refurrecturos, simulq; eius quod hinc offendere poterat Iudæos, quasi sibi plus nimio arrogaret, occupatio. Cum enim nihil à se facit, sed uirtute patris omnia, facile uidere gtorio mortuos reuocare, sicut è nihilo antea condidit omnia.

Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum nõ est uerum. Alius est qui testimonium perhibet de me, & scio quia uerum est testimonium eius quod perhibet de me.

Apud homines leuis est fides illi qui testimonium fert de seipso, & arrogans habetur qui sua ipsius uoce sibi magna uindicat. Quod si solus ego mihi testis sum, sit apud uos testimonium meum uanum. Sed est qui de me testimonium perhibuit, cui uos plurimum tribuitis in cæteris: hic parum uobis constantes non creditis, cum sciam uerum esse illius testimonium, quia non ex sese protulit, sed ex afflatu patris. Non potestis tergiuersari nõ leue pondus habere apud uos Ioannis testimonium. Ipsi uos graues uiros ad illum misistis, tanquã à certissimo authore per ceteros homines cognituri, num ipse esset Messias. Ille non uendicauit sibi falsam laudem, quam illi uolebatis tribuere, sed ueritatem protolleret peccata mundi, & uitam daret mundo. Intelligi potest & de patris testimonio uerissimo, à quo cõmendatus est Christus in baptismo & monte, & patris certa sunt omnia. Vnde & hic Christus diuinitatem cõtra Iudæos potissimum probat ex operibus et testimonio patris. Nam alia testimonia, ut Ioannis & scripturæ, dei quoq; testimonia sunt & spiritus sancti. Transit ergo nunc ad secundum testimonium Ioannis, quod ipse præstitit, cuius Ioannis apud Iudæos maxima

xima erat autoritas, redarguens eos quare illi non habeant fidem, de quo sequitur.

Vos misistis ad Ioannem, & testimoniū perhibuit ueritati. Ego autem F

tem ab homine testimonium nō accipio: sed hæc dico, ut uos salui sitis. Supra 1. c
Eius Ioannis Baptistæ testimonium, cui tantum tribuebatis ut eum crederetis Messiam esse, apud uos pondus habere deberet, præsertim cum à me non sit procuratum, sed à uobis ipsis expressum. Ego quod ad me pertinet, nō opus habeo commendari hominis testimonio, sed Ioannis de me testimonium uobis ingero, non ut ego pluris apud uos fiam, qui nihil moror humanam gloriam, sed ut uos apud quos tanta est Ioannis autoritas, credentes ei de quo ille testificatus est, uiteris incredulitatis condemnationem & per credulitatem assequamini salutem. Non usquæ deo contendo uerbis, quasi ualde curem testimonium Ioannis, & quasi pendeā ab humanis laudibus: absit. Hæc propter uos dicuntur. Dignum uero est ut Ioanni habeatis fidem, etenim

Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem uoluistis exultare ad horam in luce eius. Ego autem habeo testimoniū maius Ioanne. Opera enim quæ dedit mihi pater ut perficiam ea: ipsa opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater me misit.

Magnus quidem erat Ioannes, sed lux illa promissa mundo non erat. Fide dignissimus erat, lucerna erat, ardebat charitate, uita honestissima, zelo pietatis & iustitiæ, ut alter Elias flagitia reprehendebat, absq; omni personarum respectu loquebatur regibus & amicis, nemini adulatus, magna libertate loquendi usus, qui & me non laudasset si uanum iudicasset. Vos autem cum illius indicio debueritis properare ad lucem ueram, quæ semper illuminat omnem hominem uenientē in hunc mundū, maluistis ad breue tempus in illius luce gloriari quam ueram amplecti lucem, quæ gloriam largitur perennem, nec unquæ obscuratur occiditue. Præluxit illi soli, mox cessurus & uero lumine emicante obscurandus. Uoluistis illum esse Messiam, qui se negabat indignum qui solueret corrigiam calciamentorū Messia. Cur ergo testimonium illius apud uos nunc leue est, quod de me tulit, quum alioqui tam magnifice de illo senseritis? Non pendeo à Ioannis testimonio, sed tamen optarem apud uos habere pondus me ipso certius habeo testimonium, nimirum patris mei, qui maior est Ioanne, cuius testimonium refelli non potest. Nullum est certius testimonium ipsis factis. Ea si uidetis esse digna deo, si uidetis à me fieri, satis de me testificantur, me nihil ex me ipso facere, sed ex eo qui me salutis uestræ causa misit in mundum. Non est igitur quod excusetis incredulitatem uestram, meamq; fidem eleuetis, quod ipse mihi dumtaxat sim testis, quum magna de me prædicem.

Et qui me misit pater, ipse testimonium perhibuit de me, nec uos Matth. 3. d habetis in uobis manens: quia quem misit ille, huic uos non creditis.

Habetis operum meorum testimonium, ut iam non necesse sit dictis cuiusquam credere, quum ipsi facta conspiciatis. Quod si ne hoc quidem incredulitati uestræ satis est, audistis apud Iordanē patris uocem è sublimi testificantem de me. Pater autem cum spiritus sit, nec uocem habet quæ possit auribus humanis percipi, nec speciem quæ cerni possit oculis corporeis. Nam Mosi non tantis apparuit & auditus est, qualis est suapte natura quemadmodum uos existis.

matis, sic enim soli filio uisus est atque auditus: & tamen aliqua uoce aliqua specie se uestris sensibus insinuauit. Loquutus est prophetis, per prophetas loquutus est uobis. Ioanni loquutus est, per Ioannem uobis. Mihi uero ut est scriptura natura loquutus est, & per me loquitur uobis. Quod si non tergiuersamini Ioannis testimonium palam fuisse redditum, cur illi non creditis? Si putatis Moysi & prophetis uere loquutum ac uisum deum, cur his quae per illos loquutus est non creditis? Promisit autem deus prophetam uelle se mittere, eum iam missum quare non recipitis? cuius opera de ipso testantia negare non potestis.

Scrutamini scripturas quia uos putatis in ipsis uitam eternam habere. Et illae sunt quae testimonium perhibent de me, & non uultis uenire ad me ut uitam habeatis.

Certe creditis scripturas esse profectas à deo, quumque in his scrutandis diligenter admodum uersemini atque in his summam uitae spem ac felicitatem collocetis, tamen quemadmodum Ioanni, cui in caeteris plurimum tribuistis, de me testificantem fidem habere nolulistis, ita scripturis in eo quod est omnium caput non creditis: promittunt enim illae uitam, sed per me. Testificatur illic pater de me, ac promittit se missurum filium, per quem salus sit danda mortalibus. Sed quemadmodum audistis Ioannem, nec credidistis, audistis uocem patris, nec credidistis: ita nec legis ac prophetarum testimonium haeret in animis uestris, cum libros semper habeatis in manibus, cum uerba iuxta prophetarum promissa misit non creditis. Cumque non sit aditus ad uitam nisi per me, tot testimonijs comprobatum, tamen omnibus contemptis non uultis uenire ad me, ut minimo negotio uitam habeatis. Nam credidisse filio quem misit pater salutis est ianua. Scripturis autem credere, & ex illis proficere, non est omnium. Animalis homo non percipit quae dei sunt. Et sunt pleraque in illis de Christo uaticinia admodum tecta, praesertim quae ex parte aliqua in alios quoque quadrent, qui tantum Christi typum gesserunt. Quicumque enim bonitatis dei insigniores ministri fuere Christi figuram retulerunt, de quibus saepe scriptura ea praedixit, quae in ipsis quidem partim apparuere, in Christo autem solo deum completa sunt. Quod uero adiecit, Vos putatis in ipsis uitam habere eternam, notauit praeposterum studium literae legis, quo sine spiritu Iudaei sibi ipsis placebant, & inflabantur externa scientia, qua contenti erant quasi totum obtinuisent. Optimum autem est scrutari scripturas, & per spiritum illustrari, & affici interne in deum, ad suam gloriam clarificandam, & ad procurandum animarum salutem. Aeterna uita datur tantum per gratiam Christi. Non facit scriptura etiam sacra hominem meliorem, nec praedicatio sine accedente spiritu & adflante.

G Claritatem ab hominibus non accipio, sed cognoui uos quia dilectionem dei non habetis in uobis.

Non est quod testimonio Ioannis aut prophetarum uener apud uos humanam gloriam, sed uestrum exitium doleo, qui uobis ipsis incredulitate uestra uitam inuidetis aeternam, simulque adimo uobis omnem excusationem, si non credideritis. Tot testimonia protuli, quibus uos alijs in rebus plurimam tribuitis auctoritatem, in me solo cuius gratia scripta dictaque sunt omnia non recipitis. Dei cultum & amorem praeparatis uobis fertis, prophetas per quos ille loquutus est ueneramini, & tamen à deo promissum, & operibus se declarantem quis sit aspernamini. Hoc nimirum est argumentum quod deum ficta religione colitis, nec uere

vere deum diligitis, quem lex iubet ex tota anima totisq; uiribus diligi, quum illius filium contemnatis. Incredulitas ergo uestra nõ est ex inopia testium, sed ex inopia ueræ charitatis in deum. Amatis gloriam humanã, amatis pecuniã, amatis uoluptates, & ad hæc abutimini ficta religionis specie. Filium autẽ dei persequimini, quod ea doceat quæ pugnant cum istis uestris prauis cupiditatibus, quanquam cum patris uoluntate consentiunt.

Ego ueni in nomine patris mei, & non accepistis me: si alius uenerit in nomine suo, illum accipietis.

Arguunt uos multa non ex animo diligere patrem. Etenim qui diligit credit & obtemperat, & qui patrem diligit non potest odisse illi charissimũ filium, & qui legantem amat, non potest aspernari legatum, præsertim cum ego nec gloriam nec regnum nec opes ambiam apud homines, tantum ambio gloriam patris, & in hoc ambio, ut uos seruemini. Videtis opera digna deo, et tamen hominum gloriam nõ mihi uindico sed patri, cuius sunt opera per me gesta. Quum igitur uideri uelitis religiose colere patrem, tamen me, qui illius nomine ueni, nec aliud ago quàm ille præscripsit, non recipitis. Reciperetis autem me, si me ipsum magnificarem, si adferrem thesauros, distribuerem delicias. Si quis uenerit carnales prædicans libertates, illum sequemini. Non solum de antichristo hæc scripta sunt, sed de omnibus qui terrena prædicant pertinentia ad fastum quæstum & luxum. Liquet impletum ex historia Barcasba temporibus Adriani, qui 7000 Iudæorum congregauit ad bellum, pro carnali libertate recuperanda, & iudicio dei occubuerunt, id ipsum aliàs sæpe factum legitur.

Quomodo potestis uos credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam quæ à solo deo est, non quæritis?

Quàm estis peruerse increduli mihi, qui patris nomine ueniens sibi dei gloriam arrogans, suumq; non dei negotium agens, uobis adferat ea quæ pertrahant in mortem æternam. Si uobis deus charus est, cur illius gloriam quærenti obstrepitis? Si uitam æternam amatis, cur authorem uitæ repellitis? Si impius est qui sibi uindicat dei gloriam, cur recipitis qui dei gloriam falso arrogat sibi? Quid igitur superest, nisi ut fateamini fictam esse uestrã pietatem erga deum? Verbis, cultu, ceremonijs colitis deũ, re uera odistis. In ore est templũ domini, laudis dñi, in corde est pecunia. In ore sunt lex & prophete, in corde est ambitio de tuo, & proximum tuum sicut teipsum, in corde est liuor & odium & homicidium. Vera laus est, meruisse laudem apud deum. Vera pietas est, omnem gloriam deo transcribere. Quomodo igitur potestis credere mihi nihil aliud prædicanti quàm gloriam dei, quum uos contempta uera gloria, quæ à deo proficiscitur, uenemini falsam gloriam apud homines, inuicem uobis adulantes, & deo suam gloriam inuidentes, captantes falsam religionis speciem apud homines, contempta sincera conscientia quam intuetur deus? Venantes sordidum lucrum huius mundi, perditis uitam æternam.

Nolite putare quia ego accusaturus sim uos apud patrem, est qui accusat uos, Moyses in quo uos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.

Mirum non est si habetis deum iratum, cui tam pertinaciter obsistitis. Nolite putare, quod ego cupiens ulcisci contemptum me, uos delaturus sim apud patrem. Nihil opus est me delatore, Moyses ipse uos deferet, cuius autoritatem

apud uos sacrosanctam fingitis & in quo summam fidem collocatis, habentes pro oraculo quicquid ille scripserit. Sed quemadmodum sicte Ioannem ueneramini cuius de me testimonium non creditis, quemadmodum sicte ueneramini prophetarum oracula, nunc eum persequentes quem illi promiserant, quem admodum sicte deum colitis, cuius opera non agnoscitis, cuius filium odistis: ita Mosen sicte colitis, cuius autoritas uobis leuis est in eo in quo maxime debebat ualere. Siquidem ille de me scripsit, non solum Gen. 3. & 12. & 49. sed & Deute. 18. & Exod. 20. Etenim maiores uestri offensi terribili uoce dei & igne pernicioso, deprecabantur ne posthac dei uocem audirent, aut ignem formidabilem experiretur. Deus approbavit postulationem uestram, ac Mosis promissum se suscitaturum de fratribus uestris eximum prophetam ipsi similem, cuius uocem placidam ac mitem nec territantem minis, sed ad salutem inuitantem opereretur audire. Cæterum huius dictis non obtemperanti poenam comminatus est deus, dicens: Qui autem non audierit uerba eius quæ loquetur in nomine meo, ego ultor existam. Rursum qui prophetam audierit in suo nomine uenientem, & ea loquentem quæ deus illi non mandauit, eum iubet interfici. Nemo igitur alius uos magis accusabit apud deum quam Moses amicus uester, cuius scripta contempnitis. Ille me promissum placidum, mitem, & omnia quæ deus uoluerit loquentem; talis adsum & repellitis. Ille iubet interfici, qui suo nomine uenientem uestris deprauatis cupiditatibus. Non solum igitur estis contumaces in me, uerum etiam in Mosen ipsum, cuius promissis diffiditis. Etenim si fidem haberetis Mosis, nimirum & mihi crederetis, quem ille promissum, & cuius dictis credi iussit.

Si autem illius literis non creditis, quomodo uerbis meis credetis?

Non igitur mirandum est, si meis dictis non creditis, quem palam ut humilem contempnitis, quum nec Mosis scriptis fidem habeatis, cuius autoritate tantam uideri uultis apud nos, & de quo tam magnifice sentitis. Huiusmodi dictis dominus Iesus lux & ueritas coarguit ac prodidit fictam Iudæorum religionem, qua nihil potest esse aduersus Euangelicæ ueritati, ut qui nec tot tantisque de ipso testimonijs commouerentur, nec beneficijs ac benignis uerbis allicerentur, nec minis terrerentur, nec æternæ uitæ desiderio prouocarètur ad fidem, nec gehennæ metu resipiscerent ab incredulitate, certe palam esset omnibus eos suo merito perire. Atque hæc si loquutus fuisset dominus Iesus apud Samaritanos aut Ethnicos, præsertim miraculis sermoni fidem conciliantibus, conuersi fuissent ad poenitentiam. At Hierosolymite scribæ & pharisæi & sacerdotes nihil ad hæc respondent, quæ refelli non poterant, persistunt tamen in parricidijs suis cogitationibus, & æternæ uitæ beneficium offerenti, mortis struunt consilia.

CAPVT VI.

A Post hæc abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis, & sequebatur eum multitudo magna, quia uidebāt signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.

Dominus Iesus ad tempus cedens Iudæorum insanix à simulatæ religionis opinione & imperita legis peritia tumidis se subducens, reddit sese simplicioribus, denuo proficiscens in Galilæam: non iam rursus in Cana, sed in eam quæ est ultra lacum, qui dicitur Tiberiadis, ob ciuitatem Tiberiadē à Tiberio Cæsare

Matth. 4. b
 Marci 6. c
 Lucæ 9. b

fare nominatam, lacui imminentem, ad eius occidentale littus. Illic habitabant magna ex parte gentes, sed non nihil in unius dei timore initiatos, ut erāt & Samaritani. Erat autem iam iudicium Iudæos indignos haberi uerbo dei. Huc autem proficiscentem sequuta est ingens hominum multitudo: partim allecta cupiditate miraculorum, quia uiderant eum insolita uirtute tollentē morbos hominum: partim ut ab eo sanarentur, qui morbis immedicabilibus tenebantur: partim illius inhiantes doctrinæ.

Subiit ergo in montem Iesus, & ibi sedebat cum discipulis suis.

Quum autem uideret dominus tantum ardorem promiscuæ multitudinis, ut obliti comatus sese procul in loca deserta sequerētur, iam miraculo suos discipulos præparans, quibus uolebat id quod facturum erat maxime comperit & infixum esse, nam adhuc rudes erant, in montē subducit sese, unā cum discipulis, ipsa re docens, eum qui populi se pastorem profiteatur, quanquam ut proficit suis sese plerumque miscet etiam infimis, tamen nonnunquam oportere mentem ad sublimiora quædam erigere, quoties sacro studio aut preceatione prouocandus est animus ad rerum cœlestium contemplationem. Turba manet in humiliori loco, soli discipuli comitantur Iesum, quod episcopos oporteat à fordidis temporalium rerum curis uacuos esse, atque ea quæ populus rudis miratur uelut è sublimi despiciere. Itaque semotus aliquantulum à turba confedit in monte Iesus cum discipulis suis, sed ita, ut turba esset in prospectu. Non enim oportet episcopos à Christo recedere, etiamsi populus hæreat in humilioribus. Et in monte sedendum, hoc est in studijs cœlestibus conquiescendum: in humilioribus quæ ex charitatis affectu pro tempore tractantur ambulandum potius quæ sedendum. Nec sic oblectandus est animus contemplatione sublimium, ut multitudinis cura nobis excidat. Nam episcoporum secessus in hoc ipsum adhibendus est, ut alacriores & instructiores redeant ad populi cōmodis consulendum. Nec enim conuenit eos qui Christi uices gerunt ad liberiores computationes, ad Venerem, aleam, uenatum, aut similes uoluptates secedere, sed in hoc ut in otio animus negotijs crassioribus fatigatus purioribus uotis, continuis precibus, sacris studijs, sanctis colloquijs ad Euangelij munus instauretur.

Erat autem proximum pascha dies festus Iudæorum.

Quum uero hæc geruntur in Galilæa, proxime instabat paschæ dies Iudæis cum primis religiosus. Atque magis iam cōueniebat illum uersari Hierosolymis, si religionis opinionem sibi uoluisset conciliare. Verum ut imagine quadam re bellibus sua domus relinqueretur deserta, deinde prodita iam Euangelica pietate, cessaturum omnem carnalem illorum cultum, atque ibi demum pure celebratum iri pascha, ubicunque relictis mundanis affectibus, ad cœlestium rerum amorem transferretur animus, maluit esse apud Galilæos in desertis quam Hierosolymis in templo.

Quum subleuasset ergo oculos Iesus, & uidisset quia multitudo magna uenit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes ut manducent hi? Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturum.

Quum Iesus apertis oculis in populum uidisset supra modum numerosam esse multitudinem, sic præparat animos discipulorum suorum ad certam miraculi fidem, ut primum uelit eis notam & animaduersam esse cibariorum penuriam.

riam, ac multitudinē quę subiecta erat oculis esse innumerabilē, & panes quos ipsi suis manibus porrigerēt Iesu ac populo distribuerēt esse per paucos, postremum cophinos quos iisdem ē conuiuij reliquijs collegerant esse multos ac pleanos, ne quid uel non intelligerent, uel non animaduertent, uel post non meminissent; nouerat enim suorum rudes adhuc & obliuiosos animos. Ait itaq; Philippo, tentans illius animum, & paulatim ad miraculi futuri fidem formās: Vnde, inquit, mercabimur panes ut sit isti tam numerosę multitudini quod edant: Hęc percontatus est dominus Iesus, non quod ipse nesciret quantum esset panum uel obsonij, sed partim ut quemadmodum modo dictum est, apostolos attentos redderet ad miraculi considerationem, partim ut omnes discerent quā non solliciti fuerint discipuli Iesum sequentes de comœatu, quāq; plebeio uiliq; cibo contenti essent.

Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; modicum quid accipiat.

Philippus nondum expectans miraculum, tamen si uiderat illum in nuptijs aquam uertentem in uinum, quum expenderet quā exiguum esset ipsis peccuniae subsidium, ad hęc quā ingens esset hominum multitudo, respondit: Domine, quid quærīs de panibus emendis? etiamsi ducentis denarijs emamus panes, uix suffecerint, non dicam ad saturandos istos, qui iam longa inedia famelicī sunt, sed ut uel paululum gustantes singuli famis periculum effugiant. Marcus narrat eos dixisse, Euntes emamus ducentis denarijs panes. Hęc dilectionis peruenerant, ut quęcunq; haberent in usum populi parati essent exponere. Excusat autem Euangelista dictum domini, quasi diceret: Ne putes Christum per ignorantiam quærissse, quum sciret quid esset factururus. Rogat autem discipulos, uolens commendare eis officium pascendi, utq; certiores reddantur de suis uiribus, quas inuenimus nullas esse. Hęc à pastoribus requiruntur & prædicatoribus, ut seipos cognoscant, ut panes habeant ad pascendum populos, edocti sint in lege domini, ut sciāt quā doctrinā plebi sint allaturi. Sed frustra laboraturi sumus in profectu negotij Euangelici, si nostro studio nitamur, si non dederit dominus incrementū, humanis uiribus nihil proficiemus.

Dicit ei unus ex discipulis Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinq; panes ordeaceos & duos pisces: sed hęc quid sunt inter tantos?

Vbi Philippus hęc dixisset, Andreas frater Simonis Petri aliquāto prudentior, iam utcunq; ad spem miraculi animum arrexit, sed nondum plena fiducia. Uiderat enim aquam uersam in uinū, nec omnino diffidebat et panes posse crescere, sed ad moderatam portionem, sic ut paucioribus minus, ex pluribus plus accresceret, quum Iesus ad panes creandos nulla opus haberet materia, qui uel ex nihilo quod uult & quum uult creat. Ait igitur Andreas: Est hic puer quidam, qui habet quinq; panes ordeaceos &c. Iesus ubi uidit illis non ignotam ciborum inopiam, & animaduersam immensam multitudinem animos illorum erigere uolens ad expectationem miraculi, mandauit apostolis, curarēt ut populus discumberet in gramine: nam erat illic graminis multa copia.

B Dixit ergo Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem scenum multū in loco. Discubuerunt ergo uiri numero quasi quinq; milia. Accipit ergo Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter

similiter & ex piscibus quantum uolebat.

Populi quoque erat simplex fiducia, obedientis apostolorum uocibus, quum nullum uiderent apparatus. Erant autem ferme quinque milia. Acceptos ergo quinque panes ordeaceos Iesus postquam ex suo more gratias egisset patri, fregit tradiditque discipulis ut distribuere populo. Iam tamen illos fingens & formas ut imagine corporali consuescerent pastores agere, & sermonis Euangelici dispensatores, animos gregis Christiani cibo spiritali pascere. Nam ille panis est qui de caelo descendit, uerbum dei patris, sapientia caelestis & diuina, quae & uitam aeternam impartit auide uescentibus. Hunc tradunt quidam ac dispensant ueri & non tantum titulares episcopi populo Christiano, sed non aliunde quam e Christi manibus acceptum, canonicam ueritatem de scripturis ecclesiasticis. Nec nisi gratias actis patri caelesti, praemissis feruentibus orationibus ad deum, cui conuenit acceptum ferri quicquid ad salutem humani generis pertinet, & ad quem uelut ad authorem dominus Iesus omnia referebat, quaecumque gessit in terris admiranda. Nos interim admonens, ut si quid in nobis fuerit e gregiae uirtutis, ne laudem uindicemus nobis, sed omnem gloriam transferamus in deum, unde proficiscitur quicquid uere laudem meretur. Iam quod fecerat de quinque panibus idem facit de duobus piscibus, distribuens discipulis, ac inter distribuendis manus ipsius arbitrata crescebat obsonium, quantum sciebat omnibus saturandis suffecturum, etiam usque ad largam redundantiam, quocertior esset miraculi fides. Utitur autem hoc uerbo etiam in Coena dominica. Ne putes esse quandam consecrationem *εὐλογία*, ut quidam exposuere, ut hic ita in Coena. Inde sumptum nomen *εὐχαριστίας*, quod gratiarum actionem significat. Gratias tunc agimus deo propter beneficia, & non solum propter passionem, sed & propter liberationem a peccatis et a damnatione per Christum acceptam.

Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite quae suprauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus ordeaceis & duobus piscibus quae superfuerunt his qui manducauerant.

Quum iam multitudo cibo repleta fuisset, dominus alio quoque argumento procurans certitudinem miraculi, ne quis praestigium aut imaginationem esse causaretur, dixit discipulis suis: Colligite reliquias conuiuii, ne quid pereat. Tantum autem reliquiarum compertum est superfuisse saturis omnibus, ut ex his impleti sint cophini duodecim. In tantam copiam Iesu benignitas auxerat exillem commeatum quinque panum ac duorum piscium, obiter nos docens, non oportere parcam esse in pauperes beneficentiam, sed multo magis eum qui patere ex diuine penae scripturae diuinae, quicquid ad erudiendos, admonendos, consolandos & animandos pertinet, qui huiusmodi indigent cibo. Poterimus & hoc ex facto & nos confirmare spem nostram, quod dominus non relinquit nos fame perire, potens est nos pascere, etiam si fuerimus in deserto. Commendat non solum praesentem populum pascere qui tunc aderat, sed & nos secuturos conseribendo Euangelia, epistolas, & alia in utilitatem ecclesiae. Non quidem manifestum praecipuum apostoli acceperunt ut scriberent, sed ut praedicarent. Nec tamen prohibuit, sed inspirauit & spiritu adegit sancto, ut scriberent sancti homines. Non est minus scribere multis, quam si ore praedices pluri-

bus aut paucis. Bonum est sancta scribere, quemadmodum & sancta loqui. Dona dei in ipsius magnificationem & gloriam expendenda sunt. Posteritati consulere sanctū. Vt quisque potest ita in ecclesie adificationem simplici intentione conetur.

Illi ergo homines cum uidissent quod Iesus fecerat signum, dicebāt: Quia hic est uere propheta, qui uenturus est in mundum.

Porro qui saturati fuerant, quum non ignorarent non repertos fuisse nisi quinque panes, eosque ordeaceos, & duos pisces, iamque tantum uiderent cophinorum superesse, coeperunt magnificare & magnifice predicare de Iesu, dicentes: Hic est uere propheta ille, iam diu expectatus, qui uenturus credebatur in mundum. Hoc plebis ingenium citius sentit beneficium uentris quam mentis. Uiderant maiora miracula, nec tamen unquam tam magnificum elogium illi tribuerunt. Saturitas hanc uocem extorquere potuit, uerum gratiarum actio fuit cum laude dei. Nos quoque gratiarum actionem de dei donis minime negligamus. Si uere fuerimus partii celesti pane, agnoscemus Christum illum esse quem Moses & prophetae dixerunt, non solum prophetam, sed uerum & unicum redemptorem & saluatorem mundi & nostrum.

Matth. 14. c
Marci 6. f

Iesus ergo quum cognouisset quia uenturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus.

Iam ut erant rudes adhuc & crassi, Messiam in hoc expectantes, ut regnum mundanum sibi uendicaret, consularunt inter se, ut Iesum raperent, sibi que regem constituerent, ubertatem rerum, annonae copiam, opes, libertatem, ceteraque huius mundi commoda sibi pollicentes, si talis rex contigisset. Iesus autem qui longe aliud regnum ambiebat, qui in hoc uenerat ut nos doceret opes, uoluptates, et gloriam mundi contemnere, non ignarus quid agerent, rursus subduxit sese in montem, unde parturus eos descenderat. Subduxit autem sese solus clanculum, sic ut non sentirent aufugisse. Ad regnum uocantibus futurim subduxit sese, ad crucem rapientibus ultrò occurrit, euidentis exemplar exhibens his qui uices ipsius essent gesturi. Non enim potest sincere dispensare sermonem Euangelicum, quisquis amat regnum & gloriam apud homines, quae adeo non sunt affectanda pastoribus, ut etiam si ultrò deferantur fugere oporteat. Non enim conuenit regno caelorum cum regno mundi, non profecto magis quam luci cum tenebris, deo & mammonae, spiritui & carni, caelo & terrae.

Vt autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. Et cum ascendissent nauim, uenerunt trans mare in Capharnaum, et tenebrae iam factae erant, & non uenerat ad eos Iesus.

Sequitur aliud miraculum, quo discimus fidere domino in medio periculo, & quam absente Christo tentemur & probemur, tamen non abesse nisi cor-pore, gratia nobiscum est & auxilio. Discipuli ergo cum diu expectassent dominum in monte orantem, iamque uespera appeteret, ne his locis desertis nox occurreret, descendunt in lacum, ut traicerent in ciuitatem Capernaum: nam ibi domicilium habebat dominus Iesus & confugium, sperantes fore ut uel inter nauigandum occurreret alia nauis, uel in ciuitate eum offenderent. Quum autem adornarent nauigationem, iam erant tenebrae: nec interim uenit ad suos diu multumque expectatus dominus Iesus, non ignarus quanto sui desiderio cruciarentur discipuli, sed absentia sua magis accedere uoluit suorum desiderium,

rium, simulq; docere, quantum periculi sit nobis, quantæ tenebræ, quanta tempestas immineat huius mundi, quoties à Iesu seiungimur. Atq; interim maiori miraculo paratur argumentum.

Mare autem uento magno flante exurgebat. Cum remigassent ergo quasi stadia uiginti quinq; aut triginta, uident Iesum ambulans supra mare, & proximum naui fieri, & timuerunt.

Lacus erat ingens, sic ut ab illis mare diceretur, cui nox horrorem addidit, & ne simplex esset periculum uenti uehementes, & ijdem aduersi magno tumultu concitabant lacum, & tamen desyderio magistri sui audent nauigare discipuli. Quum igitur procul abessent à littore iam remigio emensi stadia uiginti quinq; aut triginta, propeq; in summa desperatione uersarentur, aderat inexpectatus dominus Iesus. Videt enim per tenebras pedibus ambulans super undas lacus, perinde quasi solidam terram calcaret. Habet autem etiam in tenebris oculos Evangelica charitas, & ibi nox non est ubi adest Christus, nec tempestas illic exitialis est ubi in propinquo est is qui serenat omnia. Quum autem iam factus esset uicinus naui dominus, pauefacti sunt discipuli, suspicantes quoniam per tenebras non certum perspiciebant nocturnum esse spectrum, qualia nauigantes noctu multa conspici credit uulgus.

Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo eum accipere in nauim, & statim nauis fuit ad terram in quam ibant.

Iesus ut uoce iam nota ac familiari metum omnem illis adimeret, loquutus est illis: Ego sum, nolite timere, significans nullam quamlibet atrocem mundi tempestatem formidandam his quibus adest dominus. Adest autem omnibus suis usq; ad finem sæculi, qui simplici firmaq; fiducia pendent ab ipso. Discipuli uero receptis animis ad magistri uocem, cupiebant illum in nauim recipere, non nihil & illi metuentes, ut erat illorum imbecillis ac uacillans fiducia. Ceterum ut dominus Iesus demonstraret suis, uirtute diuina geri totum quod gerebatur, nec eam tempestatem casu fuisse sedatam, nauis quæ paulò ante hinc atq; hinc procul aberat à littore, subito appulerat terræ quæ petebant. His argumentis miraculum hoc diligenter infixum est animis discipulorum, quorum credulitas omnibus modis erat formanda confirmandaq;. Quod uero discipuli dominum recipere uoluerunt iterum in nauim, & hoc indicium est parue fidei, quia semper carnalem dominum somniabant, adeò nos quoq; tardi inuenimur, quandoquidem Christus non opus habebat nauigio, quin cum in medio maris dominus esset apud nauim, essetq; distantia magna ad littus, curauit tamen dominus ut breui momento nauis perueniret ad littus. Fidelis itaq; dominus non sinit suos ultra tentari quam ferre possunt.

Altera die turba quæ stabat trans mare, uidit quia nauicula alia non erat ibi nisi una, & quia non introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent: alia uero superuenerunt naues à Tiberiade iuxta locum ubi manducauerant panem, gratias agentes deo.

Turbam quoq; non omnino latuit hoc prodigij: nam postridie quam hæc gesta sunt, turba quæ remanserat in ulteriore ripa lacus, quum uidisset quod illic nulla esset nauicula præter unam, qua transmiserant apostoli, quos cum uisissent soluentes à littore, certum habebant cum illis non fuisse nauim ingressum Iesum, sed solos discipulos abisse, mirabantur quo nam ille se subduxisset,

quod ne mane quidem usquam appareret, diu multumque desideratus à populo quem pridie pauerat. Suspicientes autem illum non diutius abfuturum à suis discipulis, qui præcesserant decreuerunt & ipsi traicere, si forte illum in ulteriore ripa possent inuenire. Iam autem aderant illic naues aliquot, quæ uenerant non à Capernaum, sed à Tiberiade, quæ ciuitas & ipsa littoralis haud procul aberat ab eo loco, ubi passi fuerant quinque panibus ordeaceis, & affatim saturati, gratias agentes deo, qui talem prophetam misisset populo suo. Hæc omnia dicta sunt, quo magis commendetur & uerius agnoscatur miraculum. Omnis turba dabat testimonium, Christum absque nauicula mare transisse, unde & ualde admirabantur. Signanter autem addidit, dominum egisse gratias, cum ipse benedictione sua multiplicasset panes; tamen gratias patri agit, utque nos diuinis beneficijs ingrati non simus, idque non corde tantum agamus, sed uerbis & signis ad dei gloriam & proximorum exemplum. Præter potentiam domini in hoc ab Euangelista tot miraculis prædicatam, ut fidere nos illi doceret, simul quoque obseruandum est nos beneficia dei sine tentatione non satis erudire, nec dominum commendare. Quapropter nequaquam despondendus est animus cum aduersa inciderint. Domini sumus, in bonum nostrum aduersitates nobis deus ut nostri amantissimus immittit. Stupet alioqui ad diuina caro, neque speris ita ut aduersis excitatur; demum recte dei quoque beneficia agnoscimus, ubi tentationibus desiderium eorum in nobis extimulatum est & exacutum.

Cum ergo uidisset turba, quia Iesus non esset ibi neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & uenerunt Capharnaum quærentes Iesum. Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc uenisti?

Quum hæc naues adessent ad turbam traiciendam, nec Iesus multum que situs usquam inueniretur, conscensis nauigijs traiecerunt Capernaum, ibi que situri Iesum, quod illic haberet domicilium, & quod scirent apostolos eò traiecisse. Hic ubi repertus est Iesus, uiderentque illum traiecisse lacum, quum scirent nullam fuisse nauem qua potuerit traicere, demirantes quo pacto transisset lacum, rogant eum: Magister, quando huc uenisti? cupientes ex ipso tempore colligere quomodo transisset; suspicabantur enim & hic rem miraculo peractam, quemadmodum pridie pauerat immensam multitudinem. Iam autem ardor sole superioris diei refrixerat, quo conabantur illum uel inuitum ad regnum rapere. Iesus autem ne uideretur ostentare uirtutem suam, ad ea nihil respondet, ut miraculum maiore cum fide discerent ex discipulis, & ex cõpertis argumentis.

Respondit eis Iesus, & dixit: Amen amen dico uobis, quæritis me non quia uidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in uitam æternam, quem filius hominis dabit uobis: hunc enim pater signauit deus, & palam dicere Hebræorum more. Cæterum affectum multitudinis non solum inconstantem, sed etiam crassum minimeque dignum Euangelica doctrina, corrigi obiurgatione seuera, quod cum maiora uidissent miracula, diuinam uirtutem testantia, tamen magis illos commouerit saturitas unius conuiuij quam æternæ salutis desiderium, plurisque facerent corporis pabulum, quo rei paulò post periturae subinde & ad tempus succurritur, ac non multo magis esurirent illum cibum, sine quo perit in æternum anima. Deinde quod de se tam crasse sentirent,

sentirent, ut existimarent ipsum in hoc ædere miracula, ut mundanū regnum pro merito reciperet à tumultuaria multitudine: qui non in aliud pro temporis ratione miraculis aliquot specimē præbuit diuinæ uirtutis suæ, quæ ut per hæc quæ sensibus corporeis perspiciebantur, fidem conciliaret suæ doctrinæ, quæ ea pollicebatur, quæ sensibus corporeis percipi non poterant, & hac ratione rudes adhuc & imbecilles gradibus quibusdā ad sublimiora subueheret. Quem admodum enim fidus præceptor optaret, si fieri posset, discipulum ilico capacem esse totius artis, tamē interim fingit ac format ingenium rude quibusdam elementis, donec ad exactam artis cognitionem prouexerit, ut iam rudimentis illis non sit opus. Et quanquam qui docet, nō sine tædio insumit operam in tradendis elementis, tamen hoc tædium spe profectus deuorat, modis omnibus adnitens, ut quàm minimum temporis in crassioribus illis conteratur. Iesus itaque ut hic quoque suam declararet diuinitatem, quod non ignoraret illorum cogitationes quum uideret turbam ad se rursus confluere, similibus miraculis inhiantem, quæ uentrem explerent potius quàm mentem erudirent, ex occasione cibi semel præbiti docet qui cibus illis potissimum sit expectandus. Loquutus est autem in hanc sententiam, Profectio uerum est, inquit, hoc quod dicam, Appellatis me magistrū, non quod auidi sitis meæ doctrinæ, quæ tota spiritua- lis est, sed quod humana leuiatq; commoda uenemini, quæ uobis plura sunt quæ ea quæ sunt longe potiora. Et nunc auidis studijs me queritis, non perinde ob signa, quæ uos ad sublimiora prouocare debuerant, sed hesternæ saturitas uos magis commouet quàm admiratio diuinæ uirtutis & salutiferæ doctrinæ, cum à meis uerbis & doctrina magis uobis pendendum fuerit: ac rem magnam existimatis, si quis uobis corporalem cibum gratis suppeditet: non magnum est corpus hoc & alioqui periturum pascere, nec deerit cibus inhiantibus Euangelicæ doctrinæ. Quin omnem curam conuertite ad eum cibum parandum, qui sumptus non perit cōcoctione, nec corporis uitam ad tempus breue prorogat, quemadmodum cibus panum mox recurrente fame, sed permanet in homine, æternam. Hunc panem tam eximium dabit uobis filius hominis, si uiderit uos huius appetentes & famelicos. Siquidem hunc hominis filium deus uolens huic generi largiri ad salutem ac uitam æternam, in hoc peculiariter consignauit, ius illi tribuens in electos omnes, & miraculis illi concilians auctoritatem, ut spiritualem cibum impartiat omnibus auidis æternæ uitæ. Non enim in hoc uenit in mundum, ut uel sibi paret honorem huius sæculi, uel alios mūdi commodis beet, sed illud magis agit negotium, ut homines à sordidis curis euehat ad curam rerum cœlestium. Loquutus uero est hic dominus de quotidiano cibo, quem pereuntem uocat, sed sub illo licet intelligere alia. Quicquid arripueris, & spem posueris in illud, est cibus qui perit, & qui non sustentat perpetuo. Si honores tanti feceris uel opera, uel quæcunq; magna uidentur, ut omnem fiduciam in illa ponas, recte cibus qui perit, dicuntur. Vocat nos Christus semper ad summa, id est ad seipsum. Ipse est panis qui manet semper, uerbum dei, quo creat cœlum & terram, & quo totus sustentatur mūdus foueturq;: si illud cibus noster fuerit, & traiecerimus in animum nostrum firma, efficaci, & uiuifica fide, tunc poterimus semper uiuere. Vna Christi persona utriusq; naturæ idiomata recipit. Proprium dei est dare uitam æternam, quod hoc loco filio hominis tribuitur, propter adiunctam diuinam naturā uerbi in humana natura: quasi dicat, Ego quem habetis pro uulgarī aliquo homine, dabo uobis hūc cibum,

quem & pater deus sibi obsignauit, & incarnationis mysterio misit in mundum, ut per prophetas dudum promiserat, & ut uerum ac proprium suum filium esse declarauit, & segregatum ab alijs dignitate, gloria, & potentia singulariter designauit, ut sanctos omnes alios antecellat, sitq; redemptor & benefactor humani generis & electorū saluator, spiritu suo unxit sine mensura, in hoc ipsum constituens, ut hoc cibo mystico & cœlesti homines pascat in uitam æternam.

Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera dei? Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus dei, ut credatis in eum quem misit ille.

Hæc rudis turba quum non intelligeret ac ne animaduerneret quidem, tota intenta uentris negotio, respondit hunc in modum: Quoniam admones nos ut operemur cibum quendam qui maneat in nobis, adferens uitam æternam, quid igitur faciemus ut operemur ea quæ deo digna sunt, & uitam promeremur æternam? Quorum gratia te dicis uenisse in mundum? Dominus nihil offensus tam crasso responso, pergit eos paulatim ad perfectiora euocare. Si queritis, inquit, quod sit opus quo demereamini deum, qui spiritus est, & spiritualibus delectatur, non est immolatio uictimarum, nō ceremonialis obseruatio sabbati, non lotiones, non ciborum delectus, non uestitus religio, non cætera quæ corporalibus constant ceremonijs, sed hoc est opus quod à uobis flagitat deus, ut credatis filio suo quem ille misit, per quē uobis loquitur, in quo benedicuntur omnia, ut habeatis omnem uestram fiduciam per me in deum patrem. Si quidem me misit, ut promiserat saluatorem mundi, & tollentē peccata totius mundi. Fidem uero proprie non dicimus esse opus quod nos operamur, sed spiritus sancti operatio est, & tractus ille patris, unctio & illustratio, cum impense platione de domini gratia præsumamus: quæ certe fiducia non nos relinquet otiosos, sed in sanctis operibus negotiosos, in quibus tamen pro nobis nihil gloriamur, sed in Christo.

Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut uideamus & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis manducare.

Iudæi intelligentes quod Christus posceret sibi credi, utq; magistrum in omnibus audiri, fiduciamq; in se reponi, rati hoc esse indignum ipso, ut qui non dum ea signa fecisset, ut talis merito haberetur, nēpe ut Moses, dicebant: Quod signum facis tu? quid ita præclarum operaris ut uidentes tibi adesse deum, omnibus uerbis tuis fidem habeamus? Semel pauisti nostrum quinq; milia è quinque panibus & duobus piscibus, à Mose autem duce sanctissimo patrum nostrorum circiter sexies centena milia pane de cœlo depluto, quem ideo scriptura cœli & angelorum panem uocat, aliti sunt totis quadraginta annis. Tale nihil adhuc tu designasti. Præstat igitur nos Mosis quàm tuos discipulos esse, & à uerbis illius potius quàm tuis pendere. Satis apparet hos non fuisse ex illis qui paulò ante uiso miraculo panum dixerant: Hic est uere propheta ille, qui uenturus est in mundum, uolebantq; hinc eum regē constituere; nam prophetam illum Messiam sciebant promissum populo, ut rex eius esset, neq; intelligebant eum in spiritu regnaturum. Videamus, inquit, & credamus; ubi credere intellexerunt pro sese penitus dedere, & ab eo pendere cui credis: sicut Mosi populus credebat exiens de Aegypto. Optassent illi otiose cum domino uagari, & ab

1. Iodn. 3. d
Exod. 16. c
Num. 11. b
Psal. 77. c
Sap. 15. c

& ab ipso sine labore pasci, uti populus olim in solitudine alitus fuit per manā.

Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico uobis, non Moyses dedit uobis panem de cælo, sed pater meus dat uobis panem de cælo uerum. Panis enim uerus est qui de cælo descendit, & dat uitam mundo.

Non hæc tam crassa tam ingrata tam impia populi responsio domini mansuetudinem defatigauit ab alliciendis illis ad cognitionem rerum spiritualium: primū, ostentum efflagitāt, quasi prius nullum uidissent miraculum; nec quod uis miraculum recipiunt, sed ceu præeuntes illi præscribunt, cuius generis signum sibi uelint adī; deniq; ex tam multis quæ priscis Hebræis exhibita leguntur, illud potissimum eligunt, quod ad pastum facit, usq; adeo de uentre solliciti sunt. Iesus igitur dissimulans plebis ruditatem, sic paulatim ad sensum rerum spiritualiū adducit: Si Moyses, inquit, ideo grauis est apud uos authoritas, quod manna uobis de cælo dederit, atq; eum cibum ut cœlestē suspicatis, quod ē cœlo uenerit, deo potius hæc debetur gratia, unde manna fluxit, & cui debetur omnium miraculorum gloria. Neq; enim Moyses hoc ex se præstare poterat, qui nihil aliud erat quàm dei minister: nec ille panis, tametsi cœli panis dictus est Psalmodographo, uere panis erat cœlestis. Neq; enim ē cœlo uenerat, sed ex aëre depluebat, quemadmodum aues in aëre uiuentes cœli dicuntur aues, sed panis uere cœlestis imaginem tantum habebat. Quemadmodum autem carnali populo deus per Moysen famulum suum terrenum panem dabat corporalem: ita nunc pater meus spiritali populo per filium suum cœlestem largitur uobis panem illum uere profectum ē cœlis, nec corpora modo satiat ad tempus, sed eis qui sumpserint donat animorum immortalitatem. Panis ille corporeus erat, & corporibus dumtaxat ad tempus proferebat, nec hoc quicquid erat beneficij profuit nisi unico populo. Verum hic panis de quo loquor, nec est corporeus, nec ex aëre depluit, nō de terra germinat, sed animarum est et spiritalis, nec uni populo, sed toti mundo, quo reficiuntur animæ fidelium ad uitam beatam & sanctam, quem anima capere potest & desyderare ad sui sustentationem & uiuificationem. Quod si uos mouet author, pro Mose, quo gloriāmini, deum habetis huius muneris authorem, pro famulo dei filiū habetis dei. Si muneris spectatis, tantum interest quantum inter corpus & animam, quantum inter uitam hanc breui desituram & uitam in cœlis perennem. Significat autem in scripturis panis omnem cibum unde sustentatur homines, ne cogamur imaginari triticeum uel similaginem, sed uim illam ad æternam animæ uitā efficaciter sustentatiuam, ut perpetuo uiuamus, qui solus est dei filius, per quē creati sunt cœli. Illum si deuota fide susceperimus uerum panem suscipimus, uere nos pascentem ad immortalitatem; suscipi autem non potest nisi spiritaliter & in fide. Ille autem panis uerbum hoc cœleste, æterna dei sapientia coniuncta est humanitati Christi, in qua assumpta à uerbo uidemus dei ad nos beneuolentiā. Ita enim carnem nostram suscepit, ut spiritum suum nobis communicaret, cuius spiritus si participes fuerimus, utiq; Christo incorporabimur, & erimus unum in Christo, & tūc pascemur in uitam æternā, & spiritus ille qui Christum suscitauit suscitabit quoq; & nos. Totus autem mundus hic non intelligitur nisi electi in mundo, sicut & supra dixerat, Sic deus dilexit mundum, ut filium suum dederit &c. Dare autem salutem toti mundo utiq; solius dei est. Manna certe hoc non potuit nec ulla alia creatura. Prodit enim is panis cœlestis et diuinus ex ipsa diuinitate.

Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc.

His auditis Iudæi nec sic quidem eriguntur ad amorem rerum cœlestium, sed adhuc ventris negotium somniant, si non id potius per contemptum & risum dixerunt, intelligebant de pane quem priori die acceperant. Sicut mulier Samaritana aquam petebat, cum esset adhuc rudior, ne venire cogere tur ad hauriendum, ita illi. Christus tamen manifeste distinxerat panem illum, qui daret uitam toti mundo. Illi uero saturitatem amabant potius quam salutem, & saturatorem stomachi requirebant potius quam seruatorem animarum. Iesus igitur ut excuteret illis somnium cibi corporalis, apertius eis explicat se non loqui de pane qui dentibus manditur, & per gulam in stomachum traiectus corporis famem ad tempus sedat, sed de pane cœlesti qui est sermo dei patris.

Eccl. 24. 6

Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis uitæ, qui uenit ad me, non esuriat: & qui credit in me, non sitiet in æternum.

Ego sum panis ille, uitæ largitor æternæ. Qui hunc esuriens ad me uenerit, eumque in animæ uiscera per fidem efficacem traiecerit, quod est manducare Christum, non esuriat rursus, recurrente post saturitatem famis molestia, sed per aquam spiritualis, quæ per fidem hauritur, desiderioque salutis per Christum sitietur, non corporaliter bibitur. Itaque qui credit in me non solum non esuriat, uerum ne sitiet quidem in æternum. Non oris hiatu sumitur hic panis cœlestis et uitæ, sed animi credulitate me agnoscendo suum saluatorem, & uitam omnium fidelium animarum, quæ cibo corporeo non utuntur, sed spirituali, quæ & spiritaliter cum sint, corporali quocumque refici cibo non uolunt nec possunt. Quoties ergo diuinæ gratiæ participes fiunt, & in conscientijs firmiter consolantur ad Christum accedentes, à quo tota fidelium uita pendet, quemadmodum id experiuntur fideles. Venire ad Christum est credere Christum esse nostrum, nobis datum, et omnia nobis bona cum eo simul concessa, ut sic animus impleatur, alioqui inexplebilis quibuscumque externis, eatenus, ut ne mysteriorum quoque perceptio ipsa animam satiet prius Christi gratia non satiatam. Symbolis attestamur desiderium gratiæ & pietatis ueræ, quærere salutem & remissionem peccatorum, quæ per fidem assequuntur, quorum fides non extinguetur, quandoquidem in libro uitæ scripti sunt, etiam si ceciderint à domino restituantur: semen enim eorum perpetuum est, fides scilicet in deum, quæ eos iugiter ad meliora instigat, & ne in agnitam domini uoluntatem peccent hortatur ac retrahit, sed ut carnis tentationi resistatur semper.

Sed dixi uobis, quia & uidistis me, & non creditis.

Hæc ideo loquutus sum uobis, ut intelligatis uos uestra culpa perituros, si perstiteritis in uestra incredulitate. Panis hic nulli negatur à patre, & uobis omnium primis oblatus est, sed magis uos tangit panis interituri sollicitudo. Uideor, & tamen non creditis me esse quem esse ex factis dictisque uidetis, quia à patre mihi donati non estis.

Omne quod dat mihi pater, ad me ueniet: & eum qui uenit ad me, non eijciam foras.

Nec tamen otiose miserit pater hunc panem in mundum, etiam si uos per incredulitatem eum fastidieritis. Non deerunt quibus hic panis uitam æternam sit

fit allaturus, etiãsi tota Iudæorũ natio filiũ reiecerit, ob hoc ipsum & in deũ im-
 pia, quod filium quem ille ad totius mundi salutem misit aspernatur: pater em̃
 meus non solum Iudæorum sed & omnium Gentium deus est. Ex me nihil ha-
 beo, quicquid autẽ mihi dederit, cuiuscunq; gentis sit, hoc ad me per fidem ue-
 niet, etiãsi sit à lege Mosaica alienum. Quisquis autem ad me uenerit, non eij-
 ciam foras, atq; utinam omnes ueniant: uult enim pater quantum in se est om-
 nes homines per fidem saluos fieri. Vos autem uidemini ex adultera progenie
 & non lucis filij esse, ad me non uenientes uel credentes: fides enim iudicium
 est filiorum dei, per quos deus auget suam gloriã, quos et uacuos non dimittet,
 quia descendi de cœlo, non ut faciam uoluntatem meam, sed uolun-
 tatem eius qui misit me. Hęc est enim uoluntas eius qui misit me, pa-
 tris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in
 nouissimo die.

In hoc ipsum descendi de cœlo, non ut faciam quod ipse uolo, uelut dissen-
 tiens à patre, sed quod uult pater qui misit me, à cuius uoluntate & beneplaci-
 to mea uoluntas non potest dissidere, quum sit eadem uoluntas. Hęc est autem
 uolũtas patris qui misit me, ut quicquid ille mihi per fidem tradiderit, nihil ex
 eo deperat me seruante, ne quod pater tradidit ad uitam, mundus rapiat ad
 mortem. Quod etiãsi corpus humanæ naturæ lege moritur, superest tamen
 melior hominis pars, uiuens anima, atq; ut rursus totus homo uiuat per me.
 Vult & illud pater, ut corpus quoq; defunctum uitæ reddam in nouissimo die
 in consummatione sæculi, ut deinde uitam eternam percipiat in corpore simul
 & anima, quam hic uiuendo huiusmodi in Christum fide uiuere cœpit, & sem-
 per est uicturus. Hic uero gustum tantum uitæ cœlestis utcunq; assequitur. A-
 deo sum ego uiuificus, ut credentes in me non solum nõ sinam perire, sed resu-
 scitabo in die ultimo & uitam dabo omni carni.

Hęc est autem uoluntas patris mei qui misit me: ut omnis qui uidet
 filium, & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum
 in nouissimo die.

Pater per filium uitam largitur æternam omnibus, idq; non per legem Mo-
 saicam, sed per fidem Euangelicam. Nihil agit pater nisi per filium, qui uerbo
 condidit uniuersa, & administrat. Proinde qui non agnoscit filium, is nec pa-
 trem agnoscit, & qui resistit filio, resistit et patri. Pater est inuisibilis, sed uidetur
 in filio. Quisquis igitur uidet filium & agnoscit eum, & illius dictis credit, & si
 fiducia sincera adhæret, non patietur illum perire filius. Sed etiãsi mortuus
 fuerit corpore ex uoluntate patris resuscitabit eum in nouissimo die, ut iam to-
 tus & anima & corpore uiuat unã cum filio cui credidit. Hanc potestatem pa-
 ter dedit filio, ut mortuis etiam uitam restituat. His itaq; præscriptis sententijs
 commendatur nobis Christi incomparabilis dignitas, fidei ueræ præstantia, im-
 mutabilis uirtus electionis diuinæ, ut nemo Christo sit unquã crediturus non
 electus à patre, filioq; donatus: sic nemo quoque illi donatus, non ueniet ad
 eum, cumq; uenerit nunquam poterit ab ipso auelli. Fortior namq; is est qui in
 filijs dei agit quàm qui in mundo. Non glorificantur nisi iustificati, non iustifi-
 cantur nisi uocati, non uocantur nisi prædestinati. Hi autem ad uitam præde-
 stinati à deo æternum uiuent certissime, nec possunt perire contra decretũ dei.
 Hęc electis facile persuadentur, & spiritu sancto donatis renatisq; ex deo. Qui
 bus non hęc pariunt ignauiam, sed potius amorem in se dei accendunt, & ad

omne bonum excitant. Vtique quo maiorem quisq; dei erga se amorem agnoscit, eo ardentius illum redamabit. Reprobi si istis offendantur, mirum non est: nulla enim re non offenduntur illi. Sacra sanctis & electis scripta sunt, ijs debet lucide & clare impartiri, istis proficient sacra dogmata, quæ & credent ad salutem, quicquid inde ueneni more araneorum reprobis hauriant.

Matth. 13, 8

E Murmurabant ergo iudæi de illo, quia dixisset: Ego sum panis uiuus qui de cælo descendit, & dicebant: Nonne hic est filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & matrem? Quomodo ergo dicit hic, Quia de cælo descendit?

Hæc cum dixisset Iesus, populus qui hæcenus cibi spe ferebat ut cunctis sermonem, nunc posteaquam uident ademptam spem pastus corporalis, uertuntur ad calumniam, & quem saturi facere regem uolebant, nunc ut humilem contemnunt, atq; ut arrogantem criminantur, non adhuc quidem palam, sed inter ipsos murmurantes, præsertim de hoc dicto, quod omnium maxime debebant amplecti, Ego sum panis uiuus qui de cælo descendit. Inhiabant enim cibo corporis, atq; hoc dicto sibi uidebantur delusi, quum res longe præstantior offerretur, quam illi expectarant. Offendebat autem illos imbecillitas humani corporis, quod tantum cernebant oculis corporeis, quum etiam ex dictis factisq; diuina uirtutem perspicere potuissent, si habuissent oculos fidei. Nonne, inquit, hic est filius Ioseph fabri, cuius nos etiam de facie cognouimus patrem & matrem, homines humiles & tenues? Porro cum nuper sit apud nos natus in terris, homo ex hominibus, quemadmodum nos, qua fronte dicit se descendisse de cælis? Aut quem alium patrem nobis memorat, ut se longe maiorem Moyses ostendat, & deum esse pronunciet, & quod in se credentibus uitam beatæ semper duraturæ, ut se dicat panem qui de cælo descenderit? Semper in turba sunt iudicia uaria schismata & murmura. Multiceps bestia uulgi. Erant in turba qui bene uolebant Christo, qui ad hanc doctrinam applaudebant, ad tanta miracula mirabantur. Interim erant rudes quoq; ingrati & pleni inuidia, qui nihil perpendebant secum, nisi quod oculis conspiciebant, ideo ortum est murmur.

Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare in inuicem: nemo potest uenire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Hæc illis inter se mussitantibus, Iesus subinde declarans sese non latere cogitationes hominum, superiore sermonem explanat pariter & confirmat, dicens: Non est quod inter uos murmuretis de his que uobis loquutus sum. Ideo sermo meus non hæret animis uestris, quoniam obstat incredulitas. Videntes non uidetis, & audientes non auditis, & præsentis estis absentes. Quisquis autem ad me uenerit, uitam æternam assequetur, sed fide peruenitur ad me. Ea non contingit temere, sed patris afflatu, qui quemadmodum per filium attrahit ad se mentes hominum, ita secretis inspirationibus fidei trahit ad filium, ut per utrumq; ueniatur ad utrumq;. Non impartit ille tantum munus nisi uolentibus & audis. Quisquis autem promeruerit sua prompta uoluntate pioq; studio ut attrahatur à patre, per me uitam æternam consequetur. Nam ego mortuum etiam ad uitam, ut dixi, reuocabo, quum uenerit ille supremus dies, quo consummabitur piorum felicitas & impiorum exitium. Rem magnam accipit qui mihi credit, sed hoc ipsum debet patri, sine quo nemo potest credere. Nec tamen

tamen interim excusantur à crimine, qui non credunt, eo quod non fuerunt attracti. Pater enim quod in ipso est pro infinita bonitate sua cupit omnes attrahere, non tamen compellere uult nolentes. Qui non attrahitur ipse in uitio est, quia se praua uoluntate subducit uolenti attrahere. Humana discuntur humana studio. Hæc philosophia cœlestis non percipitur, nisi arcanus patris afflatus reddat cor docile. Homines pijs auditis beneficijs dei per Christum immutantur, sciuntq; deum non esse fallacem. Qui ita tractus fuerit illum suscitabo. Tractum autem uenire ad Christum est credere; credent autem, qui patris beneuolentiam agnouerint, quod pater filium propter mundi & nostram salutem miserit. Nihil tam efficax ad conciliandum in nobis amorem dei & fidem ut cognitio exhibitæ Christi. Porro ut hoc beneficium agnoscamus, necesse est ut pater reuelet. Caro & sanguis non manifestant, sed pater in cœlis; quia sequentia factis indicant mentem hanc esse uerborum illorū, eumq; de dono dei loqui. Hoc non facit homines licentiosos ad sine freno peccandum, si agnoscant hanc bonitatem non aliunde proficisci quàm à deo. Pater nos ad filium trahit, nō est id prorsus situm in libertate nostri arbitrii. Quanquam certum sit in homine uoluntatem esse in alijs rebus aliquo modo liberam, in his uero quæ sunt gratiæ omnia ita pendēt à deo, ut sit planè impiū hoc nobis adscribere. Christus quoq; omnes suscitatur bonos & malos, sed impij licet reuoluerint in carne, non tamen ad gloriam, sed ad miseriam uitam, ut satius sit illos nunquam natos esse q̄ sic separari à deo.

Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docibiles dei.

Isaie 54. d

Hoc nimirum est quod olim etiã fore prædictum est à prophetis: Et erunt omnes à deo docti. Apud uarios id prophetas habemus, Esaie 11. Repleta est terra scientia domini, & 54. Erunt omnes docti & c. Hiere. 31. Non docebit unusquisq; proximum suum, & Joel: De spiritu meo effundam super omnem carnem. Hæc est doctrina dei, quando cor recte persuadetur de his quæ dei sunt, & quæ nostræ salutis. Propterea non rejicitur apostolicum ministerium; nam omnes fideles fatebuntur Christum esse redemptorem, hoc scribetur in pectora eorum, ut uerbum dei locum habeat. Verum omnibus fidelibus concessum est, deum ut ament, sed ut propterea scripturam omnem possint enarrare non habent omnes.

Omnis qui audiuit à patre & didicit, uenit ad me. Non quia patrem uidit quisquam, nisi is qui est à deo, hic uidit patrem.

Frustra quis audiuit corporeis auribus sermones meos, nisi prius intus audiatur secretam patris uocem, quæ mentem afflat insensibili gratia fidei. Proinde quicumq; se præbent idoneos hoc afflatu, hos sic attrahit pater, & is demum uenit ad me, qui sic fuerit attractus. Deus enim spiritus est, nec auditur nec uideatur nisi spiritualibus. Et sic uidisse sic audisse salus est; filium multi uidebunt & audient suo malo. Quin & inter filios dei ille patrem uidebit aliquo modo, qui credit in illum, non ut patrem quis unquam uiderit nisi per filiū ostendentem. Quomodo dicemus patrem cui non est filius? & quomodo filium cui nō est pater? Patrē in sua natura nemo perfecte nouit nisi solus filius. Primo hoc nobis cōtingit, ut agnoscamus patrem, quia præordinati sumus in numerū filiorum dei: deinde filius de suo spiritu nobis communicauit. Sed tunc agnoscemus patrem, si & filium cognouerimus, & immensam suam bonitatem quam in filio experti sumus.

Amen amen dico uobis, qui credit in me, habet uitam æternam. Ego sum panis uitæ.

Excute ex animis uestris sordidas curas huius uitæ corporalis, adnitentes ut uitam æternam spiritualium bonorum auiditate consequamini. Excidat uobis panis ille, quo satiantur corpora, appetite panem cœlestem, qui uitam largitur æternam. Is fide sumitur, & fides à deo patre est impetranda. Illud habete pro indubitato, quisquis fiduciam habet in me, is iam habet uitam æternam, quum fontem habeat immortalitatis. Ego sum ille panis, qui uitam præstat, non corporalem ac temporariam, sed animæ & æternam. Sed uirtus ista in Christo est, uerbum caro factum, quo uerbo mundus & conditus est & subsistit. Vnde recte dicitur panis uitæ, id est sustentaculum animarum & totius mundi. Fidelium est ergo credere in Christum, non in quæcunq; terrena peritura & corporalia, quæ beatum non reddunt, quin potius conuertuntur ad Christum, non gloriandur in patribus, uel in eorum manna, ut supra dixerant, Patres nostri comederunt &c. Huic obiectioni nunc uberius respondet, & ponit discrimen inter panem quem illi manducauerunt in deserto, & inter cœlestem panem, qui ipse est.

Exodius, c

Patres uestri manducauerunt manna in deserto & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit non moriatur.

Manna quod per tempus aliquod ederunt uestri maiores in deserto, quamquam è cœlo defluerit ut uos putatis, nihil tamen aliud eis præstitit quam panis triticeus aut ordeaceus. Ad breue tempus famem corporis pepulit, mox recursuram ac denuo cibum flagitaturam, non autem præstitit eis immortalitatem; nam maiores uestri quamlibet felices quotquot illo manna uescerantur mortui sunt. Verum illi patres ex eis qui tunc habuerunt ueram fidem in Christum promissum & uenturum, pro peccatis mundi satisfacturum, quemadmodum Moses & reliqui, hi tunc quoque uitam animæ habuerunt, aram scilicet salutis & beatitudinis cœlestis, suo tempore perficiendæ: non propter externum illum cibum, sed propter fidem in Christum, qua & nunc saluantur fideles, credentes exhibitum Christum abstulisse passione & morte sua peccata mundi. Iste enim panis confirmat omnes & conseruat. Eadem ergo fide qua nos saluamur & illi saluati sunt, eadem fide eundem comederunt sacramentaliter qua et nos eundem sumimus de exhibito Eucharistiam celebrantes cum symbolis. Iste autem panis salutis è cœlo est. Non igitur necesse est ut ullum manna flagitetis de cœlo, quum panem habeatis uere cœlestem, præsentem & paratum uobis, qui uitam largitur æternam, si modo sumatis per fidem. Hic solent ea que Christo ipsi potissimum quidem cõpetunt etiam elemētis proprie attribuere, quod planè fidei Christianæ indignum est, ut credamus omnes qui sacramentalibus signis aluntur habere uitam æternam. Non huc spectant uerba Christi. Si Christus à nobis creditur & uere sentitur redēptor humani generis, certe nobis est panis uitæ, etiam si sine symbolis sic credamus. Ex Christo uitā habemus, non ut hoc sacramentis proprie tribuamus uel panem, quia plerisque uidemus participes sacramentorum corporis & sanguinis Christi, qui tamen non uiuunt, aliam uita à fide. Non enim contingit uita nisi ihs qui filij sunt Abrahamæ per fidem. Christianus sacramenta percipiens dominicæ mensæ toto tunc animo intentus est in ipsum spiritui præsentem Christum, illi gratias agit; neque salus animæ & eius uita

uita in pane est, sed in Christo. Qui uere agnoscunt Christum illi sciunt Christum esse panem, hoc est spiritualē animæ cibum fouentem & conseruantem ipsam in uitam æternam & cœlestem. E cœlo descendit uerbum dei factum caro, sacrificium quoq; pro electis omnibus, pro quibus & mortuus Christus est. Qui comederit hoc pacto per fidem ex illo, non peribit.

Ego sum panis uiuus qui de cœlo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi uita.

Ipsē ego sum panis ille, uitæ immortalis largitor, qui solus de cœlo descendi, quē uos offensi corporis huius infirmitate, nihil aliud esse putatis quā Ioseph & Marię filium. Sum autē sermo & uerbū dei patris, cui qui crediderit uitam habebit immortalem. Si quis hūc panem cœlestem traiecerit in animæ suæ uiscera, uegetabitur & adolescet in uitam æternam. Manducare enim aliās est traicere cibum in omnes partes corporis, qui non affuatur corpori sed agnoscatur. Ita hūc manducare panem cœlestem est traicere eum intra cor, fieriq; cor dis uitam ac recreationem. Cernere autem sacramenta, tractare manibus, uerere panem, non est manducare Christum, sed corde renasci, & uiuificari spiritu Christi, corde timere & credere, perq; fidem ueram uniri Christo, id demum uere manducare est Christum. Quod autem manducare sit credere, exposuit Christus in principio huius ectionis, Qui credit in me habet uitam æternam, & infra, Caro non prodest quicquam. Significat his uerbis se daturum corpus suum pro nostra salute, quod & uoluit à nobis per fidem manducari. Omnibus siquidem quibus unquam saluatorem sese exhibuit, per spiritum persuasit ut in se crucifixum sperarent, certiq; essent carnis suæ immolatione salutem ipsorum partam. Sic dat ergo suam carnem in cibum, dum fide in carnis suæ immolationem de æterna salute certos reddit, & tunc ad æternam uitam illam reficimur, dum ea freti non dubitamus nos propitium habere deum & patrem; atq; hinc fore, ut olim omnibus peccatis puri, & uera iustitia pleni, æternam & beatam uitam cum ipso & patre uiuamus. Auxit præterea absurditatem, quam increduli obiecerant, cum panem illum uiuificum quem tantopere commendarat, dixit esse carnem suam, quasi diceret, Videtur uobis plusquam absurdum quod dixi me uenisse e cœlo, & uitam largiri sempiternam in me credentibus, eo quod sim, ut uos putatis, filius Ioseph, homo caro & sanguis. Ut dicā uobis quod res est, ut eunq; acceperitis, hic ille de quo disputo uiuificus panis, hæc mea caro est, nec percipere uitam alia ratione unquam poteritis, nisi per fidem in hanc meam carnem pro peccatis mundi oblatam nunc interim offerendam, quam tantopere despicitis. Etenim Christus ut homo & caro & sacrificium & sacerdos seipsum offerens, mediator est dei & hominum; ideo cum adeo eius humilitate offenderentur, cœpit ille adhuc humilius de se loqui, & carnē suam dicere illum cibum pascentem in uitam æternam, ad intellectum prædictum. Quod autem bis hic ponitur, Dabo, cum litera habet, Panis quem ego dabo caro mea est, quam dabo pro mundi uita; primum Dabo sic accipiatur, Christus se daturum carnem suam electis cibum uitæ æternæ promisit. Id autem facit, cum per spiritum docet, se nos immolatione carnis suæ redemisse. Ipse namq; panis uitæ & uiuificans est, qui in æternum satiat ubi editur, cognoscitur, creditur, iam nō potest saluator agnosci nisi agnoscat pro nobis satisfecisse. Ipse ergo panis dat nobis panem, id est ipse reficiens & satians mentem in uitā æter-

nam, hoc nos ordine reficit & satiat, quod primum dat suam carnem, id est donat fidem, qua scimus & deuote gaudemus pro nobis morte eius satisfactum, pro nostris peccatis carnem eius immolatam. Deinde dat nobis se secundum gloriam resurrectionis, ut certi simus eum regnare in hoc, ut nos plane iustificet, & reddat immortales ac beatos. Sic pascimur eo homine, & per eum hominem qui pro peccatis nostris mortuus est & creditur ab anima, resurrexitque propter iustificationem nostram. Hinc eò perducimur, ut & ipso deo, hoc est diuinitate eius qua idem est cum patre pascamur, hoc est laeti in omnibus & alacres freti dei bonitate uitam sanctam agamus. Hæc autem perfructio deitatis, hæc nondum plena est, tum uero plena erit, quando extincto per spiritum Christi omni in nobis peccato, erit in nobis deus omnia in omnibus. Dabo, secundo dictum, significat mortem suam, in quam cum corpus suum dedit, uitam mundo restituit, ut sit hic sensus, Refectio qua reficiam meos, id est qua animas recreabo & reuiuiscere faciam, pro peccatis alioqui anxias, mihi credendo, proderit eis in uitam æternam. Ea primum est caro mea, corpus hoc quod dabo pro mundi uitam in mortem crucis. Hæc propter eos qui hinc probare conantur edi carnem Christi sic substantialiter, ut & corporaliter in cœna, etiamsi non naturaliter uel localiter. Cum certo sit certius, per Edere, Christum nihil intellexisse quam credere in eum, Id bis exposuit, semel cum ait: Qui uenit ad me non esuriet, & qui credit in me non sitiet. Et cum ait: Amen amen dico uobis, quod qui credit in me habet uitam æternam. Et iterum dixit, illum in æternum uieturum qui edat ipsum: ut uel puero liqueat, credere in eum & edere eum idem esse, nisi quod hoc allegoricos, illud simpliciter dicitur. Id quoque re uera notandum, Christum & hoc in loco & in cœna differuisse de eadem re, nempe de manducatione carnis suæ sub nomine panis. Nisi quod in cœna pane usus est ad plenius representandum id de quo hic docendo differuit, & ad instituendum memoriale nobis paschatis, & immolandi sui corporis, quod & in symbolo sacramentaliter manibus exhibuit discipulorum.

Litigabant ergo ludæi adinuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?

Hoc sermone dominus Iesus per ænigmata quædam subaperuit illis mysteria diuinitatis suæ, per quam semper fuit apud patrem deum, & mortis suæ qua mundum erat liberaturus à mortis tyrannide, postremo mystici corporis, cui nisi quis per fidem insitus fuerit, & inhæserit sicut palmes inhæret uiti, non habebit in se uitam. Nec ignorabat horum sermonum id temporis nondum esse capaces ludæos, sed tamen hæc mysteriorum semina condita in animis bonorum futurum sciebat ut olim enascerentur, & fructum copiosum affererent. Cum igitur hæc illis absurda dictu uiderentur, nec auderent appellare dominum, orta est inter ipsos opinionum dissentio, alijs aliter atque aliter interpretantibus quod dicebatur. Etenim quemadmodum Nicodemus non capiebat sermonem Iesu de cœlesti renascentia, nec Samaritana mulier intelligebat ænigma Iesu de auita ut homo daret carnem suam alijs edendam, sic ut ea sufficeret omnibus ad uitam æternam: inuitarat enim omnes ad edendum panem cœlestem, ac denique dixit carnem suam esse panem. Quomodo uescemur, inquiunt, hominis uiui carne? nunquid uero carnem illius crudam edemus, ueluti redemptam pretio in macello? Et certe sunt hodie, & fuerunt hæctenus, qui ponunt modum inuisibilem, non

non minorem absurditatem admittentes quàm illi, ut multis quæstionibus inuoluti cogantur tandem quærere ac disputare, si non huiusmodi sua dogmata includant oppositum in adiecto, ut loquuntur, & sint talia, quæ deo facere sit impossibile ob implicationem contradictionum multarum & ridiculas difficultates.

Dixit ergo eis Iesus: Amen amen dico uobis, nisi manducaveritis **F** carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis.

Certum est Christum loquutum fuisse in præsentem, & cum nondum instituta essent symbola cœnæ. Tum eo tempore quo istis loquebatur, tenebantur edere carnem filij hominis. Quod certissimum est nõ de symbolis illa esse dicta. Nisi, inquit, me receperitis, cibum illum cœlestem, nequaquam habebitis iam uitam in uobis. Certi sumus uitam totius mundi pendere à Christo, maxime autem uitam spiritualem. Si in gratia dei sancta ac iusta agere uouerimus non id aliunde habemus quàm per filium, spiritu illius accepto. Caro illa & sanguis meus, id est illa humanitas uobis nunc est admodum contempta, ideo uitam in uobis non habebitis. Si uero Christum agnouissent ut filium dei iam uitam habuissent. Non calumniabantur Iudæi hoc quod audiebant se ut antropophagos carnem Christi esuros, non id ex uerbis domini intelligebant, qui allegorias probe intelligebant, ut patet ex responsionibus ipsorum prædictis: sed hoc calumniabantur quod dixerat se uenisse è cœlo, eoque esse deum, qui credentes in se redderet diuinitatis suæ participes, & pasceret in uitam æternam, inde dicebant: Nunquid iste est Iesus filius hominum quos nouimus, quomodo iacet se de cœlo descendisse? Id quoque ex responsione apparet eius ad discipulos, quum dixit in sequentibus, Hoc uos offendit? Cum igitur uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius &c. Totius ergo orationis huius status est, ostendere se Christum esse, unicum illum mediatorem dei & hominum, qui uitam æternam è cœlis à patre credentibus adferat & donet. Offendebat ergo hic illos incredulos, nõ tam carnis carnalis esus, quàm quod se Christum esse & deum, uitæ scilicet æternæ largitorem affirmaret. Hoc falsum de se iudicium hic fortius increpat, dicens: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis. Agnouit quidem se filium hominis uilem hominem uideri & humilem esse, sed simul quoque indicauit quid in se adeo contempto latitet, negatque uitam ueram habere eum qui non ederet carnem filij hominis, & biberet eius sanguinem: hoc est, qui non crediderit per offerendum in crucis ara illorum sacrificium sese redemptum, & filium dei ac heredem constitutum. Proposuit siquidem deus Christum Iesum propitiatorium per fidem in sanguine eius, in ostensionem iustitiæ eius, ut scilicet credentes eius sanguine nostra peccata expiata, saluemur, & gaudeamus in spe, donati spiritu ueræ iustitiæ, qui tandem omni peccato expurgatos plene iustos reddent sanctos & beatos. De hac per mortem Christi facta redemptione & fide in illam, qua sola æternæ uitæ participes reddimur, multa insigniter expendenda commemorat passim in epistolis Paulus, præcipue ad Rom. 5.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. 1. Corin. 11. f

Non est hic alia accipienda manducatio carnis Christi quàm quæ fide fit, ideo sine aliqua adiectione ait: Qui manducat meam carnem & bibit meum san-

guinem. Non adiecit per fidem, sicut nec in cœna meminit sacramentalis manducationis, sed quamlibet cum symbolo panis offerret illic corporis sui manducationem, tamen addidit, Quod pro uobis traditur, & ad calicem, Nouum testamentum, ut aperte indicaret se non de alia manducatione loqui quàm quæ fit per fidem, ut cunq; symbolis panis & uini uteretur. Certe si uere edunt Christi carnem & uere bibunt eius sanguinem, qui edunt panem et bibunt calicem in cœna Eucharistiæ, oportebit illos habere uitam æternam, aut non edere ipsa Christi carnem prout instituit, sed tantum eius symbolum. Sed ipsa uerba cœnæ nullam nisi fidei manducationem docent, sicut & hoc loco. Ibi siquidem offerebatur discipulis sacer panis & calix, quibus traditus tunc est cibus carnis & potus sanguinis Christi in constitutionem noui & æterni fœderis, hoc est in remissionem peccatorum, & in certam humani generis cum deo patre reconciliationem. Isti discipuli & uere carnem domini ederunt, atq; hodie edunt fideles, quia uere credentes ipsi sese redemptos, animis reficiuntur, si de confortantur & satiantur, ita ut nunquam sint esuraturi, sed æternam uitam beati uicturi. Hac enim fide, uel ore fidei percipitur nihil aliud quàm quod alit in uitam æternam ipsam animam fidelem. Id autem est Christus ipse, caro & sanguis eius, agnita & certa fide percepta, ut indubitatum pretium redemptionis nostræ, quod cibus est interni & spiritualis hominis iusti, qui fide sua uiuit, mande & accipit robur, ut morti ob Christum non cedat, uiuaciter sancta omnia operetur, gaudio & pace perfruatur semper, testimonium habens intra suam conscientiam hac fide esse se filium dei, & cohæredem olim futurum, ut omniaibus peccatis liberatus, & iustitia cõsummata donatus, beatus uiuat in æternum. Hæc est noua sanctorum uera & spiritualis uita renouati hominis. Iam quia de spiritualibus rebus uerbis translatis scriptura loqui cogitur, hanc fiduciam certam, robustam, uiuidam, operosam, cibum & alimoniam uocat anime fideles, firmiter et deuote credentis pro se Christum mortuum, ut sic reconciliata sit deo. Hunc cibum anima percipit à solo Christo seruatore qui è cœlo descendit, et solus dat uitam mûdo, à quo solo huiusmodi cibus interni hominis refectio sit petenda, qui & dicit: Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi uita. Is unus saluator noster est, omnia salutis nostræ media ipsi uni competunt, ipse dat spiritum, ipse docet, pascit, uiuificat, & instaurat quæcunq; in cœlo sunt & in terra. Hunc ergo panem domini edentes & calicem bibentes in communi cœna sacra, domini uiuificam & reuera præsentis Christi memoriam celebrant, mortem annunciant, communiter fidem profiteantur, cum gratiarum actione pro tanto beneficio, fœdus Christianæ & fraternæ charitatis renouent, ut confirmet unum corpus ecclesiasticum cum Christo capite, unde ut membra per spiritum uegetantur, dum uno pane participant, & de uno calice bibunt fideles. Non ut corpus domini in pane & sanguis Christi effusus realiter & substantialiter uel corporali præsentia edatur, sed nec ut inclusum ibi adoretur. Est Christus spiritu suo uiuifico perfecta præsentia nobiscum usq; ad consummationem sæculi, & peculiariter quoties in nomine suo conuenimus. Id satis notum est, neq; plus potest scripturis probari. Quæcunq; salutaria sunt, sacra scriptura non tam docet quàm inculcat. Dogma autem de præsentia corporali Christi in Eucharistiâ nullæ scripturæ explicat: non est ergo hæc traditio diuina. Nec de ea quicquam in hunc modum sancti patres libris uel epistolis tradiderunt, sed simpliciter nostram sententiam quam & ab eis didicimus, docuerunt.

Caro enim mea uere est cibus: & sanguis meus uere est potus: qui manducatur

manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

Quemadmodum cibus humanus traiectus in stomachum ac per membra digestus transit in substantiam corporis, ut iam idem sit cibus & homo uescens eo: ita uice uersa qui me comederit spiritualiter, & per fidem ueram ac uiuacem, ut dictum est, spiritualiter in me transformabitur. Porro cum sim ipse author ac princeps resurrectionis, non patiar mea membra diuelli à me. Sed quisquis mihi hac fide & spirituali hoc cibo & potu insitus fuerit, eum resuscitabo in nouissimo die, ut quoniam totus mihi se credit, totus etiam mecum uiuat in aeternum. Hoc non praestat cibus quicumque corporeus, nec manna quo uos gloriamini, sed hoc praestat talis esus, huiusmodi manducatio, credendo, et potus mei sanguinis. Proinde caro mea uere est cibus, id est uere mentem pascit atque uiuacem reddit ad omnem pietatis functionem, & praestat immortalitatis firmitatem: sanguis quoque meus uere est potus, qui confert uitam aeternam animae & toti corpori resuscitando. Sicut autem uita corporis, quod alitur cibo quotidiano ne deficiat ante diem, omnibus corporis membris communis est, propter indiuiciam inter se partium omnium societatem, quod cum sint diuersa corporis membra, unum tamen corpus sit, quoniam eadem uegetantur anima: ita qui carnem meam edit, modo quo potest & debet manducari, nempe credendo & fidendo in Christum redemptorem perfectum, sic mihi copulatur & cohaeret, ut nec ego ab illo, nec ille à me diuelli possit. Nam ego sum in illo per spiritum meum & gratiam uiuacem ac operatoriam, quo spiritu illi uitam impartio, & ille in me est per fidem ueram firmamque fiduciam, ueluti membrum in corpore, aut palmes in uite, societate indissolubili. Totum siquidem rapi in Christum & transmutari in ipsum oportet, qui solida fide agnouerit & perpenderit quam immensa nos dilectione complexus sit, dum nostri causa mori sustinuit; in hoc uicissim agit & uiuit Christus, omnia in eo suo spiritu perficiens, id autem est Christum manere in illo.

Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter patrem: & qui manducat me, & ipse uiuet propter me.

Christum pater misit, cum uerbum suum carnem fieri uel assumere uoluit. Cum ergo uerbum factum est caro, id est deus homo, facile liquet quod aeternam & diuinam uitam uiuere oporteat Christum etiam hominem, idque propter patrem à cuius uerbo humanitas assumpta est. Cum quis igitur ededo eum, id est crededo in eum maneat in eo, sitque unum cum eo, non est obscurum, quomodo & hic uiuat propter Christum, cuius utique spiritu in omnibus agitur. Vt uitam ex patre, mea facit exinanitio: ut homo uiuat ex me, participatio facit eius qui me manducat. Nunc ergo colligit.

Hic est panis qui de caelo descendit. Non sicut manducauerunt patres uestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, uiuet in aeternum.

Quicquid terrenum est idem & temporarium est & parum efficax. Manna quod sub duce Mose uobis è caelo fluxit, quoniam corporis erat cibus, non potuit maioribus uestris uitam praestare aeternam. Quum enim illo uescerentur omnes, tamen mortui sunt, nec quisquam è tanto numero supererat, plerique etiam secundum animam mortui sunt & damnati, quod multis modis deum pro-uocare perrexerint ad iram. Verum hic panis qui uere de caelo descendit, uer-

bum patris incarnatum & uiuificans, cœlestē uim habet, ut uescenti per fidem & credenti mysterium totum redemptionis per me perficiendæ det uitam æternam, non dissimiliter antiquis sanctis patriarchis & prophetis & nobis Christum sequentibus & uenisse credentibus.

Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?

Reproborum in hac synagoga obstinata arrogantia merebatur magis excari, electis autem nihil oberat, etiamsi quædam nondum planè assequerentur: denic̄ nondum aduenerat tempus, ut Euangeliū regni clare omnibus annuncietur & animis persuaderetur. Pati enim priusquā glorificaretur Christum oportuit. Non ergo apertius explicat quod eos offenderat, sed magis intendit, sola affirmatione tertio repetita contentus. Nisi quod hanc tamen rationem admiscuit, quod ut ipse patrem in se habeat, ac inde æternam uitam possideat, sic facile quoq; hanc ei uitam impartiri, qui sibi se addixisset. Turbati sunt itaque, & ex discipulis aliqui, dicentes: Durus est sermo quē loquitur, Nō posse quemquam uiuere nisi edat eius carnem & bibat sanguinem, & qui hoc fecerit sit in æternum uiicturus. Quod se panem cœlestē dixerat hactenus, forsitan ferri poterat, quod uideri poterat propter doctrinam suam, quæ eadem & patris sit dei, id sibi tribuisse: nunc autem carni suæ, quæ quia aliud nō est q̄ scœnum, ut omnis caro, hoc tribuit, hic plus nimio uidetur sibi sumere, & ita detrahare deo.

Sciens autem Iesus apud semetipsum quod murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc uos scandalizat: Si ergo uideritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?

Cum Christus sciret apud se, quē nihil latebat, huiusmodi inter discipulos murmur coortum, dixit ad eos: Hoc uos offendit quod tanta mihi sumo, quod tanta tribuo comescæ carni meæ, quod è cœlo me panem uiuum descendisse affirmo? Si igitur spectaueritis filium hominis rursus ascendētem ubi prius erat, in lucem inaccessam perfectum diuinitatis consortium, quid tum de me sentietis? Certe qui huius spectatores fuerint, aut aliās certo hoc cognouerint, illis nequaquam uidebuntur quæ modo dico absurda aut impossibilia. Quid est autem quod discipulos offendisse inquit? Id sanè quod statim dominus sua responsione declarat, non tam absurdum impium aut impossibile esse quod dixerat, ut putabant auditores discipuli. Id uero est quod dixerat, se uenisse è cœlo, eoq; se esse cœlestem, & diuinitatis compotem, eamq; alijs posse impartiri, quamuis homo esset, id est caro & sanguis. Nam cum se denunciat filium hominis cœlos ascensurum, quid ex eo docere aliud uoluit quàm tum manifestum fore se è cœlo aduenisse, qui illud denuo ascendendo repeteret: iuxta illud prædictum in cœlo. Offenderat igitur & discipulos hosce, quod sibi homini arrogasset dare in se credentibus uitam æternam, eoq; panem se esse cœlestem & uitalem, qui è cœlo aduenisset, hoc est deum hominem adsumpsisset. Porrò quod ascensum suum in cœlum indicauit potius quàm aperte dixit, ideo fecit, quod nondum aduenisset hora eius, ut gloriam suam palàm profiteretur. Hinc utitur tali oratione, interrogans: Hoc uos offendit? Hoc, inquam, quod me maiorem q̄ decere putatis facio? & aio è cœlo me aduenisse eoq; deum esse, quamlibet in firma hac carne tectus & ueluti indutus? Videntur dura, adeò ut maletis dicere impia

re impia quæ loquor; si igitur spectaueritis filiū hominis talē ascendentem ubi erat prius in cœlum, unde uenit, in quo & uerbum patris semper est, quid tum censebitis? Videbörne etiam tum plura quàm par sit mihi arrogasse? In illud tempus uolumus istam disputationem differre, Tum dabitur spiritus, qui uiuificat & uera intelligentia illustrat, hoc est quod dicit:

Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest quicquam:

Caro & corpus istud meum quod cernitis, dum in ista apud uos conditio-
ne uersatur, nihil conducit, non efficit principale præcipuumq; poppter quod
ueni, subduci igitur eam oportet ex oculis uestris, & aliū paracletum dari, is
suggeret dabitq; intelligere quæ dixi uobis uti & sunt spiritus & uita. De ijs si-
quidem loquuntur, quæ spiritu & dantur & percipiuntur, eoq; uitam æternam
adferūt, quare nemo illa percipiet, nisi spiritum uiuificantem acceperit. Ille au-
tem, ait dominus, nō ueniet nisi submota fuerit hæc mea caro ex oculis uestris.
Ipsa enim caro adeo nihil proderit ad hoc ut electi me agnoscant, unde uiuant,
ut etiam infra tempus à patre statutum impedimento sit & arceat spiritum uiui-
ficantem, si hic diutius relinqueretur. Quibus uerbis etiam dominus declara-
uit, quomodo manducari oporteat ipsius carnem, & quo nam pacto ea uiuifi-
cet. Immolari oportuit illam, & resurgere, ad cœlos ascendere, ut uideremus im-
molationem eius profuisse & expiasse peccata. Si enim in morte mansisset, quo-
modo potuisset credi pro mundi peccatis omnibus esse satisfactum? nisi ani-
ma uertissemus diuinitatē omnia uiuificantem corporaliter inhabitare in ista
carne crucifixæ. Non ergo alia ratione Christus pronunciauit inutilem suā car-
nem quàm si dentibus laniaretur, corporaliter ederetur, in stomachū demitte-
retur, ore perciperetur corporeo. Dubium enim non est, intellexisse tam Iude-
os quàm discipulos, quod allegoricos dixisset Christus carnem suam uere & ui-
uificum cibum, & ideò quoq; offensos, quod tam abiectæ carni arrogaret uirtu-
tem uiuificatricem. Significare ergo uoluit his uerbis fructum illum provenire
non posse ex assumpta carne, quamdū sic humiliter conuersaretur in terris,
ideo subuehendā in cœlos, ut qualis caro esset palām fieret. Et tamē spiritum
uiuificantem mittendum, qui carni illi in electorū cordibus testimonium per-
hiberet, eamq; ita glorificaret, ut uniuersi electi agnoscerent, uere eam esse ci-
bum salutis & uitæ, nec nisi per eam nos saluari posse, hoc est fide in ipsum pro-
edi in cœna, nec cibum esse animarum ut sic, & ut à ministro distribuitur sacra-
mentum illius panis, sed tantum sacramentaliter & spiritualiter, credendo per
illud immolatum animas à peccato mundatas esse & sanctificandas.

uerba quæ ego loquutus sum uobis, spiritus & uita sunt.

Nolite sermonem meum auersari, si carnales adhuc nondum ut oportet in-
telligitis, sed potius date operam ut intelligatis. Nam uerba quæ loquutus sum
uobis, non sunt carnalia, quemadmodum uos interpretamini, sed spiritus sunt
& uita, quia spiritualiter intellecta uitam conferunt animæ. Hæc qui recte su-
mit, is edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, & uitam æternā mihi co-
pulatus lucrificat. Qui uero respuit, perseverat in morte, ob delicta uitæ pristina-
e, & ob incredulitatem mentis damnationem sibi conduplicat.

Sed sunt quidam ex uobis qui non credunt. Sciebat enim ab initio
Iesus qui essent credentes, & quis traditurus esset eum. Et dicebat: Pro-

pterea dixi uobis, quia nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.

Respuit hunc panem oblatum, qui sermonibus meis non credit. Scio quibusdam hæc frustra dici, non ignarus, esse quosdam inter uos qui fidem nõ habent dictis meis, & uitam oblatã auersantes, sibi asciscunt perniciem. Hæc ideo loquutus est dominus Iesus quem nihil fugiebat, etiam antequam hæc uerba faceret, qui nam ex discipulis essent credituri. Quin & illud sciebat, inter duodecim discipulos quibus apostolici cognominis honorem indulsit, quosq; sibi peculiariter ueluti certissimos amicos delegit, unum fore qui se Iudæis proderet ad necem. Hos igitur notãs Iesus quod quum eundem cum cæteris sermonem audirent, & unus e duodecim ex eodem pane comesurus esset cum cæteris, ex eodem poculo bibiturus, tamen non consequerentur uitam, quod panem cœlestẽ non spiritualiter sed carnaliter ederent, ideo adiecit: Propterea paulo ante dixi uobis, neminem posse uenire ad me, hoc est mihi ex animo credere, & sese mihi committere toto corde, & incorporari mihi ut membrum uiuens corpori meo nisi fuerit ei datum cœlitus à patre meo. Nihil est hanc audisse uocem, nihil est hoc corpus uidisse & contigisse, nisi pater cœlestis dederit oculos fidei, quibus salubriter conspicior, nisi dederit aures mētis cœlestes, quibus cum fructu audior. Hæc uerba Iesu plena salutiferæ doctrinæ non descenderunt in animos eorum, quibus mens erat terrenis cupiditatibus occupata, quiq; præter crassam Mosaicæ legis religionem nihil cœlestis capiebant. Quod autem Euangelista prædicat dominum non credentes nouisse, & proditorem etiam tum lætentem, deterreat nos ab hypocrisi, & consoletur si quando & inter nos hypocritæ deprehendantur, etiam inter uerbi ministros. Tantum cauti simus, ne ut oues eos amplectamur qui lupi sunt rapaces.

Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro, et iam non cum illo ambulabant.

Auditis illis sermonibus quibus Christus defendebat opus esse hominibus manducatione carnis suæ, & bibitione sanguinis, præterea filium dei se indicabat, & nouo quodam parabolarũ genere loqui uidebatur, & ad spiritualia hortabatur, qui cupiebant carnalia, pertæsi noluerunt amplius ipsum sequi, sed abierunt, & non sunt amplius Christum confessi, sed de eo erubuerunt, doctrinam uilipendentes: libertatem enim carnis quærebant, quales Christum non sequuntur. Verum ex septuaginta discipulis plures sed non omnes desciderunt ad tempus, qui post Christi resurrectionem sese iterum discipulis addiderunt, spiritum sanctum expectantes. Vnde & offensi hic sunt quidam etiam ex additiõibus discipulis Christi. Hi sunt qui non edunt carnem Christi.

Dixit ergo Iesus ad duodecim: Nunquid & uos uultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? uerba uitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Christus filius dei.

Dominus Iesus iam tum formam exhibens Euangelicis doctoribus, nec abiectione laborat ut remaneant, ne, quod ceteri solent, uideatur egere comitatu illorum; nec etiam conuertiatur abeuntibus, ne suam gloriam quassisse uideatur magis quàm illorum salutem, nec tamen prorsus alienat à se, qui fortassis postea se ad mentem meliorem conuersuri erant, sed illis discedentibus, ut ostenderet illos suo officio offensos abire, nec sermonẽ prorsus suo fructu cariturũ, etiam si qui

si qui per incredulitatē se redderent indignos cœlesti dono, conuersus ad duodecim quos ascuerat sibi peculiare testes ac præcones omnium quæ gerebat, sic elicit illorum professionem, ut nec hos blanditijs retineret, ueluti suū agēs negotium potius quàm illorum, nec minis aut iurgijs territaret, ne coacti magis quàm persuasi Iesum sequi uiderētur. Nullus enim ad fidem Euangelicam compellendus est, & Iesus mauult aperte deficientem quàm fictum ac fucatum comitem. Discedentibus itaq; cæteris, dicit Iesus illis duodecim: Num & uos uultis abire? Liberū est, nisi intelligitis uestra referre ut permaneat. Equidem cupio munus hoc cœleste omnibus contingere per me, sed nec auersantibus dan- dum est, quia non promerentur, nec quisquam accipere potest nisi fuerit appetens: ut autem appetat aliquis, & hoc patris donum est. Hic Simon Petrus simplicis & ardentis fidei semper in Iesum, totius apostolicæ ecclesiæ personam gerens, cæterorum nomine magna alacritate respondet: Absit domine, ut te deseramus, alioqui quū simus auidi salutis æternæ, quumq; non ignoremus quàm frigida sint ea quæ docent pharisæi, quumq; audierimus Ioannem de te testificantem, ad quem alium abibimus? solus enim loqueris quæ uitam conferunt æternam. Non abiges nos semel admissos, qui nullum non recipis, neq; nos cupimus mutare dominum, mutaturi in peius quemcunq; delegerimus. Nos em̄ non solum tuis dictis freti credimus, uerumetiam ex ipsis factis cognitum habemus & comper tum, te esse Christum illum filium dei, à quo solo speranda sit omnibus æterna salus. Quasi dicat: Non te habemus pro puro homine, nec pro uulgari quopiam propheta, fatemur te esse Messiam illum promissum à prophetis, quem patres expectauerunt, filium dei uiuentis, id est omnia uiuificantis, qui habes æqualem potestatem à patre, à quo omnis uita sæculi præsentis & futuræ, de qua uita initio loquutus est: Operemini cibum permanentem in uitam æternam. Apostoli ergo dicunt se hoc cognouisse, quod sit ille qui possit præstare se edentibus & credentibus uitam æternam. An non satis paucis ex uerbis prædicta intelligere possumus? Edere panē & bibere sanguinem Christi, quid aliud est quàm in Christum credere ut habeamus uitam æternam? Videmus hic quàm multi abierint, sed non propterea desperandum: manent pauci apud dominum. Neq; in causa est Christus, nec ueritas doctrine eius, ipsi fuerunt auctores sui mali. Inde consolentur qui hodie docent fideliter & cum digna modestia, etiamsi multi recedant, fieri potest ut quo purius doceatur tanto plures deficiant discipuli. Ecclesia melius habitura est, si fuerit purgata ab ijs ulceribus. Etiam in hoc paruo residuo numero apostolorū erit cribratio, de Iuda loquor, quasi etiam ipse hoc crederet uideretur. De electis audiuius, nunc de reprobis legemus.

Respondit eis Iesus: Nōne ego uos duodecim elegi, & ex uobis unus diabolus est? Dicebat autem de Iuda Simonis Iscariotis: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

Hanc tam magnificam Petri de se prædicationem nec admiratus est Iesus, ne laudibus hominum capi uideretur, nec respuit, ne quod uerum erat abnegaret, sed omnes adhortans, ut in ea professione perseverarent, quā Simon omnium nomine ædidisset, subindicauit unum ex illis paucis futurum, qui non solum abiret à se quemadmodum cæteri discipuli fecerāt, uerumetiam pactus cum aduersarijs proderet magistrum suum in mortem. Id autem tecte significare maluit, ut nec Iudam proderet, nec cui merito putaretur ultus dominū hoc

conuictio prouocatus, & eodem sermone redderet omnes sollicitos, ne sua culpa in tam impium facinus prolaberentur. Quid, inquit, miramini iam aliquot discipulorum abiisse? Nonne ego uos ut eximios ex omnibus non ex meritis uestris sed gratuito elegi? & tamen e tam paucis & singulariter dilectis unus diabolus est, delaturus eum cuius corpus ederit & sanguinē biberit iuxta carnem non spiritum, cuius audierit sermonem, cuius miracula conspexerit. Nolite igitur deficere ab ijs quæ coepistis, quemadmodum illi fecerunt, quos uidistis abiisse, sed semper ad meliora proficētes perseuerate, donec efficiamini digni, qui uescentes spiritualiter cibo doctrinae meae coelestis, per hanc in me transformati uitam aeternam consequamini. Quid igitur profuit Iudae operatio miraculorum? quid dignitatis altitudo? quandoquidem uera fide caruit. Igitur qui stat, uideat ne cadat. Est Lucifer e coelo eiectus, Adā e paradiso, & Iudas e summo loco excidit. Quid mirum si nos, non tantis priuilegijs insignes, facile labamur? Bonum est ut ambulemus in timore domini, fiduciam illam collocātes in deum, ita portae inferorum nihil aduersus nos sunt praualiturae. Interim Iudas conuersabatur inter ceteros absque offensione, cuius consuetudo si praedudicasset ceteris discipulis, nequaquam Iudam dominus tolerasset. Non omnis ideo laudanda pastorum patientia. Eos sine iactura aliorum ferre possumus, de quibus spes est emendationis. Diabolum autē uocat, quum organum esset diaboli & membrum. Non aberrabis si hominem malum & impium diabolum diuulseris, quia diabolo aliquo modo incorporatus est. In hoc capite potissimum obseruabis quid sit manducare carnem Christi, credere in Christum crucifixum, simul mortificari, & confidere, quod in morte uiuificet, haec P. M. In Iuda quē nihil mouit domino cognitum esse, solita impiorum indicatur obstinatio.

CAPVT VII.

A **R**ost haec autem ambulabat Iesus in Galilaeam: non enim uolebat in Iudaeam ambulare, quia querebant eum Iudaei interficere.

Vbi dominus Iesus huiusmodi sermonibus coelestia quaedam & homine maiora sonantibus, auditisque miraculis sibi magnam conflasset inuidiam apud suos, quibus hoc erat contemptior, quod domestice quoque notus esset, exacerbabat autem inuidiam domus ac parentum humilitas, uersatus est in Galilea. Non enim illi iam tutum erat in Iudaea uiuere, quod eius regionis homines iam dudum uitae illius molirentur insidias, non quod mortem metueret Iesus, aut non illi fuerit in manu, quoties uisum fuisset, e medijs insidijs elabi, sed hominis personam gerens discipulis suis imaginem quandam futurorum obiecit, quibus euenturum erat, ut ob Iudaicae gentis malitiosam incredulitatem ad Gentes demigrare cogerentur. Docuit interim nos dominus, ut furori nonnunquam cedere mus: cum uideamus gloriam dei inde nullum sumere incrementum, tunc multo satius est cedere, & se subducere ab hostium furore: nam cum hoc exemplum uideamus in ipso Christo, non est imputandum alicui ex inferioribus, temere periclitari laudabile non est: ita etiam ubi gloria dei poscit, pericula fugere damnosum est. Neque tamen ita cesserat, quasi nunquam rediturus, sed oportuno tempore erat rediturus iuxta patris praescriptum.

Erat autem in proximo dies festus Iudaeorum, scenopegia. Dixerunt ergo ad eum fratres eius: Transi hinc, & uade in Iudaeam, ut & discipulis tui

li tui uideant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palam esse, si hæc facis, manifesta te ipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum.

Instabat Iudæis dies cum primis festus & celebris & religiosus, ob memoriam patrum qui uitam agebāt olim in tabernaculis, subinde mutantes sedem per quadraginta annos exitus de Aegypto, antequam acciperēt promissionis terram. Typo quodam iam tum adumbrantes, qualem oporteat esse uitam eorum qui profiteantur Euangelicam doctrinam. Quoniam autem ad diem festum magna uis hominum ex uniuersa Syria ac finitimis etiam regionibus confluere solet Hierosolymam ob templi celebritatem, cuius religio tamen apud Ethnicos etiam erat uenerabilis, cognati Iesu rudes adhuc & humanis affectibus obnoxij, freti propinquitatis iure, confidētius quàm par est hortantur eum ueluti gloriæ quidem audum, sed subtimidum, animoq; minus quàm oporteret præfenti, ut si fideret suis præsijs, non latitaret inter Galilæos alienigenas, sed Hierosolymis in media hominum luce frequentiaq; præstaret ea quæ tam magnifice de se fuisset loquutus. Instat, inquiunt, dies celebris, relicta Galilæa in qua iam nimium diu latitas, confer te in Iudæam florentissimam regni partem, & Hierosolymam totius Iudæicæ gentis caput; ibi licebit plures discipulos colligere, si uiderint omnes omnia quæ facis. Nullus enim si uelit haberi magnus, ea facit in occulto per quæ parari possit ab hominibus opinio. Si de cælo descendisti, & tanta potes quanta de te prædicas, fac ut mundo sis notus. Nemo uero miretur hanc orationem cognatorum domini Iesu carnalem, arrogantem, atq; etiam impiam. Siquidem id temporis ne hi quidem tunc credebant ei, qui illi fratres, hoc est arcta familiaritate iungebantur, quorum aliquot tamen post in apostolorum numero Christi gloriam constantissime prædicarunt. Scimus quidem Mariæ non fuisse filium alterum post Christum uel ante, mos tamen scripturæ est fratres nominare qui proxime consanguinei sunt & familiares. Et illi non credebant in Christum, adeò nulla est prærogatiua, qua alij præ alijs saluentur: non enim est acceptio personarum apud deum, non cognatio, non dona, non opera, fides est quæ commendat & iustificat.

Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit, tempus autem uestrum semper est paratum. Non potest mundus odisse uos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo quod opera eius mala sunt.

Dominus Iesus pro sua singulari mansuetudine leniter suorum confidentiam corrigit, significans in eo quod pro salute generis humani gerebat in terris, nihil habere iuris carnalem propinquitatem, sed totum hoc quoniam erat cœleste ex patris cœlestis autoritate temperandum esse, se nec metuere mortem, quā uolens pro salute generis humani suscepturus esset, nec affectare gloriam huius mundi, cuius odium in se prouocaret uera loquendo, & affectibus mundanis contraria. Tempus, inquit, meum nondum aduenit; id ubi hortabitur, non erit opus uestris monitis, quomodo & quando me oporteat innotescere mundo, ex patris cœlestis pendet decreto, non ex humano consilio. Ego qui patris arbitrato ueni, meum quoq; habeo tempus. Vestrum autem tempus qui humano affectu ducti gloriam huius mūdi quæritis, & in me iuxta humanum sensum gloriari uultis, semper paratum est. Tuto potestis ire quò lubet, quādo mundus uos ut consentientes sibi diligit. Ego non uenor gloriā apud mundum.

hoc affectu quo uos uenamini: nam gloriam patris mei quæro, & salutem hominum molior. Tantum autem abest ut apud mundum captem gloriam aut laudem, ut odium potius illius contra me concitem, dissentiens ab illius cupiditate, ac palam testificans, quod mala sunt opera illius, in quibus tamen ille fictam pietatem & falsam felicitatem collocat.

B Vos ascendite ad diem festum hunc: ego enim non ascendam ad diem festum hunc: quia meum tempus nondum impletum est. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa.

Habent, inquit, Iudæi suos dies festos, quos iam olim abominatur deus. Immolant enim uictimas ingratas & inuisas deo, quum manus interim habeant sanguinis plenas: in diebus his quos uolunt uideri puros & sanctos, moluntur necem innocentibus. Mihi unus dies uere festus est spiritualiter celebrandus, quo pater delectatur, is nondum aduenit, ubi aduenerit occurram ultro. Vos qui carnales adhuc estis, & mundum sapitis, ascendite ad hunc festum diem: ego non ascendo uobiscum ad istum diem festum: quia tempus meum nondum impletum. His dictis dominus Iesus ablegauit ab se cognatos suos secundum carnem, quorum auctoritatem & affectus semper solitus est submouere, quoties Euangelicum esset agendum negotium, quod quoniam totum patris arbitrio uolebat ascribi non patiebatur humanis rebus inquinari. Sic matris auctoritatem coercuit in nuptijs, ac rursus à sermone Euangelico indignatur se per matrem & cognatos euocari foras, & aliquantisper in Cana commoratus cum propinquis suis, relictis illis aggreditur prædicandi negotium, denique agnoscens, quin & puer adhuc duodecim natus annos, indignatus matrem non quod illorum auctoritate ab his quæ patris ipsius erant auocaretur.

Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.

Fratres domini existimantes Iesum non uenturum ad diem festum metu Iudæorum soli profecti sunt, ipse uero discendentibus illis remansit in Galilæa. Sic omnes actiones suas temperans ac dispensans ut nunc humanæ naturæ præberet argumenta ne non uerus homo fuisse putaretur, diuinæ nunc uirtutis profectus indicia ne tantum homo crederetur. Posteaquam autem abiissent fratres eius ad diem festum, tunc profectus est & ipse, ut satis esset perspicuum, se non tam metu Iudæorum abstinuisse à conuentu solenni quam ut fugeret comitatum suorum cognatorum, quos adhuc carnales nolebat Euangelico negotio admisceri. Venit autem Hierosolymam, non ostentans sese, sed ueluti furtim et occulte, uidelicet magis irritaturus expectationem sui, & maiore fructu suo tempore proditurus in publicum. Nouerat enim animos pharisæorum quod iam pridem hoc agerent clancularijs consilijs, ut in die festo per occasionem illi manus iniicerent.

Iudæi ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Et murmur multus erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudæorum.

Quum dominus adesset quidem Hierosolymis, cæterum non prodiret in publicum hominum coetum, quemadmodum consueuit, Iudæi obseruabant illum, si

lum, si uenisset ad diem festum: quumq̄ desyderaretur illius conspectus, quare
rebant inter se, ubi nam esset. Iamq̄ in eum uelut absentem uarij sermones in
populo ferebantur, quod non esset eadem omnium de Iesu opinio, nec eadem
omnium studia. Nonnulli siquidem populares, qui miraculis ab illo æditis in-
terfuerant, qui sermones audierant, qui mansuetudinem e congressu fuerant
experti, dicebant Iesum esse bonum uirum, & indignum in quem aliquid acer-
buis molirentur. E diuerso sacerdotes ac pharisæi, quos iam pridem male ure-
bat Iesu gloria, negabant illum esse bonum uirum, qui turbam ueluti seditio-
sus ad se pelliceret, & ab sacerdotum scribarum & pharisæorum reuerentiã re-
uocaret. Hæc uero clancularijs susurrijs spargebantur de Iesu, quum interim
nemo palàm auderet de illo bene prædicare, quum essent non pauci qui bene
de illo sentirent. Metuebant enim Iudæorum proceres, quibus intelligebant Ie-
sum esse uehementer inuisum, quod ipsorum auctoritatem suis dictis factisq̄
uideretur imminuere. Porrò quod ad tempus latitauit Iesus, mansuetudinis e-
rat ac modestiæ, ne liuorem pharisæorum nihil præter occasionem occidendi
captantium ultrò prouocasse uideretur: quod prodijt datum est his, quos scie-
bat sua doctrina profecturos ad salutem, quum non ignoraret pharisæos et scri-
bas nihil aliud quàm efferatioris etiam futuros, ex his quæ diciturus aut gestu-
rus esset pro salute mundi. Optabat em̄ dominus humanæ salutis auidissimus,
si fieri potuisset, suam doctrinam omnibus salutiferam esse, tamen non erat tan-
tum tribuendum quorundam peruersitati ut simplicibus Euangelica doctrina
subtraheretur.

Iam autem die festo mediante ascendit Iesus templum, & docebat.
Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non
didicerit?

Quum iam dimidium festi peractum esset, Iesus palàm ingressus est tem-
plum, atq̄ illuc docebat populum, non pharisæicas constitutiones, aut legis cere-
monias mox desituras, sed philosophiam Euangelicam. Iudæi uero cum doctri-
nam illius calumniari non possent, tamē auctoritatem apud populum student
adimere, admirantes, quod quum esset idiota & literarum rudis (nunquã enim
institutus fuerat in doctrina pharisæica, cuius professione turgebant illi) unde
nactus esset ea, quæ e sacris uoluminibus magna sapientiã depromebat, uelut
inimulantes eum, quod dæmonium haberet, aut alia quauis arte magica scien-
tiam esset consequutus earum literarũ, quas ab hominibus non didicisset. Quo-
modo, inquit, hic faber fabri filius literas scit, quum eas nunquam didicerit?
Hic non ostendit Euangelista quæ Christus docuerit. Certum est tamen pro-
phetas eum & scripturas legis explanasse in conuocatione populi loco ma-
nifesto, & cum auctoritate singulari, & uulgi attentione: huiusmodi enim do-
ctrinæ fiebant in solennitatibus ab antiquo, & iuxta legem, quod erat sabbati
obseruantia.

Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui
misit me. Si quis uoluerit uoluntatē eius facere, cognoscat de doctrina,
utrum ex deo sit, an ego à meipso loquor. Qui à semetipso loquitur, glo-
riam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit eum,
hic uerax est, & iniustitia in illo non est.

Aggreditur nunc eximiam istam doctrinam de probatione spirituum &
doctrinarum, quæ plane non est contemnenda. Nam perpetuũ certamen fuit

ferè à conditò sæculo, & futurum usq; ad consummationem sæculi, quæ doctrina uera & quæ falsa. Nam semper cum ueris prophetis irrepserunt hypocritæ & falsi doctores. Vnde operæpretium, ut possimus internoscere inter ueros & falsos doctores. Hæc usq; ad undecimum cap. tractat, ut pulchre uideantur omnia cõiungi. Dominus itaq; ut nobis mansuetudinis ac modestiæ præberet exemplum, suspicionē tam impiam leniter submouet, ostendens suam doctrinam nō esse profectam ab homine, non quidē à dæmone sed à deo, quem ipsi quoq; colerent, & cuius gloriæ deberent fauere, si uere pijs uellent haberi, ipsum uero nec doctrinam quam admirabantur, nec gloriam cui inuidebant, sibi uindicare, sed totum esse patris cœlestis cuius negotium ageret. Porro cū legis à deo traditæ scientiam profectam sibi arrogarent, aliosq; ceu indoctos idiotas fastidirent, æquum erat ut si uere tenerent scripturarum scientiam, agnoscerent doctrinam ab eodem profectam, unde lex erat profecta, nisi liuor & odium, propriæ gloriæ studiū, quæstus amor, similesq; cupiditates prauæ mentis iudicium excæcarent: nec enim deum sibi contrarium esse, ut nunc aliud doceat per filium quàm antea tradiderit per legem. Respondit igitur Iesus omnium arcano rum conscius illorum clanculario murmuri in hanc sententiam: Mea doctrina quam admiramini unde mihi contigerit, quum ab homine literas non didicerim, non est mea (nō enim nouam aliquam humanam doctrinam uobis affero, diuersam à uoluntate dei ac mente legis à deo traditæ) sed est patris mei, qui misit in mundum, ut mundus seductus uarijs hominum doctrinis, & impijs cupiditatibus excæcatus, per me cognoscat illius uoluntatem, cognitam sequatur, & sequendo uitam assequatur æternam. Hæc est autem uoluntas illius, ut credentes dictis filij, per quem ille nos docet & loquitur, salutem æternam adipiscamini. Id quo minus uelint multi, liuor, odium, ambitio, quæstus, cæteræq; cupiditates malæ in causa sunt. Quod si quis depulsa malitia simplici corde uoluerit uoluntati patris obtemperare potius quàm suis prauis affectibus, is facile cognoscat doctrinam meam nō esse hominis, aut dæmonis nouū inuentum, sed à deo profectā esse, nec me quod loquor ex humano sensu loqui, sed ex mente patris, cuius legatus sum. Homines qui suæ gloriæ student magis quàm dei, quo pluris fiant apud mundum, nouas ac suas doctrinas anteponunt doctrinæ dei. Malunt enim authores haberi doctrinæ humanæ, cuius tota gloria in solodum ad ipsos redeat, quàm diuinæ doctrinæ præcones, maluntq; ea docere quæ ipsis gloriam ac lucrum concilient quàm quæ gloriam & honorem pariat deo, ac salutem proximo. Cæterum qui nō quærit propriam gloriam, sed eius à quomissus est, hic omnia syncere loquitur, nec huius doctrina uel erroribus obnoxia est, uel ambitionis, auaritiæ, liuoris, odij cupiditatibus uitiata.

Nōne Moyses dedit uobis legem, & nemo ex uobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes, quis te quærit interficere?

Non aliud ego doceo quàm quod per legem uos docuit deus, si quis legis mentem recte intelligat, nec aliud facio quàm quod lex præscripsit. Vobis qui me contemnitis sacrosancta est Moysis autoritas: an non ille uobis tradidit legem acceptam à deo? Legis obseruantiam uobis arrogatis, quū nemo uestrum sit, qui uere seruet legem, secundum dei qui legem tradidit uoluntatem. Imò legis prætextu ea molimini quæ maxime punit & detestatur lex. Mihi blasphemiam impingitis, quia dei gloriam quero magis quàm gloriam hominum. Sabati

bati uiolationem obijcitis, qui in sabbato seruarim hominem, quum uos sabbati religio non cohibeat, quo minus exitium moliamini innocenti, nec innocenti solum, uerum etiam benemerenti? An istud est magnificare Moſen quem mihi praefertis? An hoc est reuereri deum legis authorem, quem sicra religione colitis? Nonne lex execratur eum qui sanguinem fudit innoxium? Nec permittit occidendi ius nisi in maleficos, nec in hos nisi legitime conuictos & damnatos. Mihi uero, qui missus a deo, uoluntatem illius uobis iuxta legis mentem praedico, qui non meam sed illius gloriam quero, qui non mihi regnum aut opes affecto, sed omnibus gratuitam salutem offero, qui laedo neminem, benefacio omnibus, quare contra legem molimini necem? Haec Iesu uox duplici nomine perturbauit animos pharisaeorum: primum quod animaduertent clancularias licet machinationes suas non latere conscientiam illius, quem credebant facilius a medio tolli potuisse, si quod moliebantur fefellisset; deinde quod illos qui se uideri uolebant legis obseruantissimos, legis impie uiolatae reos ageret apud populum. Non uerebatur dei conscientiam insidiantes innoxio sanguini, sed populi conscientiam metuebant. Itaque ut ad tam impij facinoris conscientiam confidentia dissimulent, ad manifesta conuicta confugiunt (qui mos est improbis in maleficio deprehensis, quod excusari non possit) Daemonium, inquit, habes, quum patrem deum iactes doctrinae tuae authorem. Deus uerax est, tu daemnis instinctu mentiris, quis tibi machinatur necem?

Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit uobis circumcisionem: non quia ex Moſe est, sed ex patribus, & in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato ut non soluatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate.

Ad tam blasphemam uesaniem dominus Iesus non regessit conuictum, ne furorem adderet furentibus, sed nobis lenitatis exemplum praebens, mansueti facti sui quod calumniabantur reddit rationem. Siquidem quum ipsi legem uiolarent in omnibus, tamen Iesum uiolatae legis insimulabant, quod paralyticum sanasset in sabbato. Ego, inquit, die sabbati unum quoddam opus feci, neque magis non neque sordidum, sed quo salutem homini calamitoso contuli, quod uos quoque uiolant sabbatum, qui hoc moluntur in sabbato, quod quouis die factum impium est. Non est tanta sabbati religio quin his rebus debeat cedere quae maioris sunt momenti, & quouis die pie sunt. Hoc exemplum si uobis ipse Moyses, cui tantum tribuitis, ante me praebuit, si lex ipsa docet opus fieri posse non uiolato sabbato, aut me absoluat necesse est, aut simul mecum damnetis & Moſen, imo legem ipsam, si quicquid ille tradidit lex est. Moſes enim uobis tradidit circumcisionem, non quod simul cum lege nata sit circumcisio, sed quod ante legem fuerit a deo tradita patriarchis, & hoc nomine maioris momenti uideatur circumcisio quam sabbatum, quia legem praecesserit ac legis ueluti caput sit. Sed idem Moſes qui praecipit circumcisionem, praecipit & sabbatum. Vos in sabbato circumciditis hominem, nec uidemini uobis uiolare sabbatum ob circumcisionis dignitatem, cui putatis aequum ut cedat sabbati religio, quemadmodum & in templo leuitae & sacerdotes operantur ea quae pertinent ad rem diuinam, nec sibi uidentur uiolare sabbatum, quod existiment id quod agunt

sanctius esse quam ut ob sabbatum debeat omitti. Quod si uos in sabbato circumciditis hominem, ne praputatio differat à uobis, nec hoc opere putatis uiolari sabbatum, cur meo opere clamatis indignabundi uiolatum sabbatum, qui non unam hominis partem curarim, sed totum hominem seruarim in sabbato? Circumcisio tamen si lege prior, & legis quodammodo caput est, tamen perpetua non est. Erant enim homines deo chari, prius quam esset praputij circumcisio. Et erit tempus, quum deus auersabitur carne circumcisos, mente incircumcisos. Cæterum proximo miserabili salutem conferre corporis & animi, quemadmodum maius ac sanctius est opus quam circumcidere hominem, ita perpetuo bonum, ante legem, sub lege, & post legem, quia suapte natura bonum est. Cur in simili causa imò cur in causa quod ad me pertinet, potiorẽ Mosen uenerami ni, me ueluti nepharij facinoris reum peragitis? Non enim nunc disputo uter altero maior sit. Sit uobis Moses, ut est, uir eximius; sim ego qualis uobis uideor humilis & contemptus, tamen si rem spectare uultis, aut uterq; uobis mandandus est, aut absoluendus uterq;. Siquidem hoc quoq; uos lex docet, ut in iudicando rem spectetis, non personam; & execrabilis est, qui diuini fauens patris perem opprimit. Proinde nolite iudicare secundum personę qualitatem, sed ex ipsa rei iustum ferte iudicium, si uultis uideri legis Mosaicę tenaces. Hęc atque huiusmodi multa quum à domino Iesu tam mansuete dicerentur, ut animum quamlibet ferocem lenire possent, tam uera, ut à nemine quamuis impudente possent refelli, obticescunt quidem pharisęi, sed nihilo secius persistunt in sua malitia, nihilo mitiora prementes animis suis, quod apud multitudinem ausus esset sic à se crimen uiolati sabbati refellere, ut in ipsos crimen longe grauius regereret.

D Dicebant ergo quidam ex Hierosolymitis: Nonne hic est quę querunt interficere? Ecce, palam loquitur, & nihil ei dicunt: Nunquid uere cognouerunt principes quia hic est Christus? Sed hunc scimus unde sit, Christus autem cum uenerit, nemo scit unde sit.

Tam arrogans erat pharisęorum supercilium, ut hoc quoq; uellent auctoritati suę tribui, ut innoxius accusatus, ueritatis causam desereret potius quam aliquid ipsorum glorię decederet. Et inuenit hoc hominum genus in populo multos, qui malint horum peruersę opinioni seruire quam diuinę obtemperare uoluntati. Quidam enim Hierosolymitę dicebant: Nonne hic est cui pharisęi & scribę machinantur mortem, ut qui modo creditus est horum metu latitare, nec prodire ad diem festum? ecce palam in templo & libere loquitur illis in os, nec illi respondent quicquam: quid sibi uult illorum silentium? An principes persuasi sunt hunc esse Messiam, & nunc silentio consentunt quod prius oppugnabant? Atqui non est uerissimile principes hoc sentire, siquidem omnes nouimus unde hic profectus sit: nō sunt ignoti parētes eius, humiles & idiotę, non est ignota patria, non fratres reliquiq; cognati: cæterum Messias ubi uenerit, ita uenturus est, ut nemo sciat unde prodierit. Iesus autem uidens tantam illorum cæcitatem, ut cum prophetia prædixisset e Bethleem uenturũ Messiam, ubi natus erat Iesus, reliquaq; prophetiarum in eum signa competeret, tamen excæcati malitia, ob hoc ipsum se negant eum scire quod scirent, & ideo Christum mentiuntur ita uenturum ut nemo sciat unde ueniat, ne cogantur eum agnoscere.

Clamabat ergo Iesus in templo docens, & dicēs: Et me scitis, & unde sit

de sim scitis, & à meipso non ueni, sed est uerus qui misit me, quem uos nescitis.

Domínus Iesus cuius conscientiam nulla latent hominum secreta, ut hanc multitudinis prauis affectibus corruptæ insciciam coargueret, quæ hoc sponte nesciret quod scire poterat, nisi mala mens obstitisset iudicio, uoce iam pronunciat clariore, ut non solum à propinquis uerumetiam à toto populo possit exaudiri, qui in templo uersabatur: nam is locus potissimum congruit prædicandæ gloriæ dei. Palàm docere cœpit qui esset, & à quo missus esset, nec à quo quam ignorari posse, nisi qui aut sponte mallet inscius esse, aut id quod sciret ob animi malitiam nollet profiteri. Nos interim suo facto admonens, ut nunquam cedendum est hominum malitiæ, ne magis irritata peccet atrocius, grauiusq; dei iudicium in se prouocet: ira posteaquam nihil non tentatum est, quod ad illos corrigendos pertinet, ueluti deploratos suo morbo relinquendos esse, nec propter illorum obstinatam impietatem celandã esse dei gloriã, ac proximi salutem negligendam. Si ideo, inquit, non uideor uobis ille Messias quem ex prophetarum oraculis expectatis, quod sciatis unde uenerim, hoc ipsum uos docere poterat, me esse illum qui sic uenerim, & ex eo loco sim ortus, unde propheta Messiam uenturum prædixerunt. Audistis Ioannis de me testimonium, uideris miracula, auditis me ueritati perhibentem testimonium, nulli rei studentem nisi gloriæ dei & uestre salutis. Itaq; non potestis me nescire, nisi spõte quod scitis nescire malitis. Et quomodo dicitis ita uenturũ Messia ut nemo sciat unde ueniat, quum propheta & genus & patriam illius designent? Hæc uobis non ignota poterant ad prophetiæ intelligentiam proficere, quanq; magis refert illud scire, unde missus sim quam unde prognatus. Ne id quidem uos latere poterat, si puris ac synceris oculis me consideraretis. Nec em̄ è mundo profectus modo sum, quemadmodum uos calumniamini, sed ab eo qui me misit in mundum, ut respiscat & seruetur. Sum enim ab eo missus, qui uobis est incognitus, quod neq; conspiciatur oculis corporeis, nec auribus audiat, nec ullo sensu percipiatur humano, sed in hoc missus ab illo sum, ut per me disceretis & illum, quatenus ab homine cognosci potest. Quanq; nec hunc alio modo scire potestis, nisi pietate promereri studeatis, ut ipse sui notitiam uobis impartiat: nesciunt enim illum qui non obtemperant eius uoluntati. Non enim satis est uerbis tantum deum nosse, si factis illum negetis.

Ego scio eum, & si dixerò quia nescio eum, ero similis uobis mendax: sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit.

Si uere patrem nosce uultis à filio discatis oportet. Ego solus uere noui eum quoniam ab ipso profectus sum, & apud illum fui prius quam uenire in mundum, & ab illo missus sum in mundum, ut per me discatis illum, & salui sitis uestra credulitate. Nec enim à meipso ueni quemadmodum alij faciunt suæ studentes gloriæ potius quam dei, sua docentes commenta, non doctrinam dei. Nam uerus est is qui me misit, & quoniam quicquid loquor ex illo loquor, ueri sunt & sermões mei. His uerbis irritati primores, magis etiam fremebant animis, quod tantum autoritatis sibi uendicaret apud populum, & ipsos palàm argueret impiæ peruersitatis, gestiebant illi manus iniicere. Iam enim ira in rabiem uersa non morabatur lentum illud consilium, quo decreuerant illum clanculum è medio tollere: & hoc est quod dicitur:

Quærebant ergo eum apprehendere, & nemo misit in illum manus.

E nus, quia nondum uenerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Christus cum uenerit, nunquid plura signa faciet quàm quæ hic facit?

Quum adesset autem prompta uoluntas impij maleficij, nemo tamẽ id tentoris iniecit illi manum, ita uolente Christo, quia nondum uenerat tempus à patre præscriptum, quo sua morte mundo salutem pararet. Quemadmodum enim uolens mortuus est, ita non nisi uolens apprehendi potuit. In manu illi erat animos hominum cohibere quamlibet ferocientes, nec ulla potestas hominum ualere potuisset aduersus illum, nisi sic uisum fuisset illius immensa homines charitati pro mundi salute crucifigi. Sacerdotibus autem scribentiam oportebat in primis Christum agnoscere, ob corruptos animorum affectus, in impio consilio perseverantibus, nonnulli plebei ac legis ignari, qui ut minus habebant authoritatis ac literarum, ita plus habebant bonæ mentis, ut cunq; crederent sermonibus ac miraculis domini Iesu, nondum quidem planè persuasi Iesum esse Messiam, sed huc tamen adducti rerum ab eo gestarum magnitudinæ, ut persuasibiles uiderentur. Si hic, inquiunt, non est Christus, quemadmodum existimant pharisæi, mirandum tamẽ est unde illi suppetat tanta uis ædendi miracula. Etenim si ueniret ipse uerus Messias nũ maiora facturus sit q̃ quæ hic facit. Dicuntur illi credidisse in Christũ, sicut de multis quoq; alijs legimus, quorum tamen fides nondum erat perfecta, pendens tantum à miraculis, unde opinabantur Iesum esse Christum, sed an uere illum cognouerint, hoc non liquet. Miracula enim sola non satis ostendunt Christum, quamuis supra cap. 5. remittat ad opera sua: sed illa testimonium solum dant credentibus, & propter infideles fiunt. Fideles autem meliorem cognitionem habent quàm ex miraculis, quandoquidem & apostoli fecerunt miracula, sed in nomine Christi. Quin & antichristus patrator miraculorum prædicatur à Paulo ad Thessal. Opus est ergo nobis certiore scientia quàm solis miraculis. Vnum miraculum commendat Christus, nempe resurrectionis, per illud magis Christum agnoscimus. Hi populares intenti tantum in miracula erant, ideo imperfectius adhærebant.

Audierunt pharisæi turbam murmurantem de illo hæc: & miserunt principes & pharisæi ministros ut apprehenderent Iesum.

Pharisæi cum senioribus, quorum partes erant imperitam multitudinem ad Christum pellicere, posteaquam senserunt multos esse in turba, qui uideretur in eum esse propensores, eò uesaniæ deducti sunt, ut quocunq; modo statuerent eum esse perdendum, qui gloriam ipsorum uideretur obscuraturus. Tanta pestis est ambitio, religionis ac doctrinæ prætextu fucata. Verũ interim non pudor aut pietas, sed periculi metus eos à facinore manifesto coercebat. Subornant igitur satellites publicos, qui Iesu coram populo manus inijcerent, ac uelut nocentem captum adducerent. Iesus autem qui nõ ignorabat quid illi clanculum molirentur, nec teneri tamen poterat nisi uoluisset ipse, uerborum argumentibus quibusdam illis significat fore, ut ipse sponte sese morti, ad quam tamen frustra petebatur, offerret, interim tanto auidius uterentur ipso dum adesset. Futurum enim tempus, ut frustra desyderarent absentem quem præsentem persequerentur, præsertim cum illis non esset futura facultas eò consequendi, quò se subducturus esset: ibat enim in mortem, quò nondum illi sequi poterat: redibat in cœlum, quò mortale corpus illum persequi non ualeret.

Dixit

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus uobiscum sum, & uado ad eum qui me misit. Quæretis me, & nō inuenietis, & ubi ego sum, *infra 13. d* uos non potestis uenire.

Breue, inquit, tempus restat quod uobiscū uersor, reuersurus ad eum qui me misit. Tum absentē requirētis, nec inuenietis. Planē enim moriturus sum, ut non iam uos qui uiuītis possit me inuenire & sequi. Quasi diceret: Ita est, iam sum inuisus oculis uestris, breuī abripiar per mortem a uobis, si etiam maxime uelletis me ut ad sim uobis, ut uideatis miracula, iam abero, & ita abero, ut nemo uestrum possit ad me pertingere. Verus est autē sermo Christi, quando dicit: Adhuc parum & c. Nōne semper ubiq; Christus est iuxta diuinitatem, hoc est secundum optimū quod est Christus, secundum quod prodest saluandis & iustificandis: Vnde et palām testatur corpus suum humanum quale assumpsit & animatum, non fore amplius præsens, ne quis crassum quid somniet, quod corpus humanum & Christi corpus manens, & eo ipso creatura alia qua ubiq; sit, cum immensitas soli deitati sit propria, nulli creaturæ, & ideo in uno loco Christi corpus est. Vt sit stultum glossema, abest quidē uisibiliter, ad affectum poterimus semper habere Christum præsentem, qui sua gratia, instructu, auxilio & gratiosa efficacia semper suis adest. Nec est diuinitas ob id separata a corpore, nec nouus corpori locus circumscribendus nobiscum, nec corporaliter & miraculose a nobis comedendus, sed sacramentaliter et in mysterio per fidelem memoriā, & certe contemplatione fidei: quamlibet hæc loquutio quibusdam placere non possit cum sit propria. Obscuritas autem huius sermonis excitat inquirendi diligentiam, & certiore inuenit fidem sermo rebus exhibitus. Deniq; in hoc proficiebat, ut constaret omnibus quicquid passus est dominus, consulto passum esse pro nobis non casu, uolentem passum esse non necessitate. Quanquam enim hic sermo dictus est omnibus, peculiariter tamē pugit ministros a pharisæis missos, ut Iesu manus inicerent, in quem sentiebant se nihil posse nisi uoluisset ipse. Et dum tacite tangit illorum occultam conscientiam, declarat se scire quicquid quantumlibet abstrusum est in cordibus hominum, & interim ciuilitate sibi conciliat illorum animos, quorum conatus impios non prodat populo.

Dixerunt ergo Iudæi ad semetipsos: Quò hic iturus est, quia nō inueniemus eum: nunquid in dispersionem gentium iturus est, & docturus gentes? Quis est hic sermo quem dixit, Quæretis me & non inuenietis, & ubi sum ego uos non potestis uenire?

Quum hunc Christi sermonem non intelligeret multitudo, disceptabat inter se, Quid sibi uult quod dicit: & c. Num se clam subducturus est, & aliquò in longinquam gentium regionem iturus? An sustinebit relicta hac terra sancta & populo sancto inter impias & prophanas gentes uitam agere, quò nos non existimet sequuturos? Aut ita uagus errabit inter gētes procul distitas, ut a nobis inueniri non possit? Quid enim alioqui sibi uult, Quæretis me & c. Hoc planē futurum erat, sicut secum hic coniectabant: erat enim docturus gentes, quia Iudæi quarebant occidere Christum, & repugnabant spiritui sancto, indigni posthac erant tanto magistro. Vnde apostoli relicti Iudæis conuerterunt se ad gentes, tamen Iudæis principio erat prædicandum. Id Iudæi præsentiebant ex prophetis, Christum expectationem gentium esse. Ex Daniele sciebāt res suas

dissipandas esse. Occæcatio Iudæorum & illuminatio Gentium prædicta erat. Neq; tamen poterant sibi polliceri mortuum Christum resurrecturum, nihil talem ueniebat in mentem, unde parum docti de hoc mysterio, huiusmodi dicebant uerba.

F In nouissimo autem die magno festiuitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis sitit, ueniat ad me & bibat.

Cum iam adesset ultimus dies eius festi, qui summa frequentia summaq; religione celebrari consueuit, octaua nepe tabernaculorū, quo peracto sua quisq; domū repetere gaudet, stabat Iesus in templo, uelut ipse quoq; relicurus Iudæam religionem, & magni festi diem eximium insigni sermone consecrat, simulq; iter ingressuris uaticum parat Euangelicæ fidei. Nec iam loquebatur tantum aperte, uerumetiam intenta uoce clamabat, rem esse declarans quam magnopere referret ab omnibus exaudiri. Pharisei populum simplicem ficta frigidaq; religione dementabant, & humanis constitutionibus illaqueatum tenebant, & in Iesu quidem multitudo præter miracula ferè nihil admirabantur. Ceterum quoniam spiritum Euangelicum nondum hauserant, non ita multum proficiebant. A phariseorum igitur frigidis doctrinis omnes palam ad se inuitat, spiritum pollicendo, quo semel hausto non solum ipsi sint ueram & Euangelicam doctrinam assequuturi, uerumetiam in alios sua prædicatione copiosam sapientiæ uim effusuri. Ego, inquit, fons sum omnis salutiferæ sapientiæ, qui sitit, non est quod petat posthac à Mose aut phariseis, scribis aut sacerdotibus, ueniat ad me, bibatq; de fonte hoc. Bibit autem quisquis credit sermonibus meis, Si quis ueritatis est sitiens, salutis, uitæ, & beatitudinis, ita ut sedat desiderium suorum affectuum, ueniat ad me. Si quis à Christo ipso uere doctus fuerit, & agnouerit filium dei æternam sapientiam, qui se humiliavit propter nos, ille bibat de fonte illo, ut omnia desideria sua satientur.

a. Par. 4. 10. e

Qui credit in me, sicut dicit scriptura: flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum; nondum enim erat spiritus datus: quia Iesus nondum erat glorificatus.

Quisquis mihi crediderit, auideq; imbiberit sermones meos, quemadmodum iubet scriptura de me testificans, non arefcet incredulitate, sed haustus diuini spiritus pariet in ipsius corde fontem perennem & copiosum, sic ut è medio cordis illius emanet, non tenuis modo riuus, uerumetiam copiosa flumina, quibus irrigetur ariditas gentium ad Euangelici profectus fecunditatem. Hoc ænigmate Iesus significabat spiritum illum uberem & copiosum, quem post essent accepturi, qui in ipsum credidissent, quo accepto mox apostoli magnam fiducia uarijs linguis orbi terrarum prædicare cœperunt Euangelicam philosophiam, & cœlitus haustum spiritum, in omnium credentium animos diffundere. Quanquam enim id temporis nonnulli fidei rudimenta conceperat, quod Iesus nondum erat morte et resurrectione glorificatus, nec in cœlū ascendit. Ante peragendum erat crucis mysterium, quod peragi non poterat nisi ad tempus dissimulata gloria: et illius diuini spiritus capaces esse non poterat, nisi prius multis miraculis multisq; dictis ac factis ad id essent formati. Ad hunc igitur fontem quæ uiuæ dñs Iesus inuitat omnes, nec quemq; compellit nolentē, nec quemq; excludit,

excludit, modo sitiens ueniat. Vocamur ergo ad Christum, cum siti & desyderio. Nisi enim affectus excitatus fuerit & desyderium, nequaquam bibemus, non ueniemus ad illū. Indicatur Christus ipse seruator noster esse, explere omnia desyderia nostra, ad quem uenientes fideles efficimur operante in nobis spiritu sancto, alios etiam ad Christi gloriam prouocabimus: is enim cuius pro sua proportione distribuit, alteri plus alteri minus. Apostolis quinque talenta erant committenda, quippe per totum mundum prædicaturis, contra tot hostes fortius instruendis. Id enim pro primitiua ecclesia maxime necessarium uidebatur, ut apostoli qui pusillanimes fuerant, firmitus solidarentur post Christi ascensionem.

Ex illa ergo turba cum audissent hos sermones eius, dicebāt: Hic est uere propheta. Alij dicebant: Hic est Christus. Quidam autem dicebant: Nunquid à Galilæa uenit Christus? Nonne scriptura dicit quia G ex semine Dauid, & de Bethleē castello ubi erat Dauid, uenit Christus? Dissentio itaque facta est in turba propter eum.

Hæc atque huiusmodi plura cum loquutus esset dominus Iesus, quanquam nondum ad plenum intelligebantur, tamen uarie afficiebant multitudinem. Quidam enim conspectis tot miraculis, tantaque sermonum autoritate (qui tantum secundum breuia argumenta descripta sunt ab Euangelistis non ad longum diffusius) dicebant: Hic uere propheta est. Rursus alij magnificentius etiam de illo sentientes, dicebant: Imò hic est ille Messias, quem prophetae promiserunt suis uaticinijs. Contra alij pharisaico fermento corrupti, refellere conabantur istorum opinionem ex ipsis prophetarum uerbis, quæ Messiam prædixerant orienturum è tribu Iuda & è uico Bethleem. Christus uulgo putabatur natus in ciuitate Nazareth, quod illic esset educatus, & ibidem haberet parentes, quodque à Galilæa cœpit prædicationis exordium, atque illic plerumque uersaretur. Porro Hierosolymitæ & tribus Iudaicæ Iudæi, Galilæos ut Gentibus uicinos & admixtos pro semipaganis habebant, quod nec legis peritia præcellerent, nec ullum unquam prophetam habuissent, de quo merito gloriari possent. Tribui uero Iudæ promissum esse Messiam non Galilæis, è semine Dauid, qui regiam habuerat Hierosolymis, atque ita Christi uenturi gloriam sibi uendicabant, qui uenientem persequabantur, nimirum inuidia corrupti. Dicunt igitur: Non est uerisimile hunc esse Messiam si prophetias expendatis. Num Christus ubi uenerit à Galilæa nobis proditurus est, quemadmodum hic prodit Nazareus? An non prophetica scriptura palam dicit, Messiam proditurum ex semine Dauid, qui nimirum fuit ex tribu Iuda: Quin & natalis oppidi nomen addidit, docens eum nasciturum in Bethleem, quæ est ciuitas Dauid, tribus Iuda. Quum igitur prophetia palam declararet eum proditurum è semine regio, familia & tribu totius Israelis sanctissima, ex oppido regio, qui conuenit hunc uideri Messiam qui ex obscuris parentibus, ex ignobilis regionis Galilææ obscuro oppido nobis prodijt: Ad hunc modum uariantibus sententijs disceptatum est in turba de Iesu. Nec huic disceptationi sese Iesus admisit, quod non ea synceritate disputaret, ut doceri mererentur: & tempus nondum aduenerat, quo sese quantus cognatis Iesu, quod non in Nazareth quemadmodum plerique credebant, sed in Bethleem natus esset, quodque à Dauid duceret genus. Neque enim parum multum hoc sciebant, sed quoniam Iesus non adferebat ipsorum cupiditatibus accom-

moda, maluerunt suis affectibus seruire quàm illum agnoscere. Nam si simplex ac syncerus fuisset eorum animus, licuisset uel ab ipso Iesu sciscitantibus discere, quod inter se disceptabant.

Quidam autem ex ipsis uolebant apprehendere eum, sed nemo misit super illum manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices & pharisæos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum? Responderunt ministri: Nunquam sic loquutus est homo, sicut hic homo.

Erant in turba nonnulli, quos usque adeo liuor & odium excæcauerat, ut destinarint apud se manus iniicere domino Iesu. Cæterum nihil habebat uirium humana malitia aduersus eum, in cuius potestate sunt omnia. Satellites autem quos suæ uesaniæ ministros miserant pharisæi, ut Iesum caperent, muratis animis redeunt ad illos, efferatis animis expectantes, ut captum eum adducerent, quo tandem odium in illum suum saturarent. Atque illud interim miro diuino consilio quod longe superat omnem humanam astutiam procuratum est, ut quicquid moliretur pharisæorum malitia, id in ipsorum capita recideret, & ad Iesu proficeret gloriam. Imperita multitudo, Galilæi rudes, Samaritani, Cananæi, Ethnici, commoti dictis ac miraculis Iesu credebant illi: soli scribæ, pharisæi, seniores & sacerdotes, penes quos legis ac religionis totius erat professio, non solum non commouebantur ad resipiscentiam, sed modis omnibus reddebantur efferatior. Supererant autem & satellites immite genus hominum, & ad omne facinus mercenarium, qui Iesu testimonium honestum ferret, & illorum immedicabilem cæcitatem coarguerent. Non uiderant ædi miracula, tantum pauca loquentem audierant, & conuersis mentibus, contemptis pharisæorum iussis redeunt ad eos non adducto Iesu. Expostulantibus cur non obissent mandata, non excusant metum multitudinis, non alia quæ comminisci poterant adducunt, sed ingenue fatentur, se quidem hoc animo adisse Iesum, ut eum captum adducerent, sed breui sermone, uerum efficaci, sic uelut incantatos & transformatos, ut quod decreuerant reluctantibus animis efficere non potuerint. Nunquam, inquiunt, audiimus hominem sic loquentem ut ille loquitur. Quis potest huiusmodi uiro manus uiolentas iniicere? Quod testimonium ferri potuit in synagoga, quod magis grauaret ac traduceret pharisæorum obstinatam malitiam? Hoc illi totis uiribus agebant, ut subuerterent doctrinam Iesu, sed conatur in diuersum exeunte, dum modis omnibus extinguere moluntur, confutant & illustrant.

Responderunt ergo eis pharisæi: Nunquid & uos seducti estis? nunquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisæis? Sed turba hæc quæ non nouit legem, maledicti sunt.

Dissimulant illi furorem animi sui, ac ministris mitius quàm pro cogitatione uesania loquentes: Quid accidit, inquiunt? Num uos quoque, qui nostri estis, nec ad promiscuam multitudinem pertinetis, ab illo seducti estis? An non sentitis impostorem esse? Si uerax esset, an non existimatis uiros eximios doctrina simul & auctoritate præstantes, illius sermones approburos fuisse? Nunc uidetis ne quenquam ex optimatum numero, penes quos est religionis auctoritas, aut ex pharisæis, penes quos est exacta legis peritia, sermonibus illius fuisse persuasum? An uos mouet exemplum quorundam e media fece plebis hominum? Ista turba rudis ac legis ignara, deo execrabilis est. Hæc diuina dispensatione sic gesta sunt, ut nos certo doceremur, nihil pertinacius obistere ueræ religioni.

religioni quam eorum malitia, qui falsae religionis imagine furcati sunt; nullum esse capitaliorem hostem Euangelicae doctrinae quam qui sacras literas ad suos prauos detorquet affectus; nec ullos esse deploratius impios quam qui specie pietatis, qui persuasione doctrinae, qui publica autoritate muniti sunt aduersus Euangelicam ueritatem. Verum quicquid molitur hic mundus, omnibus suis machinis aduersus coelestem ueritatem, cedit in gloriam domini nostri Iesu Christi. Iam illud consydera prudens Lector, nusquam esse penuriam maiorem eorum qui Christianae ueritati ex animo faueant quam inter religionis protectores & doctrinae.

Dixit Nicodemus ad eos, ille qui uenerat ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?

In tam frequenti consilio pharisaeorum, scribarum, seniorum ac sacerdotum, non erat quisquam praeter unum Nicodemum, qui in tam sceleratis molitionibus innocenti domino patrocineretur. Is erat ex primoribus sectae pharisaicae, crassus quidem ac ceteris fortassis indoctior, sed mentis minus corrupta, qui metu Iudaeorum noctu adierat Iesum, quemadmodum ante narrauimus, aliquid ab eo certius cogniturus secreto colloquio: is ex eo congressu tantum profecerat, ut existimaret Iesum uirum bonum, tamen mysterium sermonis non ad plenum intellexerat. Hic quum uideret eos gladiatorijs animis tendere in exitum Iesu, atque ita faueret innocentiae, ut tamen illorum timeret malitiam auctoritate armatam, moderatus est patrocinium suum, ea loquens pro Iesu, quae pro malo quoque uiro, sed nondum conuicto dici poterant. Nos, inquit, legem profitemur, quae ne maleficum quidem condemnat, nisi prius auditum, & excussis ijs quae egisse dicitur uel dixisse is qui defertur. Saltem hoc tribuatur huic iuris, quod commune est omnium, & ab ipsa lege datur etiam maleficis. Religiosiores uolumus esse Romanis & Graecis, quorum leges promittunt & iubent, ut pars aduersa audiatur. Nos iustiores ceteris: quae iustitia nostra, si iudicauerimus hominem quem non audierimus? Lex habet ut nemo condemnetur, nisi duobus uel tribus testibus. Deus quoque cum arcana cordium optime cognouerit, nunquam tamen iudicat nisi crimina manifestentur.

Responderunt, & dixerunt ei: Nunquid & tu Galilaeus es? Scrutare scripturas, & uide, quia a Galilaea propheta non surgit. Et reuersi sunt unusquisque in domum suam.

Ad hoc tam aequum tam ciuile Nicodemi patrocinium, quum non haberent quod hiscerent, non solum non respiscunt aut placantur, sed ipsius etiam auctoritate contempta conuictio petunt hominem. Etiamne tu quoque, inquiunt, Galilaeus es? Turbae & imperitis uenia dari poterat, at non pudet te primatem ac legis doctorem discipulum esse istius impostoris Galilaei, cui nullus adharet nisi & abiectissimus apud homines & apud deum execrabilis? Tu qui legis cognitionem profiteris, excute scripturas, & si usquam comperies uel exortum a Galilaea prophetam uel exorturum, crede hunc esse prophetam. Haec pharisaeorum responsio non solum erat impia, uerum etiam stulta. Nec enim Nicodemus affirmarat esse prophetam, sed quisquis esset, non tamen iuxta legem publicam oportere condemnari, nisi prius cognita causa. Sed nullum est iudicium, ubi mentem occupauit liuor & odium. His ultro citroque dictis dimissum est con-

cilium, & suā quisq; domum abiit, dilata non mutata sacrilega uoluntate: nondum enim uenerat tempus Iesu.

CAPVT VIII.

A **I**esus autem perrexit in montem Oliueti: & diluculo iterum uenit in templum, & omnis populus uenit ad eum, & sedens docebat eos.

Domínus Iesus iam imminente nocte concessit in montem Oliueti, in quo erat Bethania gratum domino hospitium, quum Hierosolymis locus non esset quietis. Illud interim nos docens, secessum cōuenire praconibus Euangelicis, nec usquam minus esse locum ueritati quā in urbibus opulentis ac felicibus: & tamen huc quoq; se nonnunquam confert Euangelicæ philosophiæ prædicator: non ut opes aut honores assequatur, sed ut profit alijs, uel sui capitis periculo. Huc igitur postridie diluculo reuersus Iesus, non iam stans quemadmodum pridie, sed sedens docebat in templo, palam præ se ferens, se nihil metuere pharisæorum impias conspirationes. Confluxit autem uniuersus populus ad illum, partim superioribus miraculis ac sermonibus in admirationem illius adductus, partim insidians & occasionem captans aduersus illum. Quoniam autem animaduenterant in eo miram quandam erga plebeios humiles & afflictos clementiam ac mansuetudinem, hinc unde eum debuerant amare, uenantur ansam criminandi.

Leuit. 20. 4

Adducunt autem scribæ & pharisæi mulierem in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dicunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. In lege autem Moyse mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum.

Lex Mosis seuerum exemplum statuerat aduersus adulteriū, nimirum ut si qua mulier deprehensa esset cum adultero uiro consuetudinem illicitam habere, populi manibus lapidaretur. Atq; interim uiri sibi ipsi indulgentes seueiebant in mulieres, quasi ipsi innocentes essent apud deum, aut æternas pœnas essent euasuri, si quum grauiora peccarent non darēt pœnas legibus. Lex non punit nisi publica crimina: superbiam, fastum, inuidiam, odium non punit, sed hæc magis execratur deus quā illa quæ punit lex. Adducunt igitur ad Iesum in templo sedentē id temporis mulierculam in adulterio deprehensam. Ipsi scilicet iustitiæ tenaces, ac legis studio seueri in criminosos, cum intus longe grauioribus uitijs maderent. Mulierculam in medio statuūt, ut si Christi sententia fuisset damnata, decederet nonnihil multitudinis erga illum studio, quod grauitate mansuetudineq; sua potissimum populi fauorem conciliaffer: sin absoluit, set quod futurum expectabant, haberent quod in ipsum intentarent crimen, qui non ueritus fuisset aduersus Mosis constitutiones adulteram absoluere, sperantes fore, ut pro muliere tumultu coorto lapidibus obrueretur ipse. Sic autē apud iudicem Iesum peccatricem accusant ipsi sceleriores & eximij peccatores: Hæc, inquiunt, mulier modo deprehensa est in adulterio. Moses autem statuit nobis legem, ut eiusmodi lapidarentur. Hanc igitur tradimus populo lapidandam, nisi tu dissentis. Tu igitur quid censes? Iesus autem qui nouerat arcana cordium, & cuius conscientiam nihil omnino quantumuis occultum fugiebat, diuina sua sapientiā sic illudit illorum malitiam, ut peccatricem ē manibus lapidan-

lapidantium eriperet, nec absolueret tamen, ne uideretur derogare legi Mo-
saicæ, necessario maleficijs coercendis adhibere, qui uenerat ut legem consum-
maret non abrogaret, nec rursus cõdemnaret, quod in mundum uenisset non
ut perderet peccatores, sed ut seruaret: siquidem in his constitutionibus quas
mundus etiam pro conseruanda tranquillitate publica necessario seruat, ni-
hil mutaturus.

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terram. Cum
autem perseuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine Deut. 17. 6
peccato est uestrum, primus in illam lapidem mittat, Et iterum se incli-
nans scribebat in terram.

Iesus sic ubiq; moderatur suam orationem, ut nec probet admodum nec im-
probet occisionem adulteræ, sed per occasionem admoneat omne scelus esse
fugiendum, non solum ea crimina quæ leges principum puniunt, Esse siqui-
dem apud deum iudicem his atrociora crimina, quæ leges non puniunt, quæ
tamen dei uindictis pœnam non possunt effugere. Iesus igitur nec recusauit iu-
diciu delatum, cum sit iudex omnium, nec ream addixit lapidatoribus iam
accinctis, nec à causa liberauit quæ pœnam commeruerat, sed silentio patrocini-
natus est ei quæ rapiebatur ad pœnam, ut seruaretur ad pœnitentiam, ac resipi-
sceret ad salutem. Oratione nihil respondit, sed ipso facto plus loquebatur. Scie-
bat mulierculam ream esse peccatricẽ, sed nouerat accusatores, qui se iustos ui-
deri uolebãt multo sceleratiores esse quàm esset illa. Non abrogabat Mosaicam
legem, sed ostendit Euangelicæ legis, cuius ipse conditor esset, clementiam. Ad-
monebat illos qui ream ad pœnam crudelem pertrahebant, ut in se descende-
rent, & iuxta diuinam legem suã excuterent conscientiam, ac talem se quisq;
exhiberet erga proximum lapsum, qualem experiri uellet deum iudicem erga
se. Hac ipsa re nos docens dominus Iesus inclinauit se deorsum, significans ut
dimisso fastu ac supercilio, quo sibi quisq; blandiebatur, & animo supino proxi-
mum despiciebat, descenderet in se, & inclinatus scribebat in terram, uidelicet
admonens legis Euangelicæ, secundum quam deus unumquenq; iudicaturus
esset. Lex in tabulis scripta reddidit illos falsa iustitia superbos & arrogantes,
lex in terra scripta facit unumquenq; infirmitatis suæ conscientia modestum ac
misericordem ad proximum. Quum uero instarent Iudæi, ut suam pronuncia-
ret sententiam, quanquam facto iam pronunciauerat sententiam, erexit se Ie-
sus, erectus explicuit nõ intelligentibus quid faceret: Si quis, inquit, inter uos
est immunis à peccato, primus in hãc iaciat lapidẽ. Hoc dicto nõ absoluit ream,
sed omnium percussit conscientiam. Metuebat autem quisq; sibi male consci-
us, ne Iesus, cui uidebant etiam occulta non esse incognita, proderet in publi-
cum ipsorũ facinora. Hoc aculeo animis illorum iniecto rursus inclinatus scri-
bebat in terra, facto suo depingens quid ab illis uellet fieri. Notabat illorum ar-
rogantiam, qui sibi uindicarent sanctimoniam, quum essent longe sceleratio-
res ips quos immani pœna lex puniret. Illa enim quam publicis manibus lapi-
dandam produxerant, non occiderat maritum suum, sed alteri uiro per carnis
infirmitatem corporis sui copiam fecerat lege prohibitam, & illicitam quidem;
illi uero pleni liuore, odio, calũnia, auaritia, ambitione, fraude, totius legis do-
minum, qui solus omnium liber ac purus erat ab omni peccato, captabant ad
mortem. Discimus ne simus faciles in carpẽdis alijs, ne de internis iudicemus
hominem, ne facile anathematizemus. Coniecturæ saepe fallũt. Non alios accu-

semus conscij nobis maiorum peccatorum, uel similibus & spiritualium. Audientes autem hæc, unus post unum exhibant, incipientes à senioribus, & remansit Iesus solus & mulier in medio stans.

Ad hoc domini responsum sibi quisque male conscius ac sibi quisque metuens ne proderetur (terrebantur enim & scriptura & uirtute diuina) exhibat è templo, senioribus, pharisæis, ac scribis, sacerdotibus, cæterisque primoribus preceudentibus, & post hos reliquis sequentibus. Nam qui inter eos uidebantur religionis ac iustitiæ columina, hi maximis uitijis intus mædebant. His digressis, quorū nullus erat absque crimine, remansit solus Iesus, qui solus omni culpa uacabat. Iamque clementem iudicem experta est mulier peccatrix, eum qui nihil unquam peccauerat, quum sæuos fuisset habitura carnifices qui ipsi grauioribus flagitijs erant obnoxij. Horum igitur sæuitiam metuens misera peccatrix sola remansit apud solum Iesum, peritura apud seruatorem, peccatrix apud omnium sanctimoniam fontem. Trepidabat ex conscientia, sed spem bonam præbebat in Iesu clementia, quæ sese ipso etiam uultu præferbat. Atque interim dominus uelut aliud agens scribebat in terra, ut illi non domini minis territi, sed ipsorum conscientia cõdemnati fugisse uiderentur. Incertum est quidnam Christus in terram scripserit, quidam existimant accusatorum peccata, alij terreni corporum fragilitatem ad terrorem, alij iudicium illos manens grauius, superbiam illorum alij. Qui enim seipsos peccatores agnoscunt facile alijs condonant.

Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare.

Tandem erectus dominus Iesus, ubi uidet solitudinem & mulierem solam ac trepidam, blande compellans illam, dicit: Mulier, ubi sunt qui te accusabant? Num quisquam te condemnauit? &c. Nec ego, inquit, futurus sum illis inleumentior, ut qui seruandis omnibus uenerim, condemnem, quam illi reliquerunt indemnatam. Legis seueritas pœnam infligit ad terrorem, Euangelij gratia nõ quærit mortem peccatoris, sed ut respiscat ac uiuat. Abi inquit, & post hæc noli peccare. Hoc exemplo dominus Iesus docuit eos, qui se populi pastores & Euangelicos doctores profitentur, quanta lenitate quantaque mansuetudine debeant uti aduersus eos, qui per infirmitatem prolabuntur in peccatum. Cum enim is in quo nullum omnino fuit peccatum, tam clementem se præbuerit erga peccatricem publicam, quanta debet esse lenitas episcoporum erga delinquentes, quum ipsi nonnunquam magis egeant dei clementia quam illi in quo puri ab omni uitæ macula, certe per humanam imbecillitatem in omne uitium prolabi possunt. Interim tamen non sunt episcopis dissimulanda publica crimina ecclesiasticorum, sed ad emendationem punienda & corrigenda cum Christiano zelo charitate iuncta. Hucusque historia de adultera muliere, quæ à plebisque creditur esse inserta cum nihil indignum in ea legatur.

1. Ioan. 2. b

B Iterum ergo loquutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ.

Ablegatis igitur delatoribus & proditis suis cuique sceleribus, admissa quoque peccatrice pergit Iesus ex hac occasione sermonem inceptum pertexere. Tenebræ peccata sunt. Qui ueri sunt ac simplices, nec aliud uideri student que sunt, addeunt lucem & liberantur à tenebris, quemadmodum mulier adijt Iesum peccatrix.

catrix. Sed quia non inficiata est quod cōmiserat, decessit iustificata. Cōtra pri-
mores & pharisæi quoniā iusti uideri uolebant, quū essent scelesti, fugere lucē,
ne proderetur illorum morbus neue sanaretur. Hortatur igitur dominus Iesus
omnes, ut quisquis sit obsitus peccatis ad se ueniat, modo ueniat sui pœnitens,
se sequatur potius quàm pharisæos, qui cæci erant duces cæcorum. Et ne quis
conscientia facinorum nō ausit accedere, paulò ante docuit in adultera, quàm
neminem ab se submoueat qui cupiat sanari, Ego, inquit, sum id toti orbi, non
solum Palæstinæ, quod sol toti mundo. Sublato sole caligant omnia simul. Ille
corporibus præluceat, ego animis puris illucesco. Ille uitam ac uigorem præbet
omnibus corporibus, ego idem multo præsentius præsto animabus. Qui solis
ductu ambulat non impingit in tenebris, qui me sequitur meæq; fidit doctri-
næ, non hærebit amplius in tenebris errorum & criminum, sed purgatus à ui-
tijs & illustratus Euangelica doctrina habebit lucem ueram, quæ uitam præ-
stat animæ. Mortuorum enim est in tenebris condi, uiuorum est in luce uersa-
ri. Cognitio mei uita est animæ; contra peccatum & ignorantia mei mors est
æterna.

Dixerunt ergo ei pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes, tes-
timonium tuum non est uerum. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego
testimonium perhibeo de meipso, uerum est testimonium meum, quia
scio unde ueni, & quò uado. Vos autem nescitis unde uenio, aut quò
uado.

Hanc magnificam licet uerissimam Christi de se prædicationem non tulit
liuor pharisæorum, præsertim cum se rectim notari sentirent, & quicquid glo-
riæ Iesu accederet id suæ detrahi putarent. Protinus igitur obstrepunt illi apud
multitudinem, metuentes ne ipsis desertis sequeretur Iesum. Et ut fidem ad-
mant impingunt mendacij crimen: Tu, inquiunt, ipse tibi testis es, ac magni-
fice de te prædicas: sed nemini de se testificanti credi debet; est enim arrogantis
non ueracis suam iactare gloriam. Proinde testimonium illud quod ipse de te
fers non est uerum. Ad tam atrox conuictum, sed quod magis officere poterat
saluti multitudinis quàm ipsius nocere gloriæ, Iesus se uere respondit: Verum
est, inquiens, inter homines, pondus non habet quod ipse de se perhibet qui &
falli potest & fallere. Ego non solus mihi testis sum, qui Ioannis de me testimo-
nium, qui legis & prophetarum testimonium proferre possum: & tamen si nul-
lum esset hominis de me testimonium, qui nullius egeo testimonio, si solus ipse
de me testificaret, tamen si sciretis qui sim, & unde uenerim, non possetis refel-
lere testimonium meum. Illorum testimonium oportet in dubium uocare, qui
cum nihil aliud sint quàm homines, & ex humano sensu de se prædicant, falli
possunt, & uolentes etiam mentiri possunt. In me non eadem ista cadunt. Ni-
hil enim ex me loquor, sed ex eo unde sum missus, nec aliò tendo quàm ad illi-
us illustrandum gloriam. Ille mentiri non potest, & illius unius testimoniū san-
ctius est omnibus humanis testimonijs. Quisquis autem ab illo profectus est,
cunctaq; ex illius animo loquitur, mox ad eundem unde uenit rediturus, non
opus habet humano testimonio, quum ipsis factis declarare sit in promptu quis
sit. Vos autem excæcati liuore, quod scire licet, uolentes nescitis, & quoniam
per uerse de me iudicatis, existimantes ex his quæ conspiciatis in me cum cæc-
ris mortalibus communiã, non animaduertitis unde uenerim nec quò uadam,
Hoc enim non perspicitur nisi submotis improbis affectibus animi secundum

spiritum iudicem, & ex ijs quæ facio quæq; loquor, collatis prophetarum oralibus, credulæ mentes uideant rem esse cœlestem non humanam.

Vos secundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam: & si iudico ego, iudicium meum uerum est, quia solus non sum, sed ego & qui me misit, pater.

Vos quoniam mundanis affectibus estis corrupti, secundum carnem iudicatis, damnantes impie in uestrum ipsorum exitium quod amplecti debueratis ad salutem æternam. Iudicium igitur uestrum, quoniam nõ proficiscitur à deo, sed ex humanis cupiditatibus, corruptum est ac falsum. Ego interim non iudico quenquam: nondum enim iudicij tempus est, sed conferendæ salutis, et tamen si iudicarem de uobis, iudicium meum quoniam non dissentit à iudicio dei, uerum esset. Non enim solus ferrem sententiam, sed ego simul & pater qui me misit idem pronunciarem, cum idem per omnia uelimus. In causis humanis plus habet ponderis apud homines plurium quam unius iudicium: ceterum unius dei iudicium antecellit uniuersi generis humani iudicio. Si meum iudicium contemnit ut hominis, certe dei iudicium, etiamsi solus iudicet, non potest contemnere. Quod si dei iudicium non contemnit, nec potestis meum iudicium contemnere, nisi illius iudicio per omnia consentiens, nisi comuni contumelia simul utrunq; uelitis afficere, tum illum qui misit, tum me qui missus sum ab illo. Nihil aliud loquor aut ago nisi quod ille mandauit.

Et in lege uestra scriptum est, Quia duorum hominum testimonium uerum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me qui misit me, pater.

Inter homines grauius est testimonium plurium quam paucorum, atq; secundum legem uestram apud iudices non admittitur testimonium nisi duorum, atq; interim plus habet ponderis, si quis testificetur de altero quam si de seipso: & tamen uitari non potest, quin inter homines sæpe falsa sint iudicia falsaq; testimonia, etiamsi mille consentiant homines, sed homines tantum, uel quod per errorem ignorēt uerum, uel quod affectibus corrupti, non secundum rectum animi iudicium, sed secundum prauas animi cupiditates pronunciet. Verum ubi uel unus de se pronunciat, si quod de se testificatur non ex se pronunciat, sed ex deo, quoniam deus nec falli potest nec corrumpi, non potest non uerum esse iudicium ac testimonium. Ego testimonium perhibeo de meipso, sed ex auctoritate patris, qui & ipse testimonium de me perhibet, nec aliud de me pronuncio quam ille testificatus est, qui me misit in mundum, ut testis sim ueritatis, quam ille solus nouit. Si meum testimonium reijcitis, & illius reijciatis oportet, si meum iudicium rescinditis, & illi contradicatis necesse est. Duo sumus, sed duorum idem est testimonium, idem iudicium. Sed ex his duobus unus est, qui si solus esset, tamen esset illius irrefutabile iudicium. Quod si queritis quod pater testificatus sit de me: testificatus est in lege uestra, cuius uocem agnosce retis, si quod scriptum est incorruptis animis intelligeretis: testificatus est de me apud Iordanem, testificatur ipsis factis quæ uidetis ab illo geri per me, denique quum tempus erit euidentioribus testimonijs me glorificabit.

Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Respondit Iesus: Neq; me scitis, neq; patrem meum: si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis.

His dictis quoniam Iudæi subinde audierant nomen patris unde missus esset, & cuius auctoritate se communiret, demirantur si de Ioseph fabro, cuius filius

Deut. 19. b
Matth. 18. b
2. Cor. 13. d
Hebr. 10. e

Iesus tum uulgo credebatur tam magnifice prædicaret: si de illo non sentiebat, cupiunt expiscari quisnam esset alter ille pater unde uenisset, & ad quem iret. Vbi est, inquit, iste pater tuus, de quo tam mira prædicas? Iesus autem subindicans se nondum illis notum esse iuxta diuinam naturam, quum nihil eum aliud suspicarentur esse quàm hominem, & tamen ut homini credidissent atq; amassent, nisi iudicium illorū carnalibus affectibus fuisset uitiatum: ceterum nec patrem uere cognosci nisi per filium, nec filium plene cognosci nisi cognito patre: non enim oculis corporeis cognosci filium, sed fide, nec patrem humanis sensibus ostendi posse, sed pijs animis spiritualiter insinuari, respondit hunc in modum: Neq; me nostis neq; patrem meum, & dum me nosce non uultis, nec patrem nosce potestis. Mihi credite, & me noueritis & patrem. Dicitis quod me nouistis, quia patriam, domum, parentes, & fratres nouistis. At istud non est uere nosse filium, quem si plene nossetis, non postularetis uobis exhiberi patrem, sed cognito filio simul & patrem meum nossetis. Quisquis ignorat quanta charitate Christus apud nos egerit, is plane neq; charitatē patris agnoscat. Qui autem Christum uere cognouerit, quod ille propter nostram salutem uenerit, is accepto spiritu dei patrem agnoscat, illo non cognito impossibile est patrem uere agnoscere: ita necesse est desperare eos quibus filius se non reuelauerit. Vbi dei benignitas cognoscitur, quod deus bene uult humano generi, quod filium misit in mundū &c. ibi uere cognoscitur pater eiusq; misericordia.

Hæc uerba loquutus est Iesus in gazophylatio, docens in templo, & nemo apprehendit eum, quia nondum uenerat hora eius.

Huiusmodi sermonibus non intellectis dominus Iesus uehementer in se pro uocabat animos pharisæorum, magna libertate dicens se esse filium dei, lumen mundi, palam docens in templo, quod dicitur in Euangelij tota structura quæ erat circa templum extructa, multis atrijs & palatijs ac amplis porticibus, quæ omnia dicuntur templum, non solum sanctum illud nec sanctum sanctorum, unde & male eosdem habuit quod diceret eos ignorare patrem deum, & quasi cum paganis compararet. Gazophylatium autem dicitur frequentissimus locus templi, quod eò conferrentur donaria sacra, seruarenturq; donata templo, quæ tamen omnia ueluti deo consecrata uertebantur in luxum & quæstum sacerdotum ac pharisæorum. Nō tamen iniicit illi manus, non quod deesset illis impia uoluntas, sed quod dei nutu non esset data facultas: nondum enim uenerat tempus quo decreuerat pati Iesus, nec pati uolebat nisi peracta doctrina, quam pater tradiderat dispensandam ad hominum salutem. Obtricescentibus igitur illis, sed impijs ac parricidales cogitationes in animo uoluentibus, perrexit loqui Iesus, tacite percutiēs illorum conscientias, quo uel sic resipiscerent, quum agnoscerent illi nihil occultum esse.

Dixit ergo iterum eis Iesus: Ego uado, & quæretis me, & in peccato uestro moriemini. Quò ego uado, uos non potestis uenire.

Nullius, inquit, impietas impedire potest quod ago iussu patris mei. Hoc autem peracto uado ad eum qui me misit, ac tum me frustra quæretis & absentem desyderabitis, quem præsentem incessitis et inuidetis. Tunc intelligetis ex euentu qui sim, optabitis præsentiam meam nec continget. Ceterū uos qui nunc persequimini præconem ueritatis æternæ, si persistetis in incredulitate, in peccato uestro moriemini. Nam suo uitio perit, qui salutem gratis oblatam obstinate reijcit: & sibi mortem asciscit, qui uitæ fontem aspernatur. Ego uado.

non quò me uestra compellit impietas, sed uolens eò trado quò uos non potestis insequi. Hoc ænigmate dominus Iesus multa significauit, primum se sponte iturum ad mortem, deinde per mortem & resurrectionem euehendū in cœlum, quò nullus iuxta mundum sapiens euehi potest. Hoc sermone quum non nihil terrentur Iudæi, nec intelligerent quid sibi uellet, non ausi sunt tamen illum percontari, sed inter se mussitabant, ut sequitur.

Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit: Quò ego uado, uos non potestis uenire?

Quid est quod ille nō semel iam minatur nobis sese abiturum quò nos non queamus insequi? An ipse sibi uim afferet, ac mortem conciscet, atq; ita se nobis subducet? Iudæi nihil minus agnoscere uolunt quàm peccatum suum, hoc est peculiare omnibus impijs peccatoribus, ideo hæc loquuntur ut tegant inuidiam mentis eorum, & ut uideantur sancti. Et Christum non parum infamant, quod maius peccatū est desperatione, qua quis sibi uitam abrumpit uel laqueo uel ferro, omnibus modis mors illa deformis. Tale quid impij Iudæi de Christo alijs inculcant, quasi dicant: Non est mirum ut dæmoniacus ille homo seipsum tandem strangulet. Ita solent in pessimam partem ea rapere qui sunt inimici ueritatis.

Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum: uos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo uobis, quia moriemini in peccatis uestris: si enim nō credideritis quia ego sum, moriemini in peccato uestro.

Ad hoc tam crassum & impium murmur Iesus omnium cogitationum conscius, ita responsum attemperat, ut quod diceret nō intelligeretur, nisi peracta morte & resurrectione, & in cœlum ascensu. Nam illi nihil aliud suspicantes esse Iesum quàm hominem, nihil aliud diuinare poterant quàm eum iturum in mortem, atq; ita liberandum à molestijs persequentium, quum ille se significaret e cœlis profectum iuxta diuinā naturam, ac mox deuicta morte rediturum eò unde fuerat profectus. Vos, inquit, ex hoc mūdo profecti mundum sapitis, & iuxta carnalem mundi sensum loquimini: ego non sum ex hoc mundo profectus, sublimiora loquor quàm ut uos possitis assequi, nec assequemini unquā nisi relicta incredulitate dociles uos præbueritis. Et ideo modo dixi uobis, et iterum atq; iterum dico, nisi malitiam istam abieceritis moriemini in peccatis uestris. Unica uia est effugiendi peccatorum tenebras, si lucem recipiatis: unica est uia ad uitam, si agnoscatis eum qui solus per fidem Euangelicam à morte liberat. Quod si pertinaciter recusetis credere me esse illum per quem pater uelut omnes uitam ac salutē consequi, uestra culpa moriemini in peccatis uestris. Infidelitas ergo est causa mortis: ubi desyderatur uera fides in Christū, ibi inanis est omnis sapientia. Sine fide opera quamlibet in speciem bona, nihil profunt ad salutem.

Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Iesus: Principium qui & loquor uobis.

Nec hic sermo domini Iesu descendit in animos pharisæorū, usq; adeò mentes illorum excæcauerat hic mūdos nimium adamatus, itaq; malitiose perinde quasi nihil hæcenus uiderint aut audierint, unde scire possent quis esset, dicit Iesu: Tu quis es? Iesus autem præsciens illos calumniaturos quicquid responderet, qui peruerso studio sciscitabantur, simul eos iudicans digniores qui audiret quid

quid essent ipsi quàm quid esset ipse, respondit hunc in modum: Cupitis scire qui sim? credite. Non credetis autem nisi crassos & mundanos affectus abieceritis, alioqui etiam si uobis dixerò qui sim, uestro malo dicam: non enim solum non reddemini meliores, sed cum sitis mali, multis nominibus hoc reddemini peiores: & hoc ipsum quod nunc loquor uobis accedet ad cumulum condemnationis uestrae. Ego salutem hominum sitio non exitium. De eo autem quod uulgo legitur, Principium qui & loquor, lege Erasmus in annotationibus, secundum quem hic sensus tandem accipiatur, Vt Christus nihil respondere dignatus sit ad id quod interrogarant: Tu quis es? Vt qui digniores essent qui audirent quid ipsi essent, nimirum impij, rebelles, scelerati, quàm quis esset Christus, cui insidiabantur. Oecolampadius Confirmantis particulam esse dicit, Plane ita est ut uobis loquor.

Multi habeo de uobis loqui & iudicare, sed qui me misit, uerax est, & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt quia patrem eius dicebat deum. Rom. 7. 04

Multi possum loqui de uobis, multisque nominibus uos condemnare, sed non ita uisum est patri, qui me misit in mundum, non ut ex malis fiant peiores, sed ut qui mali sunt, respiscant ad salutem. Verax est pater qui me misit, huic si credideritis salutem consequemini. Credetis autem ei si mihi credideritis. Mihi uero tuto credetis, qui nihil loquor apud uos nisi quod audiui à patre meo, apud quem fui antequam uenirem in mundum. Ille mihi mandauit ut uera loquar, sed ea quæ conducunt seruandis hominibus non perdendis. Quod si quis perit suo uitio peribit, qui salutem oblatam sibi inuiderit. Tam autem erat crassa Iudæorum cæcitas, ut quum toties memorasset patrem suum, unde missus esset, & ad quem iret, & unde testimonium haberet, & unde audisset quæ loqueretur, nondum tamen intelligerent quod de patre coelesti loqueretur, quod nihil adhuc in eo credere poterant supra hominem. Nam hi sermones tum uelut semina contabantur in auditorum memoria, ut tum fructum adferrent, quum iam omnia essent impleta, quæ de Iesu scripserant prophetae. Expediebat adhuc hominem credi, donec perageretur pro mundi salute summum illud in ara crucis sacrificium. Sic enim placitum erat patri ut per mortem filij illustraretur gloria patris dei. Hoc interim significans dominus Iesus, ita loqui perrexit.

Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me pater hæc loquor. Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum, quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

Aenigmate subindicat futurum, ut per illos uolens in crucem suffigeretur. Quum exaltaueritis, inquit, filium hominis, tunc demum intelligetis qui sim: posteaque extinctum putabitis, tunc denique cognoscetis uirtutem meam. Si quidem intelligetis rem non humano modo geri, sed patris mei uirtute, ex cuius arbitrio et uirtute gero quicquid in terris facio ad hominum salutem, neque quicquam loquor nisi ex illius iussu et animo. Quamquam autem ab eo missus sum in mundum, non tamen ab illo deseror, sed ille semper adest mihi, per me uobis loquens & operans. Summus enim inter nos est consensus naturæ & uoluntatis, essentialis & potestatis. Ille per me glorificatur apud homines super terram, dum inter homines conuersari debeo, & super terram uideri. Ego uicissim per illum sum, mittor & glorificor, sed ille author est, ego legatus, uerbum caro factum. Cæterum

optima fide fungor mea legatione, sic ut quæ ille mandauit, quæq; illi sunt de creta perpetuo faciã. Moses enim & Dauid quos suspicitis multa loquuti sunt, multa fecerunt ex uoluntate dei, sed ijdem nonnunq; offenderunt illum factis suis. Ego pro uoluntatis & naturæ identitate nusq; dissentire etiam possum à placito patris mei. A cruce & requie incipiet gloria mea. Resurgens à mortuis ostendam immensam potentiam meam, Coelum & terra testaturi sunt me Christum esse filium dei. Spiritum ubi misero eritis à deo docti multi uestri qui nunc blasphematis, Nihil adeò conducet fidelibus quam meritum Christi et dignitatem optime nosce. Cum dicit patrem secum esse, intelligit omnem suam uirtutem & dignitatem, sicut & naturam communicasse filio, quem & incarnatum nunq; destituit, nihil absq; patre fecit, qui & quærit gloriam filij, quin & pater omnia dedit filio: filius per omnia nos ducit ad patrem, iubet adorari patrem in spiritu & ueritate, deoq; dare honorem per omnia. Pater hunc testatur esse dilectum filium, per quem reconciliationem accepimus & redemptionem, factum obediens usq; ad mortem, ut sic quæ patri placita essent perficeret semper.

Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum. Dicebat ergo Iesus ad eos qui crediderunt ei, Iudæos: Si uos manseritis in sermone meo, uere discipuli mei eritis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberabit uos.

Hos sermones quum id temporis nullus ad plenum intelligeret, tamen erant in turba non pauci, quibus hæc non impie dicta uiderentur, at nonnulli spe bona ex his quæ promittebat Iesus concepta crediderunt illi, non tamen perfectè rudes enim adhuc erant, sed tamen Euangelicæ doctrinæ capaces. Iam enim gradus aliquis iactus erat ad fidem, etiam si nondum eò profecerant, quò post erant prouehendi. Hos igitur hortatur dominus Iesus, ut in eo quod utcūq; coeperant perseverarent, donec proficerent ad perfectam sui cognitionem. Fides enim bonorum etiam illa credit quæ non intelligit. Pharisaorum malitia semper erat peius profectura. Vos, inquit, ne quid moueat sponte pereuntium exemplum. Bene coepistis utcūq; credere dictis meis, à quibus si uos non abducat aliorum incredulitas, et si in eo quod coepistis perstiteritis, agnoscam uos germanos uerosq; discipulos meos, qui cœlestem ueritatē profiteor, ac progressu temporis cognoscetis omnem ueritatē, qui hactenus umbras Mosaicæ legis pro ueris estis amplexi. Christus semper fouet infirmam fidem istam, ut adolescat tandem, & ut melius ipse cognoscatur. Credebant dictis eius, futurum aliquando ut potentia suæ prolaturus esset maiora signa. Quorum multi suspicabantur Christum gloriose regnaturum, & se liberos fore ab omni dominio gentilium, & certe sicte credebant in eum. Statim autem Christus adimit hanc suspensionem à mentibus eorum, differens de spiritali libertate, ne seducantur à falsis prophetis.

Responderunt ei: Semen Abrahamæ sumus, & nemini seruiuimus unquam, quomodo tu dicis, Liberi eritis? Respondit eis Iesus: Amen amen dico uobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.

Iudæi non intelligentes quod Iesus sentiret de libertate doctrine Euangelicæ, quæ non mutat statum fortunæ, corpus eximens à iure heri, sed animū liberat à uitijis, à prauis ac mundanis cupiditatibus, à tyrannide diaboli, à seruitute pharisaicarum traditionum, à iugo legis iuxta carnem obseruandæ, respondēt indignabundi: tumebant enim nobilitate maiorum iuxta carnem: Nos, inquit, posteritas Abrahamæ patriarchæ sumus, ingenui ex ingenuis prognati, nec solum ingenui uerū & nobiles, nec ulli unquam seruitutē seruiuimus. Quam igitur

igitur libertatem tu nobis pronuntias, quasi serui simus manumittendi: Hæc responsio crassitudinem declarat genus Iudaicæ, quæ in rebus carnalibus ponebat fiduciam & gloriam suam, spiritualium uero quæ nos deo commendant negligens. Puritatem constituiebant in lotionibus corporis calicum ac uasorum, quum animam haberent uitijis conspurcatam; alios præ se contemnebant, quod præputij pelliculam haberent amputatam, quum mentem haberent incircumcisam. Ita nunc efferuntur animis, quod iuxta carnem genus ducerent ab Abraham, perinde quasi magnū esset e sanctis progenitum esse, quum apud deū nobiles sint, qui undecumque prognati, sanctorum mores referunt. Proinde quum Iesus illos duobus nominibus taxasset, & quod ueritatis essent ignari, & quod seruitutem seruirent, prius dissimulant, & ad id quod leuius est ac minoris momenti stoma-chantur. Siquidem ignorantia ueri mentis est uitium, seruum esse fortunæ malum est, non animi. Itaque dominus Iesus aperte docet quam seruitutem senserit. Vos, inquit, indignamini, quod libertatem pollicear, quum uestra opinione sitis liberi, nimirum ingenui filij Abraham. Sed est aliud seruitutis genus longe turpius & calamitosius, à quo neminem asserit maiorum quamlibet magna nobilitas. Non habetis hominē dominū unde sitis manumittendi, sed illud pro certo confirmo uobis, quisquis committit peccatum, seipsum peccato seruum reddit, ac sui iuris esse desinit. Is uere liber est & ingenuus, qui nulli turpitudini est obnoxius. Hæc est ingenuitas, de qua merito gloriari possis apud deum. Ceterum quisquis addictus est peccatis, hic diabolum habet dominum, & huius arbitratu ducitur, agiturque etiam si genus referat ad patres sanctissimos. Non enim aliena sanctitas tollit posterorum seruitutem, sed suis quisque factis aestimatur. Hanc libertatem non potest impartire seruus cōseruo, qui & ipse peccato est obnoxius. Sed ille solus liberos reddit & ingenuos, qui solus nulli peccato est obnoxius.

Seruus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum: si ergo filius uos liberauerit, uere liberi eritis.

Seruus tamen si pro tempore quædam agit in domo, tamen quoniam seruus est non hæres, non habet ius perpetuum, sed exigitur domo quum uisum est domino. Filius autem quoniam hæres est ac dominus domus, perpetuum habet ius in domo, nec solum ipse uere liber est ab omni seruitute, uerum etiam alios potest libertate donare. Proinde si hanc libertatem desideratis, non est quod eam expectetis à Mose aut patriarchis aut sacerdotibus uestris, quorum administratio fuit ad tempus, neque quisquam horum fuit prorsus immunis ab omni peccato, neque quisquam ius habuit abolendi peccata, neque quisquam ad plenum nouit ueritatem. Verum si quis adhæserit filio, cui tota perpetuaque domus tradita est, is undecumque prognatus erit iuxta carnem, ueram libertatem sperare poterit. Non igitur Abraham uos liberos genuit, non Moses, non sacerdotes suis uictimis uos reddunt liberos: si filius uos ab erroribus & peccatis liberos reddiderit, uere liberi eritis. Non est libertas nulli homini subesse, impune peccare, quam ferè uulgius mortalium spectat, sed agnouisse Christum, & secunda conscientia patre inuocare: ubi spiritu isto libertatis nihil ex coactione uel metu, sed hilari uultu uel animo facis quicquid facis. Ex metu inferni qui facit aliquid boni, seruus est: qui ob gratitudinem operatur, sciunt se patrem in cœlis habere, et si non reposita essent aliqua merita, nihilominus astricti essent diuinæ seruituti, nolunt ingrati inueniri. Iam si conscientia astringatur humanis doctrinis & constitutionibus, hic omnibus modis erit conadum, ut agnoscatur Christus: ubi enim spiritus ibi libertas.

Scio quia filij Abraham estis, sed quærius me interficere, quia sermo est

meus non capit in uobis. Ego quod uidi apud patrem, loquor, & uos quæ uidistis apud patrem uestrum, facitis.

Vos uobis isto nomine placetis, quod sitis Abrahamæ filij. Scio uos esse prognatos ex Abraham iuxta carnem, sed ista leuis ac popularis est gloria, & omnium cõmunis, qui Iudaico nomine censentur. Si uultis uere uideri posteritas Abrahamæ, & sanctissimi patris non degeneres filij, factis declarate uos esse illius filios: nam hoc est ingenuæ germanæque prolis referre parentis ingenium. Abraham adeo credidit deo, ut non dubitaret ad illius iussum unicum mactare filium Isaac, quum per hunc esset sibi promissa numerosa posteritas. Vos autem uidete quantum absitis à moribus patris uestri, qui me ipsum conamini interficere, non ob aliud nisi quod excæcati carnis ac mundi cupiditatibus, non assequimini sermonem meum, qui spiritualis est. Abraham nihil hæsitans de promissis, quanquam reclamante natura, tamē credidit angelo, per quem illi deus loquebatur. Mihi citus est Abraham, non solum non creditis, sed etiam malitiosis consilijs necē machinamini. Nolite ergo uobis arrogare patrem Abraham: eius quisque filius est apud deum, cuius facta & mores refert. Ego dictis & factis doceo me filium eius à quo missus sum. Quod enim uidi & audiui apud patrem meum, loquor, uos item quæ uidistis apud patrem uestrum ea facitis.

Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster, Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filij Abraham estis, opera Abraham facite. Nunc autem queritis me interficere hominem, qui ueritatem uobis loquutus sum, quam audiui à deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris uestri.

Hoc dictum domini Iesu cum indigne ferrent Iudæi, sic respondent, ut conuictum aliquod in Abraham conentur elicere: quod si fieret, populū ad lapides prouocassent. Etenim cum palam testatus esset illorum esse mala opera, & adiecisset illos ea facere quæ uidissent apud patrem suum, nec alium patrem agnoscerēt quam Abraham, taxatus hoc dicto uidebatur patriarcha, qui talis fuisset ipse, quales habebat filios. Iesus autem nec durius quicquam dixit in Abraham, sed diuersum ratiocinatur, ideo Iudæos non esse filios Abrahamæ, quod eius essent dissimillimi. Si ueri, inquit, uultis uideri filij Abrahamæ, referte patrem factis, credite sermoni dei, quandoquidem ille ob insignem erga deum fiduciam iustitiam promeruit elogium. Nunc cum sine fine iactetis patrem Abraham, tamen me studetis interficere hominē, ut nihil aliud sim quam homo, tamen innocentem, & ideo uultis interficere quia ueritatem uobis loquor, non quam ex me commiseris, sed quā audiui ex deo, ut quisquis mihi diffidit, idem & deo diffidat necesse est. At Abraham non agnosceret uos filios, qui rem impiam molimini, & ab illius moribus longe dissidentem. Quod si quisque eius est filius cuius æmulatur facta, & uestra facta plurimum dissident à factis Abrahamæ, aliū habeatis patrem oportet, quisque is est, cuius ingenium exprimitis.

Dixerunt itaque ei: Nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus deum. Dixit ergo eis Iesus: Si deus pater uester esset, diligeretis utique me: ego enim ex deo processi, & ueni: necque enim à meipso ueni, sed ille me misit.

His dictis etiam irritatores facti Iudæi, iam ceu præfagientes quod tenderet sermo domini Iesu, & quæ patrem illis designaret, respondēt: Quem tu patrem alium

aliū nobis assignas qui parentem adimis Abrahā? Nos ex stupro non sumus prognati, liceat nobis de hoc gloriari quod est omnium Iudæorum commune, qui non solum sumus posterī Abrahæ, uerum etiā filij sumus dei, qui Israel appellat primogenitum suum, & nos Israelitæ sumus. Quod si nobis adimis patrem Abraham, si alium patrem tribuis quā totius gentis nostrę communem patrem deum, non in nos solum sed in uniuersam Iudæorum gentem contumeliosus es. Hoc responsum quum haberet impiam impudentiam (quid enim impudentius quā se iactare filios dei, qui sibi talium scelerū conscij, quicq; filium dei captarent ad necem) seuerius retudit: Si deus, inquit, uobis pater esset, hoc est si ueri germaniq; essetis Israelitæ, me nimirum diligeretis ueluti fratrem, communi parente prognatum, ac patris mores exprimentem. Nec enim aliud ex primo quā patrem deum, nec alterius negotium ago quā patris à quo processi & ueni in hunc mundum. Neq; enim ex me loquor aut facio quicq; neq; enim ipse me legauit, sed ille me misit quem uobis communem asseritis patrem.

Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum. Vos ex patre diabolo estis, & desyderia patris uestri uultis facere: ille, homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia non est ueritas in eo: cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est & pater eius. 1. IOAN. 3. b

Si filij dei estis, cur eiusdem parentis filij non agnoscitis linguam eius qui uere est filius, & apud patrem fuit antequam ueniret in mundum, neq; quicq; loquitur nisi ex patris præscripto? Cur usq; adeo non potestis ferre sermonem meum, quū per me uobis loquitur deus? Si creditis deum ueracē, beneficū, saluiferum, amicū pijs, inimicū impijs, quū in dictis factisq; meis nihil conspiciatis ab hisce rebus degenerans, cur non agnoscitis mores & ingenium patris? Quod si cupitis audire nomen patris uestri, cuius ingenium & facta referatis, Vos nec ex Abraham, nec ex deo prognati estis, sed ex diabolo. Huius germani estis filij, cuius ingenium & indolem spiratis, cuiusq; uoluntati paretis. Nam & ueritatem odistis & innocenti necem molimini: hoc diaboli patris uestri exemplum est. Siquidem ille princeps et mendacij & homicidij fuit author, quo suo mendacio primos humani generis parentes pellexit in mortē, non alia re prouocatus quā inuidia felicitatis alienæ, atq; idem morbus uos quoq; stimulat in eadem hominis innocentis & benefici. Ille per suam superbiam excidit à ueritate, & sic excidit, ut non sit spes ad meliora resipiscendi, sed persistens in malo, peccata peccatis accumulatur, per uos nunc oppugnans ueritatem dei, & per uos idem agens quod egit in initio mundi, quum principem humani generis pertraheret in mortē. Quisquis igitur odit ueritatē & amat mendacium, loquitur quo patre prognatus sit. Quicquid ille loquitur, mendacium loquitur, & ex sese loquitur, quia non solum mendax est, sed pater mendacij ac princeps. Quemadmodum ediuerso deus fons est omnis ueritatis, & quisquis ueritatē ad dei gloriam loquitur, non ex se loquitur, sed spiritu diuino afflatus.

Ego autē si ueritatem dico, non creditis mihi. Quis ex uobis arguet me de peccato? Si ueritatē dico, quare nō creditis mihi? Qui ex deo est, uerba dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex deo non estis. 1. IOAN. 4. d

Si uos ex deo prognati estis, authore ueritatis potius quā ex diabolo patre

mendacij, quum ego ueritatem cœlitus acceptam loquor uobis, cur filij Abrahæ non creditis deo? cur filij dei non agnoscitis & amatis dei ueritatem? Si in dictis meis ullum deprehenditis mendacium, si in factis ullum crimen, diffidite sermonibus meis. Sed quis est ex uobis omnibus, qui mihi peccatū ullum possit impingere? Vos quales sitis, ipsi uobis estis cōscij. Quod si à deo est quicquid rectum est ac uerū, neque quicquid in me potestis cōuincere, quod à recto ueroque dissideat, cur mihi diffidentes diffiditis deo, presertim quum uos iactetis dei filios? Quod si uere gloriamini, dei sermonem agnosceretis: sin falso, mendacem patrem exprimitis. Quisquis ex deo prognatus est, ut germanus filius audit uerba dei patris sui. Et illud arguit uos ex deo patre non esse prognatos, quia ueritatem ab illo profectam audire non sustinetis.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, & uos inhonorastis me. Ego autem non quæro gloriam meam: est qui quærat & iudicet.

Huiusmodi sermonibus magis etiam efferati Iudæi, ut solet hominum malitia rationibus conclusa ad insana maledicta cōfugere, respondēt: Nonne recte de te pronunciamus, id quod tu nunc re declaras, & comprobas nostram de te sententiam, Quod Samaritanus sis, ac dæmonium habeas, quum Iudeus uideri uis, & deum patrem iactes? Ad tam insanam contumeliā quid respondit clementissimus Iesus? Ad Samaritani conuictum, quanquam magni probri loco habebatur, tamen quoniam nihil aliud erat quam impotentis iræ maledictum, perinde quasi fungum illum uocassent aut bulbum, nihil omnino respondit. Sed ad dæmoniaci uocabulum intentatū respondet, sed ita, ut non regerat maledictum, quod in illos merito posset retorqueri, sed mansuete depellat ab se. Nos interim docens, ut quoties agitur de gloria dei, quoties aduersus impios, defendenda est Euangelica ueritas, uehementes simus & acres: quoties nos ipsi conuicti in celsum lenitatem præstemus, sic ut nec ad omnia respondeamus, sed ea tantum à nobis depellamus, ad quæ sine periculo fructus Euangelici non possemus obticescere. Referebat autem hoc ad fructum Euangelicum, ut intelligeret populus Christum, quicquid ageret non auctore demone, sed deo patre auctore agere. Mihi, inquit, cum nullo dæmone commercium est: nec ideo me iacto de patre deo, ut ex mendacio mihi gloriam cōciliem, sed ut per me pater apud homines glorificetur. Vos autem cum gloriemini uobis eundem deum esse patrem, tamen me probri afficitis, qui nihil aliud quæro quam illius gloriam, cuius uos cultores uideri uultis. Ego non affecto gloriam propriam apud homines, nec me ledit uestra contumelia, sed uobis potius adfert exitiū. Est enim qui quemadmodum cupit glorificari apud homines per me, ita me uicissim cupit habere gloriam per ipsum, non quod mihi uel illi opus sit hac gloria, sed quod sic expediat uobis, ut euitetis mortem, & assequamini salutem. Ego quidem ut non sum affectator meæ gloriæ, quanquam gloria mea patris est gloria, ita non sum ultor meæ contumeliæ, nec ob id tamen existimetis uobis impune fore quod me probri afficitis. Est enim qui & quærat gloriam meam, & contumeliā ulciscatur, nisi respueritis.

Amen amen dico uobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non uidebit in æternum.

Nihil uobis proderit generis auctor Abraham, nihil Moses, nihil sacerdotum aut pharisæi, nihil deus pater, ut uerbis gloriemini. Illud habetote pro certissimo,

si quis obtemperauerit sermonibus meis, quemadmodum frequenter dixi, mortem non uidebit in æternum. Sola uia est ad immortalitatem fides. Nihil dicit de uana fide, sed de illa, quam si quis acceperit, ut etiam uitam suam emendet, & innocentiam uitæ adiungat, studens bonæ uitæ. Si hoc fides operabitur in aliquo, ille dicitur seruare uerbum dei. Nihil de uana fide, qua multi gloriantur et demones habent, hic dicit. Qui uere credit ille liberabit animam suam à morte, id est amaritudinem mortis non gustabit. Quamuis uideatur hic mori, tamen mors illa potius somnus est & imago mortis. Quia Christus resurrexit à mortuis, etiam illi qui Christo per fidem uniuntur resurgent, & qui spiritus Christi participes fiunt, hi quoque æternam uitam possidebunt, & in gloriam resurgent.

Dixerunt ergo ei iudæi: Nunc cognoscimus quia dæmoniū habes. Abraham mortuus est & propheta, & tu dicis: Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est: & prophetae mortui sunt. Quem teipsum facis?

Hoc tam mansueto responso quum placari debuerint ad credulitatem, tamen pro sua crassitudine, quod iuxta spiritum dictum erat de uita animæ, de uita corporum interpretatur, & quod dictum erat ad illos erudiendos, seditiose deprauant ad contumeliam patriarcharum, undique studentes aliquid inuidiæ consistere domino Iesu apud multitudinem. Respondent autem in hunc modum: Ex illo tuo sermone certius etiam cognouimus te dæmoniācum esse, furiosum ac lymphatum, qui hoc promittas seruantibus tuum sermonem, quod nec laudatissimis contigit patriarchis, quibus loquutus est ipse deus, & prophetis quoque loquutus. Obtemperarunt illi uerbis dei, & nihilo secius mortui sunt omnes, et tu promittis immortalitatem iis qui seruauerint ea quæ doces? Qua fronte tu promittis alijs quod ipse non habes? Ipse mortalis alijs promittis immortalitatem? Num tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est: quin & prophetae omnes mortui sunt. Nihil illi tale sunt ausi polliceri cuiquam. Quid tibi arrogas? Anteponis te prophetis & Abrahamæ, & quod dei est pollicens deum te facis?

Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis: Quia deus noster est: & non cognouistis eum, ego autem noui eum. Et si dixero, quia non scio eum, ero similis uobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo.

Ad hæc Iudæorum insana conuitia sic responsum suum temperauit dominus Iesus, ut quoniam nondum erant capaces tanti mysterij, subindicaret quidem maiorem se esse prophetis & ipso Abrahamo, & unum se ex diuina uirtute posse præstare quod polliceretur, cæterum apud rudes arrogantia speciem uitaret. Sed mitigauit orationem, ne commotos magis etiam irritaret. Ego, inquit, nihil arrogo mihi falso. Etenim si more hominum captarē gloriam meam apud homines, mendax & inanis esset gloria mea. Etsi gloriam affectarem, non esset opus apud homines illam uenari. Est enim pater, unde proficiscitur omnis uera gloria, qui me glorificat. Ab hoc qui glorificatur, hunc non dehonestant hominum opprobria. Et si uultis scire quis sit ille pater meus: is ipse est, quem uos iactatis uobis quoque deum esse simul & patrem. Cuius si uere estis filij, nimirum agnosceretis illius legatum. Si uere cultores essetis, faueretis illius gloriae, nec eum afficeretis contumelia, quem ille uestræ salutis causa misit in mundum. Verum ut falsa religione colitis eum, ita falso uindicatis uobis illius notitiam.

tiam. Ille spiritualis est, et uos nihil aliud sapitis quam carnalia. Ego uero qui uere filius illius sum, noui illum, quod non falso mihi arrego, sed quod uerum est loquor: & si negem me nosse illum, tam sim futurus mendax quam uos estis uani, profitentes uos scire deum, quum deum ignoretis. Ab illo missus sum, & apud illum fui antequam uenirem in mundum. Itaque noui eum, & quicquid illi mihi mandauit seruo. Quisquis autem contemnit sermonem meum, deum contemnit, cuius nomine legatione fungor, idque bona fide. Quisquis autem dei sermonem aspernatur, is nec nouit deum, nec eum habet pro deo.

Abraham pater uester exultauit ut uideret diem meum, & uidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidisti?

Porro quod sine fine iactatis patrem Abraham, cuius estis dissimilimi, mihique conciliatis inuidiam, quod illi me praeferam, equidem nec meam iactationem, nec illius dignitatem imminuam; illud modo dicam, quod Abraham, quem uos miramini potius quam imitamini, quantus quantus fuit, tamen exultauit sibique felix futurus est uisus, si contigisset uidere diem meum. Ac uidit quod optauit, & magnopere gauisus est uir tantus, contigisse sibi diem meum, quem uos aspernamini. Hoc aenigmate Iesus significauit Abraham, quum pararet immolare filium Isaac per prophetiae spiritum uidisse dominum Iesum in mortem crucis a patre tradendum pro mundi salute, nec tamen ob mortem interiturum, sed post triduum ad immortalitatem reuicturum. Sicut ergo Abraham olim cognouit & laetatus est in spiritu suo, sic manifestum est patris ueteris testamenti in eadem fide seruatos in qua & nos, nempe fide in Christum, quia Abraham credebat Christum uenturum, nos credimus uenisse. Ille, inquit, non inuidisset mihi hunc honorem, nunquam existimasset se feliciorum quam si se contigisset uiuere illum diem, id est aduentum, quo innotescere mundo cepit. Christus mundum suo aduentu illustrauit, quod non potuit non esse gratissimum Abrahae, qui uidebat mundum obrutum uarijs idololatrijs. Quid autem ex semine Abrahae ad Gentes unquam peruenit, quod benedictio uerius dici possit quam cognitio dei doctrinaque pietatis, idque non nisi per Christum: Id certe quod Abraham & sancti omnes omnium semper maxime desiderarunt, non ut gloriosi ipsi essent in mundo, sed ut nomen domini dei sui, quem digne amabant, quam maxime sanctificaretur in mundo, ut non minus reuereretur et amaretur deus ipsorum a gentibus omnibus quam a seipso. Huiusmodi enim sunt uere fidelium uota & desideria, & gaudia, si sciant futurum. Huius ergo diei, huius aduentus Christi, & gloriae dei, & reuelationis ueritatis, cum Abraham promissionem accepisset, certus factus se ista uisurum, exultauit dignissime: sic sancti omnes longe plus ex scriptura intellexerunt quam cortex uideatur literae indicare. Et promissiones Iudaeis factae longe excellentiore gloria impletae sunt quam quis ipsorum potuerit cogitare. An non gloria Abraham hodierna die clarior est & sanctior fama quam tunc cum uiueret, & crederet haec futura, quae mundus usque ad nos iam dudum et hodie cernit impleta? Hoc tantum mysterium non intelligentes Iudaei improbi, rursus iuxta carnalem sensum calumniantur, nihil aliud suspicantes Iesum esse quam hominem; nec ante fuisse quam de Maria nasceretur. Nondum, inquit, annos natus es quinquaginta, & Abraham ante tot etates mortuum uidisti? De numero annorum Christi non ita certum est, ut plerique arbitrantur. Baptizatus fuit Christus, cum haberet annum trigessimum apud Lucam, sed postea tribus cum dimidio annis praedicauit. Iam Iudaei augent numerum, quod

quod uidetur aliquo modo accedere ad quinquagesimū, alioqui cōmodius dixissent quadraginta. Irenæus lib. 2. aduersus hæreses dicit se audiuisse à discipulis apostolorū, Christum uiginti annos prædicasse. Planè nouum est hoc nobis cum non legamus apud alios auctores. Dicit, qui Ioannem uiderint in Asia id indicasse. Sed non est periculū fidei in hac re. Quædam etiam alia Iudæi incircumspectius loquuti sunt & malignius. Verisimilius est quod habet cōmunis loquendi modus.

Dixit eis Iesus: Amen amen dico uobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides ut iacerent in eum, Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo.

Tandem dominus Iesus ueluti prouocatus eorum conuitijs subaperit diuinæ naturæ scintillam, iuxta quā nō nouit tempus neq; sæcula, sed semper idem fuit ante omnia sæcula, quemadmodū deus pater nesciens tempus semper est quod est, sine quacūq; obūbratione uicissitudinis. Sic em̄ loquitur Moses: Ego sum qui sum, æternitatem & indemutabilem naturā significans. Paterno itaq; uerbo usus filius: Illud, inquit, etiam atq; etiā confirmo uobis, licet nondū creditur. Anteq; Abrahā nasceretur ego sum. Ad hanc uocē ueluti palām blasphemam, quod homo mortalis sibi uideretur æternitatem solī deo competentē arrogare, non amplius temperarūt manibus, sed sublatīs lapidibus aggressi sunt eum saxis obruere. Iesus autem se deum professus, ut hominem quoq; demonstraret cessit illorum furori, non quod illorū uehementiam metueret, quā illi in manu fuerat cohibere, sed nos interim docēs, ubi tempus postulat, gnauiter ac fortiter esse prædicandam Euangelicā ueritatem; rursus ubi nostro simus officio functi, non esse sine fructu prouocandam malorum uesaniā. Nouerat enim dominus Iesus, non dicam crassæ multitudini, sed nec discipulis persuaderi potuisse, si se palām prædicasset deum & hominem, atq; eundē simul & mortalem esse iuxta corpus humanum, & immortalem iuxta naturā diuinam; iuxta carnem in tempore natum hominem ex homine, iuxta diuinam uirtutem ante omnia tempora semper fuisse deum ex deo. Hoc enim tam arcanū mysterium magis erat miraculis, morte, resurrectione, in cœlum ascensione, sancti spiritus afflatu suo tempore persuadendum mundo q̄ ante tempus apertis uerbis nō credituris ingerendum. Subduxit itaq; sese Iesus illorū furori, & clanculum egressus est templum, ipso facto præludens futurum, ut Euangelica lux ab impijs ac suapte sponte cecis Iudæis repulsa, demigraret ad Gentes; & illis qui sibi soli uidebantur religionis cultores, relinqueretur sua domus deserta, aliō conferente se Iesu, qui solus est ueræ pietatis auctor. Qui ut reliquit Iudæos, & euauit, sic factō quoq; ostendit se uera dixisse de Iudæis; ipsos quoq; sapius mentitos, quū homicidij crimen agnoscere detrectantes, nunc astruunt factis uerba Christi, quæ mendaciter negant.

CAPVT IX.

T præteriens Iesus, uidit hominem cæcum à natiuitate, & inter rogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic aut parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neq; hic peccauit, neq; parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in illo.

Cessit igitur dominus Iesus ad tempus illorum furori, quos adhuc uidebat insanabiles, ac miraculis declarare potentiā suam diuinam aggreditur, quam oratione nondum poterat persuadere. Et ecce statim obuium est argumētum,

non abhorrens ab his quæ fuerant gesta in templo, Siquidē illic cum cæcis fuerat concertatio, sed animo cæcis non corpore, quod infelicissimum est cæcitatibus genus: atq; hoc etiã infelicius, quod cum essent plus quàm cæci, tamen sibi uiderentur oculati, ut non solum essent infelices, uerum etiã immedicabiles. Minus enim miser erat cæcus quem Iesus præteriens uidit, qui corporeis tantum oculis erat captus, idēq; à natiuitate ut medicis quidem esset insanabile malum, non etiã Christo, mentis tamen oculos habebat. Hunc igitur cum esset intuitus Iesus, ueluti miserescens hominis ob infelicitatem, discipuli qui meminerant quod paralytico sanato dixisset, Vade, noli posthac peccare, ne quid accidat tibi grauioris mali, suspicantes omne corporis uitium ex animi uitio nasci, & calamitates tantas non absq; peccato à deo infligi, id quod & amici Iob disputabant, & est communis hominum opinio non uera, de hoc cæco itidem percontantur, cuius uitio accidisset ut cæcus nasceretur. Cum enim nocere potuerit antequam nasceretur, quisquis cum morbo uitioq; corporis nascitur, uidetur ob alienam culpam puniri, quod præter æquum esse uideretur. Rabbi, inquit, unde huic tantum malum ut cæcus nasceretur: utrum ex ipsius peccato aut parentum? Respondit Iesus: Nec hic suo peccato commouit ut cæcus nasceretur, qui peccare non potuit cum nondum esset, nec parentes eius. Non enim punit deus liberos ob peccata parentum, quemadmodum docet lex, nisi filij parentum uitia æmulentur. Nec huic casu quopiam accidit cæcitas uel ullius uitio, quemadmodum multa multis accidunt in uita mortalium generali dei ordinatione. Sed huius infelicitas in hoc homine incidit domini uoluntate speciali, ut per eum declararetur hominibus potētia bonitasq; dei, cui cæci tam pertinaciter reclamant. Quo autem malum est insanabilius, hoc illustrior erit mali depulsi gloria. Nō permittit deus aliquid absq; causa: nam opus dei in illo cæco manifestandum erat, ideo deo placuit ut sic cæcus nasceretur. Multum expedit hoc signum cogitare in aduersitatibus, deus glorificatur per nos si non obmurmurauerimus, etiã si non miraculum ex nobis faciat: sed si patientes erimus opus dei in nobis manifestabitur.

Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est: uenit nox, quando nemo potest operari: quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.

Ego in hoc missus sum in mundum, ut procurem gloriam dei factis huiusmodi, quæ incredulis fidem faciant me uera loqui, ut qui crediderint sanentur à cæcitate sua, & lumen ueritatis ac iustitiæ uideant. Hoc mandatum mihi gnauiter exequendum est quamdiu dies est: nam luce solent homines operari, si quid habent operis: nox em̄ ad opus inutilis est et tenebræ. Interim igitur dum dies præsens operandi habet facultatem, quæ ad salutem æternā pertinent non est cessandum: uentura est enim nox, cum iam frustra uelint homines operari nec possint: quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Si homines properant ut opus quod ob huius uitæ usum aliquem obeunt, absoluant ante solis occasum, quanto magis adnitendum est omnibus, ut dum me præsentem habent, operantur in hoc mundo. Quid enim aliud ago quàm ut omnes per oculos fidei uideant & agnoscant deū & huius filium, quem misit in mundum? Breui sum abiturus, tum frustra desiderabunt lucem, qui nunc operari noluerunt. Hoc sermone dominus Iesus recte submonuit eos qui aderant, ut abiecta incredulitate pro-

te properarent credere filio dei, quem iuxta carnem non essent diutius uisuri. Porro qui aliter non poterant ad fidem adduci, nisi ex auditis ipsius sermonibus & conspectis miraculis, frustra desideraturi forent sublatum, quem presentem contempserunt, & ad cuius lucem omnium ingestam oculis, oculos suos occluserunt. Qui uero obstinatis animis persisterent in spontanea cæcitate mentis, eos ut deploratos & insanabiles aliquando relinquendos suo malo in æternum exitium, uidelicet ingruente calamitate miserabili, quæ perderet eos potius quàm sanaret. Ad hæc olim uenturum horribile iudicium, cum iam impij frustra cupient operari salutis suæ negotium, nec licebit; nox enim illa non patietur, cum diem in quo licebat neglexerint. Porro dum quisq; in uita corporis est, etiam post sublatum in cælos Christi corpus, tamē habet illius lucem ex apostolis sacriscq; literis, quæ facultatem præbent operandi quod ad salutē pertinet. Cæterum semel extincto corpore, iam illi dies suus occidit, nec amplius potest operari, sed superiorum operum merces est expectanda.

Hoc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos suos, & dixit ei: Vade, & laua in natatoria Syloë, B quod interpretatur missus. Abijt ergo & lauit, & uenit uidens.

Hæc tum obscure dominus Iesus tardos ad credendum homines metu futuri extimulans, iam uero miraculum expectantibus discipulis Iesus expuit in terram, ac sputo commixto pulueri fecit lutum, id ille uit oculis cæci, paternum uidelicet & suum opificium referens, quo primum hominem ex argilla humore macerata finxerat. Eiusdem autem authoris erat, restituere quod perierat, quicquid conderat quod nō erat. Et maioris est uirtutis sarcire quod corruptum est, quicquid gignere quod natum nō est. Sed interim huius malagmatis nouitas omnium animos attentos ac suspensos reddidit ad miraculi futuri considerationē, simulq; cæci constantem fiduciam arguit, qui nihil obmurmurat illinienti, sed simpliciter obtemperat facienti quod uellet, nihil addubitans de beneficio, quocumq; modo daretur. Nec statim recepit oculos cæcus, sed ut erat oblitus luto iubetur ire ad piscinam Syloë, atq; illic aquis proluere lutum oculis oblitum, quo simul & illustrior esset omnibus cæci fiducia, nihil detrectantis quod iubere facere, & nouitas spectaculi, nec non longioris itineris mora plurimos euocaret miraculi testes. Cæcus enim nō procul à templo sedebat, iuxta uiam mendicans. Et Syloë fons est, unde piscina nascitur, & est ad radicem montis Sion, de cuius aquis mentionem facit Isaias, queriturq; eas fuisse contemptas, non quod ex illis aquis quisquā salutem sit assequutus, sed quod diuinæ scripturæ typum gerant. Quæ cum absq; strepitu mundanæ eloquentiæ placide leniterq; fluant, tantum quoniam ex abstrusis diuinæ sapientiæ cauernis scatent, cœlestem uim habent depellendi quamuis inueteratam humanæ mentis cæcitate, & eos oculos aperiedi quibus uidetur deus, quem uidisse felicitas est. Syloë namq; Syriacè lingua sonat missionem. Vnus enim est unice missus à patre, qui solus illuminat mentes hominū. Fons enim Christus ille, ipsum representabat, qui nunc quoq; in scripturis arcanis in uirtute latitans aperit oculos cæcorum, si modo suam cognouerint caliginem. Plus quàm cæcus fiat oportet, qui uelit accipere lucem à Christo. Qui mundo sapit, nimirum abest à spe sapientiæ cœlestis; qui sibi est oculatus, nec dignatur luto Iesu occludi sibi oculos, non est quod speret lucem Euangelicā. Quum huc igitur ut erat iussus iret cæcus, ob mendicitatem uulgo notissimus, quod talis esset natus, dubium non est, quin euntem magna

uis populi admirabunda comitaretur, lutatis oculis ac bis cecum incedentē ad aquas nullo miraculo nobiles; ubi uentum est ad aquas, abluit lutum ab oculis, ac domum rediit apertis oculis clare uidens. Lotio illa præsignat internā lotionem, ut lauemur à sordibus animarum nostrarum. Non lauabimur autem nisi cognito Christo, illa quæ est uera lotio; alia externa lotio fallere potest, interna neminem. Fructus quoque ostenditur fidei simul & obedientiæ.

Itaque uicini & qui uiderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: **Nōne hic est qui sedebat & mendicabat?** Alij dicebant, **Quia hic est.** Alij autē, **Nequaquā, sed similis est ei.** Ille uero dicebat, **Quia ego sum.**

Qui prius eū nouerant (neque enim parum multis notus esse poterat, quum publicus esset mendicus) quū faciem agnoscerent, oculos autem mutatos conspicerent, dicebant: **Nōne hic est ille quem uidimus ante templum sedentem iuxta uiam & mendicantem?** Nonnulli dicebant: **Is ipse est.** Alij contra: **Non est ille, sed est alius sibi similis.** Dissidentibus illis inter sese, cæcus ipse, Imò, inquit, sum ille idem mendicus & cæcus à natiuitate, quem sæpe uidistis, ut uox quoque agnita faceret fidem miraculo. Illuminati per fidem à Christo, etiam in lumine ambulare studeamus, ad quod primum opus est confessione, quæ iungitur necessario fidei; corde enim creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Innotescunt autem maxime confessiones temporibus tentationum, cum ignis purgatorius exardescit. Proinde sapiens dicit: **Fili accedens ad seruitutem dei, para te ad tentationem;** Christus à baptismo mox ducitur à spiritu in desertum tentationis. Hic statim post cæci illuminationem ortum est dissidium, ut ueritas diuini miraculi manifestaretur, alioqui pauper incognitus mansisset. Verisimile est quosdam uicinatorum malo animo inquisiuisse, ut proderent pharisæis & struerent insidias Christo. Erat enim explosum iam nomen Christi apud Iudæos, & lex promulgata de excludendo e synagoga Christo & fautoribus. Ambulabat tamen Christus libere. Crescebat fides tam cæco quam alijs, quāto magis ueritas inquirebatur & persequeretur. Ego, inquit, sum ille olim cæcus, miser mendicus, sed dei beneficio nunc beatus & alius.

Dicebant ergo ei: **Quomodo aperti sunt tibi oculi?** Respondit: **Ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & unxit oculos meos, & dixit mihi, Vade ad natatoriam Syloë, & laua. Et abi, & laui, & uideo. Et dixerunt ei: Vbi est ille?** Ait: **Nescio.**

Nos, inquit, te cæcū uidimus, nūc uidemus apertis oculis cernentē. Unde accidit, ut tibi prius clausi nūc aperti sint oculi: Homo ille, inquit, qui dicitur Iesus, luto unxit oculos meos, iussit ut abiens lauarem in Syloa. Abi, laui, & uideo. Tunc illi quærentes occasionem calumniandi dominū Iesum, quod tempe rato luto & oculis inuncto, non nihil operis fecisset in sabbato, rogant ubinam esset ille qui hoc fecisset. Is quū respondisset se nescire quis esset (non enim nouerat Iesum nisi de nomine, de facie cæcus nosce non poterat) simpliciter narrabat factū. Et pars erat gratitudinis, qua nihil deo prestare dignius possumus, ut grati simus, omnia nos ab ipso suscepisse fateamur, qui uult gloriā suā saluam ante omnia, id fit, si confiteamur ei beneficia sua, Christum esse saluatorem nostrum. Qui uero placere deo uoluerint, huic mundo non placebunt.

Adducunt eum ad pharisæos qui cæcus fuerat. Erat autē sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum pharisæi quomodo uidisset. Ille autem dixit eis: **Lutum posuit**

fuit mihi super oculos, & laui, & uideo.

Quum respondisset se nescire quis esset: non enim uiderat Iesum, adducit eum qui ex cæco factus est uidens ad pharisæos, ut apud hos re simpliciter narrata proderet Iesum, quod uiolasset sabbatum; nam sabbatum erat cum illuminasset cæcum Christus dominus. Rursum igitur pharisæi percontantur hominem: nouerant enim quomodo ex cæco factus fuisset uidens. Ille nihil metuens simpliciter ut res haberet narrabat. Lutum, inquit, temperatum saliuâ inunxit oculis meis, iussusq; laui in Syloa, deinde uideo. Semper obseruabant Iudæi, si possent Christum in operibus contra legem reprehendere. Aegreferebant in primis Christum sanare ægros in sabbato. Nam hoc faciebat Christus, ut gloria dei magis illustraretur; neq; agebat in angulo sua miracula, sed cū populus adesset. Et hic uidemus in cæco isto satanam non cessare, etiamsi ad primā tentationem succubuerit; multæ enim tribulationes iustorum, dominus tamen assistet illis. Vbi igitur populares percontassent cæcum quomodo fuisset illuminatus, id ipsum & pharisæi faciunt eadem malignitate, imò maiori.

Dicebant ergo ex pharisæis quidam: Non est hic homo à deo, qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc signa facere? Et schisma erat inter eos.

Pharisæorum quidam dicebant: Nō est hic Iesus à deo, tametsi patrē deum habeat in ore. Nam si deum haberet talium operum authorem, nō uiolaret huiusmodi factis sabbatum, quod deus iussit obseruari; nefas est uiolare diem sanctum, cum huiusmodi sacrilegis deus non habet gratiosum & familiare cōmercium. Sic illi peruerse increduli, quoniam factum tam manifestū inficiari non poterant, neq; tam beneficū damnare, ex dei religione mutuatur calumniam. Rursum alij sanabiliore: Si hic, inquiunt, non esset deo gratus, & ob uiolatum sabbatum nefarius esset, quomodo posset hæc ædere miracula? Res ipsa loquitur hæc præsidio dei fieri. Neq; enim hoc primum nunc ædidit miraculum. Ad hunc modum de Iesu uariatum est inter illos sententijs. Voluissent auocasse à fide in Christum eum qui fuerat illuminatus, & ex grato facere ingratū. Quasi dicere uelint: Inimicus dei est iste, & cōtemptor mandatorum dei, quorū quod maximum est, sabbati obseruantiam contemnit: non est ergo à deo missus, quacumq; tandem ratione uisum acceperis. Cum Christus omnium maxime sabbatum obseruaret, quod est institutum propter hominem. Quod Christus toties de uera libertate docuerat, non attendebant, sed pertinaces in sua malitiosa sententia permanebant.

Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est. Non crediderunt ergo Iudæi de illo quia cæcus fuisset et uidisset, donec uocauerunt parentes eius qui uiderat, & interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius uester, quem uos dicitis quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc uidet?

Pharisæi captabant ubiq; calumniandi ansam, ideo appellant eū qui cæcus fuerat. Tu, inquiūt, quid sentis & fateris de illo qui tibi aperuit oculos? Illud uenabatur, si male prædicasset de Iesu, quod non ignorabat illos uelle, haberent quod obijcerent illis, qui de Iesu mediocriter sentiebant; sin bene, fauissent in ipsum hominem, eijcientes de synagoga. Mendicus autem simpliciter et intrepidus pronunciat ex iam perfectiore fide, quæ & crescebat ex tentatione, dicēs de Iesu quid sentiret. Mihi, inquit, uidetur esse propheta, magnū quēpiam & in

signem uirum hoc titulo significans, cuius & famam acceperat, & uirtutem ad mirabilem in se fuerat expertus. Erant itaq; permulti Iudæi quibus persuaderi non poterat, hunc esse eundem illum, qui nuper sedisset ad fores templi mendicans, à natiuitate cæcus, quum hunc constaret apertis oculis clare cernere. Vocati sunt igitur parentes, qui peculiaribus etiam indicijs filium suum nosse poterant. Atq; hic malitiosa pharisæorum curiositas proficiebat ad geste rei fidem, simul & gloriam. Dicunt igitur parentibus: Num hic est uester ille filius, quem uos dicere soletis cæcum fuisse natum? & quid accidit ut nunc uideat? Mira obstinatorum pharisæorum duritia, quibus nulla doctrina sufficit: manifeste se fatetur cæcum fuisse, nunc uidere. Illi contendebant subornatū à Christo quempiam huic similem qui talia diceret. Et carnales nequeunt iudicare de spiritualibus. Spirituales contra possunt iudicare carnales. Ideo nō est mirum si Iudæi omnia alia suspicantur potius quàm diuinum miraculum.

Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus est natus, quomodo autem nunc uideat nescimus, aut quis eius aperuerit oculos nos nescimus: ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt, Quia ætatem habet, ipsum interrogate.

Parentes illi timidi quibus res erat angusta domi, sentientes pharisæos ansam uenari calumniæ, caute respondent. Hoc quod habemus, inquit, indubitatum testari possumus. Scimus hunc esse filium nostrum, scimus cæcum fuisse natum: cæterum redditi uisus neq; modum nouimus neq; auctorem. Hoc ipse certius quàm nos testabitur: nec enim puer est, ut nesciat quid ipsi acciderit. Habet ætatem, ex ipso magis percontemini, ipse de se loquatur quod nouit. Hæc dicebant parentes, non quod nescirent quid accidisset filio, à quo iam narrante didicerant, sed maluerunt unum uenire in periculum quàm communi periculo inuolui cum filio. Iam enim Iudæi conspirauerant, ut si quis auderet Iesum profiteri Messiam, eijceretur è synagoga, quod apud Iudæos magni probri loco ducebatur. Vnde & apud Euangelij professores seuerissimum pœnæ genus est, ut si quis à sua professione degenerans in crimen aliquod insigne prolapsus fuerit, à reliquorum consortio semoueatur, ut à cæteris deuitatus pudore respiscat, qui salubribus monitis corrigi non potuit. Sed hoc exemplum redderent execrabiles ac pestilentes, Iudæi uertebant ad suæ tyrannidis stabilitamentum, quemadmodum & cæteris omnibus bene institutis ad quæstus suum & ambitionem abutebantur. Telum enim quod tantum in malos torqueri debebat, & eos quidē seruandos magis quàm perdendos, id uertebant in eos, qui Christum profiterentur. Hoc metuentes parentes inuidiam testimoniij rejiciebant in filium: Aetatem habet, inquit, ex ipso sciscitemini. Ex eo autē quod conspirauerunt Iudæi, hanc pœnam contra eos qui confiterentur dominū Christum esse, animaduertimus iam tum passim percreuisse eum esse Christum, idq; multis tunc quoq; creditum. Videmus quàm sit intolerans ueræ iustitiæ et confessionis hic mundus. Quæ unquam maior innocentia, modestia, quæ maior in omnes officiositas uisa erat q̄ in Christo omnibus conspiciebatur: hunc tamen tanto potuerunt odio persequi, qui in mundo erant optimi, ut etiam bona tantum

na tantum de eo eaq̄ uerissima testantes, indignos sua communione haberent, idq̄ prætextu iustitiæ studiūq̄ dei.

Vocauerunt ergo rursus hominem qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam deo: nos scimus quia hic homo peccator est.

Reuocatus est is qui fuerat cæcus, ut sibi testis esset ac patronus, simulq̄ gloriæ Christi præco: totam enim pharisaorum malitiam Iesus uertere solet ad suam gloriam. Cum enim factum euidentius esset, partim parentum testimonio, partim ipsa re, quam ut dissimulari negariue posset, tamen ut facti laudem à Christo quem oderant auertant, Quod ex cæco, inquit, factus es uidens, non à Christo quem oderant, sed gloriā istius beneficij tribue deo. Nos enim li ascribere Iesu, cui nec debes, sed gloriā istius beneficij tribue deo. Nos enim certum habemus, quod hic Iesus homo scelerosus sit, cui cum deo nihil est comertij. Pharisaï separare conabantur quod separari non poterat, uidelicet gloriā patris à gloriā filij, & impietati suæ summæ pietatis umbram prætexunt, uelut illis scilicet curæ sit, ne pereat deo sua gloria, quum propriam gloriā quærent in omnibus diuinæ gloriæ negligentes, quam tamē prætexunt fortiter, & blasphemiam ducunt si quis Christo bene uelit ueritatiq̄ adstare.

Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio, unum scio, quia cæcus cum essem, modo uideo. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi: quomodo aperuit tibi oculos? Respondit eis: Dixi uobis iam, & audistis: quid iterum uultis audire? nunquid & uos uultis discipuli eius fieri?

Cæcus ad hæc fortiter simul & circumspicte respondet: An homo sceleratus sit, inquit, alij uiderint, de hoc pronunciare non est meum, unum illud uere testari possum, quod ipsa re comperi me prius fuisse cæcū, nunc illius beneficio uidere. Hic quæ pharisaï nulla satis idonea daretur ansa uel calūniandi Iesum uel in hominem sæuendi, circumspicte cauteq̄ loquutum, ad superiores percontationes reuoluūtur, undiq̄ uenātes unde Iesum spolient sua gloria: Quid, inquit, fecit tibi, aut quibus modis aperuit tibi oculos? sperantes fore, ut ex re aliter narrata aliquid decerperent, unde persuaderent hoc laudis non deberi Christo. Aduersus tam impudentem pharisaorum malitiam iam mendicus factus confidentior respondit: Modo dilucide sicut res habet narraui, semel audistis, quorsum attinet eadē repetere? Si animo sincero percontamini, iam rem exposui, meoq̄ testimonio quod à me flagitabatur satisfeci: sin minus, iniquū fuerit eadem iterare. An ideo tam diligenter percontamini facti modum, ut re exacte cognita uos quoq̄ uelit is illius fieri discipuli, per quem deus tanta operatur, quemadmodum ego uirtutē illius expertus multiq̄ alij discipuli illius sumus? Hac tanta mendici confidentia pharisei irritati, non responsum reddunt, sed conuitium ingerūt, id imprecantes homini uelut summum malum, quo solo poterant ipsi quoq̄ felices reddi, & à se per abominationem depellētes quod summis uotis erat optandum, nisi tam animis essent cæci quam antea corpore fuerat ille mendicus Euāgelista. Si, inquit, uultis discipuli illius fieri, dicam uobis: sin minus, non estis digni ut enunciatur uobis quid fecerit.

Maledixerunt ergo ei, & dixerūt: Tu discipulus illius sis, nos autem F Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi loquutus est deus, hunc autem nescimus unde sit. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia uos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos.

Tu, inquit, scelestus, scelesti illius discipulus esto, nos talem magistrū abominamur, qui Moysi sumus discipuli, cum quo Iesus iste minime conferēdus.

Certum em̄ habemus, quod Mosi loquutus est deus, quodq̄ quicquid nos doceat ex deo doceat. Iesum autem istum cur audiamus, qui unde profectus sit nescimus? Doceat ac probet nobis auctoritatem suam, & fortassis credemus illi. Creuit inter disputandū mendici fiducia, quumq̄ sentiret illos omnibus technis moliri perniciem aduersus Iesum, tamen fortiter contemptis omnibus periculis illius causam agit, ex miraculo redditi luminis colligēs & conuincēs non esse obscurum unde profectus esset Iesus. Admiror, inquit, cur dicatis uos nescire unde sit Iesus, quum illud negari non possit, per eum mihi apertos oculos esse, quos natus etiā habebam clausos?

Scimus autem quia peccatores deus non audit, sed si quis dei cultor est & uoluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditū quia quis aperuit oculos cæcinati. Nisi esset hic à deo, non poterat facere quicquam.

Certe illud extra controuersiam est, nec uos dissentitis, deum nō audire uota peccatorum. Verum si quis illum pie colit, & eius quem colit religione uoluntati obtemperat, hunc audit. Quod si deus per Iesum mihi cæcitate ademit, tamen si præcipua gloria deo tribuitur, tamen pius dei cultor & amicus deo fit oportet, ad cuius uota beneficium tam insigne mihi præstitit. Nec enim uulgaris est aut mediocre miraculum, quod in me factum uidetis, multa memorantur prodigia quæ deus olim gessit per maiores nostros, sed sanctos non peccatores. Verum si repetamus ab orbe condito, quis unquam audiuit extitisse quenq̄, qui cæco nato aperuerit oculos, & depulsa perpetua nocte lucem infuderit? Quod nisi Iesus iste profectus esset à deo, nisi dei uirtus illi adesset, ex se nihil omnino posset efficere. Non est humanarum uirium quod tamen factum certumimus. Si quod de peccatore non exaudiendo in genere uelis intelligere, non quadrabit huic instituto. Sed Iudæi Christum pro insigni peccatore habebant. Peccatores intelligit mendicus, quibus est animus perseverandi in peccatis, aliàs nullus mortalium absq̄ omni macula est peccatorum. Qui cupiunt à peccato desistere, illi non dicuntur peccatores, & illos exaudit deus. Illorū deus precæ exaudit, qui colunt eum: colitur autem deus uera fide, cordis humilitate & feruenti oratione. Qui enim est cultor dei, gloriam illius promotam cupit, ideo dignus est qui exaudiatur. Adhuc tamen errabat non omnino illustratus in animo, Christum putabat suis precibus impetrasse curationem oculorum suorum, cum non precibus sed sua maiestate diuina sanitatem contulisset, dicit: Si ille non esset à deo, non potuisset aliquid facere, & deus nequaquā permisisset ut me curaret. Hoc quod in me factum est, proficit in dei gloriam, quam ille cupit promotam.

Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

Hac mendici fiducia prorsus efferati pharisæi, quum iam spes non esset fore ut ille uel corruptus uel metu territus desisteret à prædicando Iesu, ad extremam ueniunt. Exprobrant ei pristinam cæcitatē, exprobrant fortunæ tenuitatem, quasi hæc illi ob scelera sint inflicta diuinitus, quasiq̄ scelerosus nascatur qui pauper aut cæcus aut alioqui uitiato corpore nascitur. Tu, inquit, in peccatis natus es totus, & nos doces, qui religionis arcem & legis professionem tenemus? Et qui paulò ante stipem emēdicabas, hic apud tantos uiros audes pharisæi? Nec diutius illum passi sunt dicere, & pudebat sic ab homine paupe re &

re & idiota sibi obturatum os. Eiecerunt igitur hominem e synagoga, uelut
 pij magistri discipulum impium. Sed quos pharisaicum supercilium e synago-
 ga eiecit, Christus recipit in suam ecclesiam. Haftenus uidimus quomodo ille
 egregie, tametsi in ipso tyrocinio neophytus, nondum satis initiatus, certauerit
 pro Christo: nunc fructus describitur & premium quod est consequutus.

Audiuit Iesus, quia eiecerunt eum foras, et cum inuenisset eum, dixit **G**
 ei: Tu credis in filium dei? Respondit ille, & dixit: Quis est domine, ut
 credam in eum?

Ab impiorum communione secludi iungi Christo est, & ab his qui suam iu-
 stitiam falsam stabilientes ueram dei iustitiam oppugnant damnari probari est,
 & ab his qui suae studentes gloriae Iesu gloriam obscurare nituntur affici contu-
 melia summe gloriae est, & execrabilibus execrabilem esse est deo charum esse.
 Audit deus omnes blasphemias, cōsiderat conuitia, quae in paruulos suos con-
 iiciuntur. Ne putes hoc ignaro Christo fieri. Quantum ad historiam pertinet
 fieri potest, ut quidam dixerint Christo, sed spiritus interim illa commendat,
 ut sciamus certaminis nostri inspectorem esse Christū: imō oportebat hoc exti-
 mulare nos ad bene agendū. Renunciatū est igitur Iesu de suae gloriae praecone-
 quam fortiter sese gessisset apud pharisaeos: iam enim res populi rumore sparge-
 batur, quod eiectus esset. Ut igitur nactus est illum obuium, non casu sed pro-
 uidentia certa dei, quo fidem illius faceret omnibus magis conspicuam, ait illi:
 Heus tu, credisne in filiū dei? Iam enim apud pharisaeos professus fuerat illum
 a deo profectum esse, qui rem tantam perfecisset. Nec id latebat dominum Ie-
 sum, sed propter alios elicit hominis professionem, exemplum procurans cate-
 ris. Caterum is qui caecus fuerat, quum Iesum de facie nondum nosset, magno
 tamē affectu sic quoque nosse cupiens eum, quē diceret filiū dei, Quis est, inquit,
 ille domine, ut si norim credā in illum? Crediderat in eū etiā non conspectum,
 nec haec uox est diffidentis, sed ardentis uidere tanti beneficii auctorem.

Et dixit ei Iesus: Et uidisti eum, et qui loquitur tecum, ipse est. At ille
 ait: Credo domine. Et prociens adorauit eum.

Dominus Iesus modestis uerbis significans se esse de quo loqueretur, ait:
 Quem uidere cupis iam uidisti, & qui nunc loquitur tecū ipse est, in quē oportet
 credere. Ad haec ille nihil contactus magna alacritate professus est se credere:
 simulque cum dicto accidit ad genua Iesu, & adorauit eum, re nimirum ipsa de-
 clarans quid de eo sentiret. Certum hinc indicium, Christum esse filiū dei. Hoc
 proprium Christi, ut aperiat oculos caecorum. Non nostris uiribus Christum
 agnoscimus, Caro & sanguis &c., sed pater reuelat. Utinā essemus plurimum
 solliciti de Christo, & se nobis certissime propitius reuelaret. Ille initia cognitio-
 nis tradit, ille adhortatur nos in pectore ad sui cognitionem, ille est filius dei, sa-
 pientia & ueritas aeterna. Vbi ergo se primum reuelauerit Christus quā be-
 neficus sit, quanta bona per illum accepimus, quod ipse sit filius dei, credamus
 ei, fiduciam ponamus in eum, ut possit iuuare. Nūc per speculum uidemus ue-
 ritatem, aliquando facie ad faciem uisuri.

Et dixit ei Iesus: In iudicium ego in hūc mundum ueni, ut qui non ui-
 dent uideant, & qui uident caeci fiant.

Dominus Iesus quo magis huius exemplo accenderet aliorum animos qui
 aderant, Ego, inquit, qui lux sum mundi, ideo ueni in hunc mundum, ut inuer-
 tantur rerum uices, prodita nimirum per Euangelicam lucem falsae sanctitatis

ac fucata cognitionis imagine, ut qui antehac non uidebant, uideant, & qui nunc uident, excæcentur. Hoc dicto notauit Iesus pharisæorum peruersum iudicium, qui quum sibi uideretur soli scire, quid esset religio, quid esset lex, quid esset iustitia, turpius cæcutiebant quàm quiuis è mediâ plebe, nimirum mundi cupiditatibus animi iudicij offuscantibus, quum pauperulus ille cæcus humilis & idiota quemadmodum donatus erat luce corporis, ita tamen animo cernebat, ut ipsorum etiâ pharisæorum concilium ueritate uinceret. Neque fefellit huius sermonis aculeus aliquot è pharisæis, qui tum Iesum animo non sincero comitabantur, sed calumniandi potius ansam undiq; captantes. Hi nō recedentes ab arrogantia, quo uel honorificum de se testimonium extorquerent à domino, uel haberent unde deferrent illum apud pharisæorum ordinē, dicunt illi:

Et audierunt quidam ex pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc uero dicitis: Quia uidemus. Peccatum ergo uestrum manet.

Dicunt ad Christum pharisæi. Ad quam tam insidiosam pariter & arrogantem interrogationem sic respondet, ut ostendat eos qui sibi uiderentur admodum oculati plus quàm cæcos esse: non enim corpore sed animo cæcos esse, & hoc insanabilius esse cæcos, quod sibi uiderentur oculati. Si uere, inquit, essetis cæci, ac mentis insciam agnosceretis, daretur uenia simplicitati. Nunc uero cum re uera cæci sitis, & tamen arrogatis uobis apud populum eruditionis laudem, insanabiliter estis cæci. Quemadmodum hic cæcus quoniam agnouit laudem, corporis assequutus est lucem: uos cum excæcati cupiditatibus carnis uestræ sponte uestra cæci estis, sanari non potestis, sed perseveratis in peccato incredulitatis, quum idiota, qui prius ignorabant ueritatem, conspectis miraculis & auditis sermonibus meis, amota caligine lucem ueritatis amplectantur. Qui sibi legis cognitionem arrogat, oppugnās eum qui summa est totius legis, plus quàm cæcus est, totaq; errat uia. Hactenus in umbra uersati sunt omnes, nec ulla patet ad lucem uia nisi per fidem Euangelicam. Populus ideo facilius usum recipit, quia non perinde sibi uidetur perspicax, & si quid caligat, ruditas est uerius quàm malitia. Cæterum qui quum ipsi sint bis cæci, tamen se profitentur doctores plebis, hoc est duces cæcorum, perniciosius & immedicabilis cæci sunt. Nam nec ipsi ueniunt ad lucem, & alios seducunt ob falsam opinionem ac speciem eruditionis & sanctimoniam.

CAPVT X.

A Men amen dico uobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.

Pharisæi ad quos tunc loquebatur, occasione accepta à cæci illuminatione & pharisæorū murmuratione, cū tales essent, cæci nempe et irreuerentiabiliter impij, indignabantur & inuidebant domino Iesu, quod populū ad se alliceret, & à pharisæorū ac sacerdotū obedientia seuocaret. Qui cum auctoritatem suam honestis rationibus tueri diutius non possent, fucis, terroribus, insidijs, minis, impijs conspirationibus tyrannidem suam contendebant defendere, non seruientes populi commodis, quemadmodum par erat facere qui se populi doctores ac duces pastoresq; profiterentur, sed populi malo sua captantes commoda: id quod nunc quoq; ut aliās sæpe fieri credentes & pie eruditi aspiciunt cum dolore, & desyderant plenīs uotis emendari. Iesus itaq; qui prius aspici-

tis similia

tis similitudinibus inuitauerat omnes ad se, nunc panem se uocans coelestem, unde qui ederet uiueret in aeternum: nunc aquam uiuam, unde qui biberet conciperet in se fontem aquae salientis in uitam aeternam: nunc lucem mundi, quae illuminat omnium mentes: nunc filium ac legatum dei patris, cui qui crederet salutem aeternam consequeretur. Hoc loco idem agit alia parabola, quo magis & altius insideat animis omnium, quod est totius salutis humanae caput, Nemi esse posse ducem ac pastorem populi, nisi prius ipse sit ouis Christi ueri pastoris omnium ouium, quae collocandae sunt a dextris in die supremo. Ouis autem Christi non est, qui non est membrum Christi: membrum Christi non est, qui mundum diligit, qui gloriae suam anteponit gloriae Christi. Porro pharisaei quoniam sine Christo pastores esse uolebant, latrones ac fures erant non pastores, quanquam sibi pastorem ac supercilium uendicabant. Hos igitur notans: *Ilud, inquit, pro certo uobis affirmo, quisquis intrat in caulas ouium, non per ostium sed aliunde irrumpit, uel transcens septis uel perfossis muris, is non pastor est, sed fur est & latro: fur ut fraude surripiat aliquid, latro ut uiolentia perdat. Quibus Christus non cognitus, qui aliud Euangelium adferunt, qui crucifixum non docent, illi non ingrediuntur per ianuam. Qui seipso ditant, qui festinantur temporale commodum, qui a diuina gloria abducunt, illi falsi sunt pastores. Doctrina Christi tota nos ducit ad gloriam patris prouehendam.*

Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiunt, & proprias oues uocat nominatim, et educit eas.

Ceterum quisquis intrat per ostium, quoniam nihil doli meditatur ouibus, is pastor est, & huic per ostium ingredi uolenti aperiet is qui solus ius habet aperiendi ostium. Huius uocem quoniam ueri pastorem est, agnoscunt & audiunt oues, quum ad latronis & furis uocem incognitam expauescant. Quanquam enim ouis simplex est animal, & ab alieno pendens praesidio, tamen agnoscunt uocem pastorem, unde sentiunt utilitatem, et horrent uocem luporum, unde metunt mortem. Pastor igitur per ostium ingressus in septa, non terret oues, sed agnoscitur, & uicissim agnoscit suas oues, adeo ut nominatim etiam singulas uocare norit, & illae uocatae parent uocanti. Vocantur enim ad pabulum non ad lanienam: & uocantur amica notaque uoce, non protruduntur ultrò parentes, adducit in pascua, quumque iameductae septis fuerint quibus continebantur prodeunt in liberos campos.

Et quum proprias oues emiseric, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt uocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed effugiunt ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum.

Vt non aberrerent oues, pastor ille uerus ac notus praecedit gregem suum, grex praecedentem consequitur. Non enim praecedit mutus, sed subinde uoce sua prouocat oues ad sequendum, & ab errore reuocat. Agnoscunt autem sui pastorem uocem, ad quam se dirigunt. Ceterum pastorem alieni gregis non sequuntur, sed abhorrent ac refugiunt ab ignoto, propterea quod non agnoscunt nisi proprii pastorem uocem. Hoc aenigmate dominus Iesus taxauit pharisaeos, scribas, sacerdotes, ac primores populi, qui indignabantur, quod essent multi qui mallent adherere Iesu quam ipsis qui se duces credebant populi. Porro qui sues erant aut hirci audiebant illorum uocem. Ceterum qui uerae oues doli expertes, simplices & innoxij agnoscebant uocem domini Iesu, qui uerus erat pastor,

cui pater ostiarius aperuerat ostium, ut oves sibi parentes adduceret in æternæ uitæ pascua.

B Hoc prouerbum dixit eis Iesus: illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico uobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot uenerunt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oves.

Hunc morem Christus habet, ut quæ obscurius in paræmijs præmittit, postea clarius explicet. Insinuauerat antea scribas & pharisæos non esse ueros doctores, sed cæcos cæcorum duces, & non tam pastores quàm fures, qui aliunde quàm oportet ingrediantur, suam potius quàm dei gloriam querentes. Hoc stupidi non intelligebant in se dictum, nimirum ob superbiam, & de se maiora sentientes quàm oportebat. Aperit ergo quæ tectius dixerat, ut & magis redderet attentos, & altius insideret animis auditorum, quod per similitudinem esset infirmum. Pro certissimo cõfirmo uobis, inquit, quod ego sum illud ostium, de quo loquutus sum, per quod oves ingredi & egredi oportet, si uelint incolumes esse: per hoc ingrediatur oportet qui pastoris munus uelit obire. Non enim satis est intra septa ecclesiæ quacumque uia irruisse, nõ satis est ad pastoris titulum ac dignitatem quomodocumque penetrasse. Huiusmodi quotquot fuerunt, qui per uersis rationibus irruerunt in ouile populi dei, non pascendi sed dominandi aut spoliandi animo, quoniam per me qui sum ostium ingressi non sunt, non sunt pastores, sed fures sunt, & latrones nimirum quæstus & fastus gratia, auidici & tyrannide uolenti. Sed istorum omnium uoces audierunt oves et hirci uel hirci, qui mundum hunc diligunt. Cæterum oves æternæ uitæ pascuis destinatae & Euangelici pabuli auidi, non audierunt uocem istorum, quod ueri pastores non essent, nec in eis agnoscerent uocem Euangelicam. Vox enim nõ sonabat pastorale quiddam, sed prædonis magis ac lupi. In solo Christo saluari oportet, per ipsum ingrediemur & non per alium. Qui nõ spiritu Christi loquuti sunt, id est diuino, hos prophetas non audierunt oves: qui non ad dei gloriam perduxerunt fideles, sed seipso quæsierunt, & de suo spiritu nõ sancto loquuti sunt, fures fuerunt. Iterum autem perstringuntur pharisæi, quibus unicum in uotis erat, ut magno honore haberentur apud plebem, nõ anxij quomodo populum deo conciliarent. Quidam fuere qui ausi sunt se iactare Christos, ut Herodes et Theudas Iudas, alijque qui multa milia seduxerunt. Etiam post Christum quidam ausi sunt similia, sed fures & latrones fuerunt, & perdidit alios secum. In summa, quotquot non Christi spiritu loquuti sunt, illi non fuerunt ueri prophetae, interim tamen non decipiuntur nisi qui decipi merentur, qui ueritatem non amant, qui idola cordis sui adorant, digni ut decipiantur.

Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.

Ego, inquam, sum ostium. Nõ est salutaris aditus in ecclesiam ac regnum cælorum nisi per me, siue pastor esse uelis siue ouis. Per me si quis introierit, salutem æternam assequetur, nec erit illi periculum à furibus ac latronibus, sed hoc pastore tutus ingredietur in caulas, fruiturus otio felici contemplationis, egredietur in pascua, proditurus ad officia charitatis, nec deerunt usquam pascua, sed materia ubique dabitur benefaciendi, quo simul & alijs proficit, & ipse benefactis in caulas redeat saginatio. Habetis igitur unam notam, qua possitis ouem ab hircio, uerum pastorem à falso discernere. Qui mihi non credit, & tamen se facit populi

cit populi pastorem, ab hoc cauendum est. Tum autem uox prodet qualis sit, si quæ loquitur non sapiunt dei gloriam, non populi salutem, sed propriam gloriam, sed quæstum, sed humanam astutiam, sed tyrannidem, ab hoc sibi caueant oues; fur enim est & latro, non pastor, & eo perniciosior, quod pastoris personam mentitur. Quod si uox non satis euidentis erit indicium, obserua etiã quid agat, & fructus fidei illius clare aspicias. Discimus ex omnibus Christi de se sermonibus, ipsum esse unicum saluatorem, à quo & per quem uenit quicquid salutare electis contingit. Sic quoque dati sunt Christo electi à patre, ut nequeant diuersa docentibus auscultare animo penitus insequendo, etiamsi quandoque ad tempus illos suspiciant ac errent, non tamen sine spiritus renisu id fit. Hic autem audire & sequi est sese addicere, siue Christo ad salutem, siue impostoribus ad perniciem. Quos autem pater donauit filio, hi semper in tuto uersantur.

Fur nõ uenit, nisi ut furetur & maftet & perdat. Ego uero ut uitam habeant, & abundantius habeant.

Fur non in aliud uenit nisi ut furetur, & è gregis alieni malis sibi turpe lucrum comparet. Latro non uenit nisi ut laniet ac perdat, ac in gregem cui prodesse debeat tyrannidem exerceat. Tribus igitur argumentis licebit dignoscere uerum pastorem & furem aut prædonem. Si per ostium non ingrediatur, hoc est si me non agnoscat, per quem unum salutis æternæ spes est. Si loquatur ea quæ non congruant doctrinæ diuinæ, uerbo dei, canonicæ scripturæ. Si spectet aliud quàm ad ea quæ pertinent ad dei gloriam, ad populi salutem, ad ecclesiæ profectum in fide & moribus. Horum si nihil competit in me, si pater aperuit ostium, si loquor ea quæ cum legis ac patris uoluntate consentiunt, si nusquam uenor lucrum aut gloriam meam, sed patris obtemperans uoluntati, nihil aliud sitio quàm salutem ouium, intelligite me uerum esse pastorem, et agnoscite autorem meum, uocem meam, et agnoscite studium meum. Qui se iactant esse pastores hoc agunt, ut ex uestris incommodis sua comparent commoda, quibus tunc optime est quum gregi est pessime.

Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.

Ego per ostium ingressus non in aliud ueni nisi ut oues morbide sanentur, mortuæ uiuant, & uiuæ saginentur omni uirtutum genere. Bonus pastor habetur, qui uiuit de prouentu gregis sui, qui bona fide reducit oues in septa, qui reducit in pascua, qui nihil furatur, nihil maftet. Sed longe uincit hanc integritatem pastor Euangelicus: non enim solum non spoliatur gregem uti fur, non solum non laniatur uti prædo, uerum etiam uitam suam impendit pro tuendis ouibus suis, tantum abest, ut lucri gratia lædat gregem suæ fidei commissum, aut perdat quod seruandum suscepit. Proinde cæteri, qui se pastores iactant, lupi sunt non pastores. Quod si quæritis exemplum ac specimen boni pastoris, ego sum pastor bonus, qui non solum ipse nihil uenor commodi ex malo gregis, uerum etiam mea bona gratis confero, & aduersus eos qui gregem infestant, uitam etiam meam impendo; hoc quod amicus non præstat amico præsto ouibus meis. Non potest esse uerus pastor, nisi purus ab omni cupiditate commodi priuati, nisi uitæ quoque suæ contemptor, si quando periculum ingruat gregi. Multa sunt enim quæ salutem gregis infestant. Itaque qui uerus est pastor, & cui grex ex animo curæ est, non ob aliud nisi quod amat gregem, obtemperans illi qui seruandum dedit, non spoliandum aut maftandum, is suæ quoque uitæ dispendio salutem defendit ouium.

Isaie 40. e

Ezech. 34. f

37. f

Mercenarius autem & qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, uidet lupum uenientem, & dimittit oves & fugit, & lupus rapit & dispergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus.

Contra qui mercenarius est, & sui compendij gratia gregis curam suscepit, etiam si bona fide rebus tranquillis gregem procurat, tamen si uitae ingruat periculum, hoc est si lupum uiderit irruentem, proditis ouibus suae uitae fuga consulit, gregem lupo dissipandum ac dilaniandum relinquit. Quid in causa: Nihil aliud nisi quod mercenarius est, non pastor. Charitas uera non spectat mercedem. Vbi mercedis est ratio, ibi charitas aut nulla est, aut imperfecta: et si quod praestatur officium, non praestatur ex animo ueri pastoris, fugiente conductio pastore. Quam ob rem: Quia subducta iuxta sensum humanum ratione, fatius esse ducit perire gregem alienum quam se uenire in capitis periculum. Atque hic quidem paulo melior est his, qui ipsi lupos agunt in gregem, pastores mentiti. Sunt enim qui rebus secundis satis bona fide gregis curam agunt, sed tamen ob insigne periculum gregem produnt lupo dispergendum & dilaniandum. Cogitat enim, Quid tum si pereant, mihi nihil perit, merces in tuto est, & si quid perit mercedis, hoc perire malo quam pro pecudibus alienis decertare cum lupo: reperietur alius grex cui mercede praeficiar, si hic perit suo domino. Neque enim gregis interitus discruciat animum mercenarij: ita fit ut simul & domino pereat, quod unice diligit, & grex ueniat in exitium, qui seruari poterat.

Ego sum pastor bonus, & cognosco meas, & cognoscunt me meae. Non mirum igitur si talium pastorum uocem non agnoscunt oves Euan- gelicae. Non oves in culpa sunt, sed pastorum malitia. Nec indignandum est, si quos pater attraxit me sequuntur, desertis pastoribus mercenarijs, furibus & latronibus. Sentiant enim quod ego modis omnibus sum pastor bonus, usque ad uitae dispendium. Agnosco meas oves, uelut a patre traditas, cuius omnia mea sunt, ac uicissim omnes attractae patris afflatu pastorem suum agnoscunt, diligunt, & sequuntur, nimirum intelligentes sibi non esse spem salutis, nisi pastorem sequantur, hoc est obsequantur, & obediant, & ab ipso defendantur ac pascantur. Christus ergo uerus est pastor, oves sunt suae: nihilominus electus ad pastorem curam eo seruiore sollicitus sit pro ouibus, ut plus quam pro sua salute inuigilet illarum salutem. Id mercenarius non agit, adest tantum uentris pascendi gratia, ex ministerio quaestum facit, utque magnus habeatur in populo, propriam uenatur gloriam: is non magnificat etiam si pereant oves, nihil in periculis praestat solatijs, fugit potius, non uult ob illas periclitari, Christus solus tueri potest a falsis fratribus, a lupis, a sanguinarijs, a diabolo, qui semper quaerit quem deuoret, cui proprium est dispergere. Veri pastoris officium & studium est, coadunare, sectas praecauere, unicum dei uerbum praedicare, in ecclesia una, in uno ouili, sub uno domino. Vbi non est concordia & charitas, ibi disperguntur oues. Ex uarietate doctrinarum sectae oriuntur, id fit, cum humanis traditionibus reguntur ecclesiae, non uerbo dei, ubi doctrinae proferuntur quae ex uerbo dei substantiam & fidem non inueniunt.

Exech. 37. f

Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & uocem meam audient, & fiet unum ouile & unus pastor.

Me

Me pater agnoscit sicut germanum filium suæque uoluntati per omnia obsequentem, & ego uicissim agnosco patrem, qui cupit omnes saluos fieri. Ex illius mandato uitam meam impendo saluti mearum ouium, quas mihi seruandas tradidit, nec committam, ut me pastore quicquã possit in eas hic mundus, aut huius mundi princeps diabolus. Sed ut mei sint incolumes, ipse me tradam in mortem. Hac uia lupi uires fracturus, & oues mihi parentes ex illius faucibus erepturus. Nec patris uoluntati nec meæ charitati satis est, si seruem has oues, quas ex Israelitico populo primum seruandas mihi tradidit pater, latius se porrigit mea cura. Sunt & in alijs gentibus oues dispersæ, ac luporum, furum & latronum insidijs obnoxia, nec conuiescam donec has quoque ad cõmunes causas reduxero. Et quanquam non audiunt uocem Moysis aut prophetarum, agnoscunt tamen et audiunt uocem meam, si quæ sint oues saluti destinatae. Nõ enim natio secludit à salute: quisquis audit uocẽ filij dei, qui uerus est pastor, saluus erit. Hactenus dispersus fuit dei grex ob multitudinem falsorum pastorum. Omnes salutem pollicentur, & suam quisque uocem habet, & alius aliõ uocat, interim grex destitutus, huc et illuc dispergitur, uarijsque perit modis. Verum simul atque omnes audierint me, uocem ueri pastoris agnoscunt, & ex omni terrarum plaga conuenient. Itaque fiet omnium idem ouile, nec erit pastor nisi unus. Extra hoc ouile qui fuerit, saluus esse non poterit. Hunc pastorem qui non agnouerit, in exitium ibit. Atque id ne mea culpa fiat, usque ad uitæ iacturam ago bonum pastorem. Ouile hoc ecclesia est fidelium, & ouium non luporum, uel etiã hereticorum, ne quis ex hoc dicto omnibus salutem promittere pergat. Impij uocem domini non audiunt, Ecclesiastici audiunt, quia Canonicis scripturis fidẽ præstant. Christus unicus pastor est, ille nisi pascat intus, nihil administratur foris, is unicus est magister fidelium.

Propterea me diligit pater, quia ego pono animã meam, & iterum sumam eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo.

Patri meo nihil perit, etiamsi pereant omnia condita: nullius enim eget, sed ob gratuitam charitatẽ erga genus humanum misit filium suum in mundum, ut omnibus si fieri possit salutem æternam conferat. Quoniam autem eodẽ animo sum quo pater, ideo me diligit unice, ueluti suum unigenitum filium, non mercenarium, quia mea sponte pro salute gregis paterni uitã impendo meam, tantum abest ut ex gregis malo mihi commodum uener. Summa charitas est apud homines, si quis ingruente periculo se non subducat. Ego plus præsto, qui me uolens & ultrò in mortem dedam. Sunt qui insidientur uitæ meæ, horum malitia nihil in me posset, nisi mihi decretum esset pro salute meorũ ultrò mortem oppetere. Habent isti quidem uoluntatem homicidij, non occiderẽt tamen nisi uolentem. Igitur illi non auferent mihi uitam, sed ego uolens uitam impendam ouibus meis, mea morte uitam illis redempturus æternam. Ne credite me sponte tradere meipsum in mortem, nisi uitam sponte depositam mea uirtute cum uoluerõ resumpsero. In hoc ergo laus est ueri pastoris, quod ultrò pro salute gregis mortem semet obijcit, quum in manu sit illi mortem effugere si uelit. Nulla uis est hominum, quæ mihi nolenti uitam auferret, sed ipse uolens eam impendo saluti gregis. Alij moriuntur, quum nolint, & mortui non reuiuiscunt ad uitam. Et si quisque sibi manus adferre potest, ut scelerata morte pereat, non potest

uitam semel elapsam in corpus reuocare. Ego utriusque rei potestatem habeo, & animam hanc emittendi e corpore, & eandem in hoc ipsum corpus reuocandi. Hoc si uobis uideatur incredibile, ut uolens quispiam alienam uitam sua morte redimat, sic uisum est patri meo, qui me misit in mundum, ut hac ratione procerem negotium humanæ salutis. Eius iussis uolens & gaudens obtempero, quocum mihi uoluntas est eadem, quique mihi potestatem hanc impartit, ut quod uolo possim. Adam primus per inobedientiam mortalis est factus, Christus obediens aperuit nobis portas uitæ. Et nos si portauimus imaginem Adæ primi, sequamur nunc Christum per ueram obedientiam, qui est Adam secundus. Hæc est autem obedientia, ut fiduciam habeamus in Christum. Ita licet uidere qualis sim pastor, qua ratione & quanto pretio redimam oues, ut nihil sublimius dici possit. Tale quid apud falsos prophetas non inuenietur.

Dissentio iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc uerba non sunt dæmonium habentis; nunc quid dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

Hæc quum proloquutus esset Iesus, noua, inaudita, ac longe supra uulgarem hominum sensum, rursus in populo uariatam est sententijs. Nam plerique dicebant, quod iam & ante non semel dixerat, si quando prodebat illorum secrete consilia, aut si quid humanis uiribus maius diceret faceret, Dæmoniacus est, & insanit: carent enim sensu communi quæ loquitur, quid istum iuuat audire? Rursus alij dicebant: Hæc uerba non sunt obnoxia malo dæmoni: sapiunt enim uirtutem diuinam, præsertim cum dictis astipulentur facta. Qualis est oratio, talia sunt facta. Loquitur excedentia sensum humanum, sed idem facit excedentia uirtutem humanam. Num insanus & malo dæmoni obnoxius potest aperire cæcorum oculos? Exoculari uidentem dæmonum est, sed oculos aperire cæco nato uirtutis est diuinæ. Id quum constet ab hoc esse factum, non potest eius oratio proficisci à noxio dæmone, cuius facta constat à benefico deo proficisci. Ad hanc controuersiam nihil respondit dominus Iesus, nos interrim docens, non esse semper contendendum cum improbis, & factis potius declarandum quid possimus quam uerbis, & nonnunquam malorum furori cedendum est, nec unquam oportet Euangelicæ mansuetudinis obliuisci.

1. Mach. 4. f. 2

Facta sunt autem Encænia in Hierosolymis, et hyems erat. Et ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam.

Aderat dies festus post hæc, qui præbebat nouam congregandi materiam. Eum Encæniam uocant, ob templum post sui uastationem ab Antiocho commatculatum, & altare prophanatum, denuo restaurata & dedicata, mense Calseu, die decimo, qui nostro Decembri cõcurrit, ideo hyems erat. Nec huic festo deerat Iesus, innouator legis ac noui altaris & templi, quod est ecclesia. Hyems autem adhærent, & non denique arderent Euangelica charitate. Iesus igitur iam in porticu ambulabat, quæ pars templi habebatur, & templo principali adhærebat cum alijs multis ædificijs, non aliter quam monasteriorum ambitus, & ædificia reliqua templo adhærent, ne nobis Iudæi illudant, dum audiunt alicubi Christum

Christū & Iudæos in templo disputasse, ad quod solis sacerdotibus patebat ingressus. Erant ergo multæ porticus, quarū hæc dicebatur uetusto nomine Porticus Salomonis. Inambulabat autem Euangelicę legis author Mosaica iam celsatura. Hic igitur inambulantem ne posset elabi cinxerunt Iudæi, multis illius dictis & factis irritati, nec satis inter se concordēs, quibusdam malitiose calumniantibus omnia, quibusdam ex ipsis factis ac dictis suspicientibus in eo quidam humana uirtute sublimius. Adorti sunt autem illum his uerbis: Quousq; dictis ambiguīs suspensos detines animos nostros, & hac ambiguitate populī seditionem concitas? si tu es ille Messias, quem expectamus, dic nobis palām.

Respondit eis Iesus: Loquor uobis, & non creditis; opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me, sed uos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

Dominus Iesus tametsi nō ignoraret illos animo peruerso percōtari, quod & sapius audierant, & ex factis ipsis deprehendere poterant, tamen mansuete respondet, magis erudire cupiens quā irritare. Quid opus, inquit, fuerit me de me ipso qui sim toties profiteri, præsertim quum si profitear, arrogantiam interpretemini ueri testimonium? Si mihi fidem haberetis, iam dixi qui sim; si uerbis meis nō creditis, tamen non potestis ignorare quod ex me scire cupitis. Nullum est certius argumentum quā ex factis. Videtis opera mea, quæ uobis testibus facio ex uoluntate patris mei, non dæmonij, quemadmodum quidam calumniantur. Hæc si uidentur digna deo, credite me missum ab eo. Sed uos nec factis nec dictis meis creditis, cuius rei non sum ego causa, sed uester animus insyncerus minimeq; simplex. Qui simplici sunt animo, nullaq; mundi huius malitia uitiato, credunt uerbis meis, ac uelut oues agnoscunt boni pastoris uocem, atq; ego uicissim illas, licet humiles iuxta mundū, pro meis agnosco. Vos autem ideo non agnoscitis uocem meam, quia non estis de numero ouiu mearum, quarum simplicitas docilis est, quum uos habeatis animos ambitione turbidos, odio fermentatos, liuore corruptos, auaritia infectos, uarijsq; mundi huius cupiditatibus uitiatos, quibus malis si repurgaretis animos uestros, nimis audiretis & ipsi uocem meam, nec id gratuito faceretis; primum enim uitaretis exitium, quod imminet omnibus rebellantibus aduersus dei filium; deinde uitam æternam consequeremini.

Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego uitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.

Oues meæ illæ quamlibet iuxta mundi iudicium simplices & idiotæ in exitium abeuntibus his qui magni felicesq; habentur in mundo, dū me pastorem agnoscunt, dumq; me ducem sequuntur, ex mea munificentia uitā consequuntur æternam. Oues sunt simplices, innoxie, imbelles, omnibus huius mundi præsidij destitutæ, in has mundus omnibus suis machinis ac uiribus insurget. Sed nulla futura est tanta satanæ potestas, ut eas rapiat de manibus meis. Mundus habet pharisæorum auctoritatem, sacerdotum dignitatem, habet reges armatos, præfectos, iudices, tribunalia, carceres, catenas, uirgas, secures, aculeos, exilia, mortes, & quicquid terrorem constantibus etiā animis solet immittere; habet ex aduerso opes, uoluptates, honores, dignitates, & quicquid animos potest quamlibet incorruptos corrumpere. His omnibus machinis utitur mundus, ut extorqueat oues meas de manibus meis, sed me protegente nemo

poterit eas mihi subducere. Quod mundus molietur cedit in bonum ouium, & in gloriã patris mei. Non rebellabimus armis, non uenenis, non regeremus conuitia, sed absq; præsijs huiusmodi nouo genere uincemus tamen. Ordo profectuum in Christi ouibus hic docetur. Audiūt primo uocē, & præcipuum donorum accipiunt credere audireq; uocem Christi; inde deo placere incipiūt, ut iustificentur, & habeantur inter oues Christi, sic agnoscuntur à pastore propria, ut fiat fœdus inter pastorem & oues, ut illis beneficiat. Gratia fidem subsequitur, & aderunt statim opera: non illæ oues torpescunt, sed sequuntur pastorem, fides nimirum operabitur per charitatem ad Christi exemplum, modis omnibus conabuntur referre. Vbi quoq; anima iustificata fuerit, iam caro incipit esse immortalis per Christum, cuius spiritum suscepit, quia resurget die nouissimo.

F Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus.

Vnum illud præsidium quod mihi ad tuendas oues meas dedit pater, maius ac potentius est omnibus quibus mūdus coarctetur contra me ac meos. Nec me destituet pater, nec ego meas oues deserā. Quod est in manibus meis, idem est in manibus patris mei. Quoniam autem nulla potestas mundi tanta est, quæ possit quicquam ex manibus illius extorquere, qui nutu potest omnia: nec de meis manibus ullas res euellere poterit, quod ille seruandum tradiderit. Inter patrem & me est absolutum potestatis consortium, & eadē uoluntas. Est enim eadem potentia patris & filij, utriq; eadem natura. Habere autem immensam potentiam & illam communem cum patre & uoluntatem immensam, secum affert ut Christus dominus etiam uerus deus sit, quia hoc solius dei proprium est. Vnde cōtra Arrianos et alios Christi hostes hæc dicta sunt, qui diuinitatem eius conantur perdere. Non dicit autem unus sumus, non est una persona, sed se dixeris personam unam, utraq; sustuleris, ut nec patrem habeas nec filium. Ut ergo de manu patris nemo potest electos rapere, ita neq; de manu Christi. Dum igitur semper perseverant in manu Christi saluatrice, perire nunquā possunt, necesseq; est eas habere uitam æternam.

Sustulerunt ergo lapides Iudæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo, propter quod corum opus me lapidatis?

Irritati his dictis Iudæi, non ferentes quod toties haberet in ore patrē suum, cuius præsidio tanta polliceretur, sustulerunt rursus lapides, ut lapidarent Iesum. Nemo tamen impetijt illum, quod nondum uenisset tempus quo decreuerat extrema pati pro salute generis humani, sed placidis uerbis illorū furorem corrigere tentat. In publicos maleficos, inquit, populī manus lapidibus ad uisionem solent armari: ego tantum beneficiorum contuli in uos ex benignitate patris mei, docui errantes, consolatus sum afflictos, paui famelicos, mancos restitui, leprosos mundauī, ægrotos sanauī, dæmoniacos liberaui, paralyticos & contractos erexi, febres depulī, omne morborum ac malorum genus profligauī, mortuos in uitam reuocaui, totaq; mea potestas et authoritas quam mihi tradidit pater, iuuandis uobis impensa est, & impensa est gratis. In his omnibus, quodnam est illud quod uos dignum arbitramini lapidatione? Si lapidatur beneficus, quid fiet scelerosis & maleficis?

Respon-

Responderunt ei iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis teipsum deum.

Iudæi tandem huc prouocati, ut uel crimen proferrēt, uel amentiam suam agnoscerent, ne nihil pretexterent suæ uesaniæ, Non, inquit, ob benefacta solemus quenquā lapidare, sed te lapidatione dignum existimamus, ob omnium immanissimum scelus blasphemiam, atq; hac in re legis autoritatē sequimur, quæ iussit huiusmodi faxis obrui. Quis enim diutius ferat, quod tu cum sis homo, facis teipsum deum, subinde patrem tuum deum habens in ore, quasi nos omnes filij dei non simus, tuq; uana quadam ac peculiari ratione sis dei filius, ut tibi cum patre sit rerum omnium consortium? An non hoc est diuinitatem quandam arrogare? Cæterum cum unus sit deus, quisquis hominū diuinæ potestatis consortium sibi arrogat, erga dei maiestatem iniurius est ac rebellis.

Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege uestra: Quia ego dixi dij estis: Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & nō potest solui scriptura, quem pater sanctificauit & misit in mundum, uos dicitis, Quia blasphemias, quia dixi, filius dei sum? G
Psal. 81. b

Ad hoc crimen intentatum ea temperatura respōdet dominus Iesus, ut blasphemiam culpam procul ab se depelleret, deinde ut illorum insaniam uerbis atrocioribus non amplius irritaret; et tamen sibi summa cum modestia uendicaret, quod negare non debuit, quia nobis non ignotum esse uoluit. Vos, inquit, mihi blasphemie crimen impingitis, quod deum patrem meum appellem. Nonne scriptum est maius quiddam in lege uestra, nimirum in Psalmis: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes: Si deus ipse dignitatem sui nominis impartijt is, ad quos sermo dei factus, non solum illos filios dei appellans, sed deos, non laesa tamen unius dei maiestate, nec falsum esse potest, quod in diuinis literis proditum est: quomodo mihi blasphemiam crimen intenditis, quod me, quem pater unice sanctificauit, ac misit in mundum, ut per filium omnes sanctitatem assequerentur, dixerim filium dei? Si dei colloquiū cum hominibus ex hominibus facit deos ac filios dei, non ferendum uidetur, si me dixerō filium dei: qui cum ipse sermo dei, quicq; apud illum fui, antequam uenirem in mundum, qui cum illo rerum omnium habeo consortium? Modestū est quod uerbis arrogo, nimirum quod & in alios plurimos suo modo cōpetit ex autoritate scripturæ. Argumentum ergo domini huiusmodi est: Scriptura quæ solui, id est falsa esse non potest uocat deos ad quos uerbum dei factum est, id est quibus cōmissa est potestas, demanda tūq; munus imperandi alijs: quanto rectius ergo ego me deum & filium dei uoco, quæ pater sanctificauit, hoc est diuina & saluatrice omnium potestate donauit, in mundum saluatorem misit, & omnibus adorandū propobulo dei etiam malos: & uos me in quo longe preclarius diuinitatem uidetis dicitis blasphemare, quod filium dixi me dei, unumq; esse cum patre et proditum eadem potestate?

Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non uultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quia in me est pater, & ego in patre.

Ex ipsis factis meis magis conuenit æstimare quid tituli mihi debeatur. Si quæ facio non uidentur esse homine maiora, si non diuinæ uirtutis specimē habent, nolite credere quod sim filius dei, quod eadē mihi potestas per omnia con-

ueniat. Quod si uideris deum patrem in me proferentem uirtutē suam, si dictis meis fidem habere non uultis, certe factis ipsis quæ uideris oculis credite, & arrogans habear, nisi longe plus factis præsto quàm mihi uerbis sumo. Ea si synce-
ris animis perpenderit, fiet ut uerbis quoque meis fidem habeatis, non amplius dubitaturi, quin pater in me sit, & ego in patre, quod uterque alteri indiuidua lo-
cietate cohereat, dum ille per me quicquid uult operatur. Et ego ab illius exem-
plo iussuque nusquam recedo, ut qui mihi credit, illi credat: qui mihi repugnat, il-
li repugnet. Ego, inquit, sum in patre. Recte accipimus utranque naturam, non
quod humana natura sit in patre, sed per diuinam naturam etiam dicitur huma-
na uerbo unita esse in patre. Ita Christus & filius dei est in nobis, & nos sumus
in filio dei. Certum diuinam naturam non esse humanam, sed sicut ipse in pa-
tre per naturam, sic nos in illo per gratiam, imò & natura nostra per Christi na-
turam humanam est in patre. Diuina natura aliquo modo est in nobis, si comu-
nicetur aliquid de spiritu sancto nobis. Dicit igitur: Credendum omnibus mo-
dis, me esse in patre, id est unam & eandem esse patris & meam potestatem & na-
& deus uocor & sum, etiam ut homo, taceo quod uerbum patris sum, idemque
cum patre uerus deus. Multoque nunc uideris sublimius patrem in me omnia agere,
& in illo me esse totum, perque eum uiuere, & cuncta facere.

Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum.
Et abiit iterum trans Iordanem in eum locum ubi erat Ioannes bapti-
zans primum, & mansit illic.

His auditis Iudæi sermonibus, unde corrigi debuerant, irritiores effecti,
conati sunt illi manus iniicere, perfecturi quod iam sapius frustra tentarant. Sed
Iesus ut ostenderet multis modis se uolentem passurum, ubi tempus adesset, ea
lapsus est e manibus eorum. Iesus igitur quum satis illic docuisset, cessit ad tem-
pus malorum immedicabili uesaniæ, ac rursus transmissio Iordane rediit ad Ior-
danem, ubi primum coeperat baptizare. Nam quemadmodum diximus
post mutato loco baptizauit apud aquas Sichem. Hic igitur commoratus est Ie-
sus in deserto, uelut perosus ciuitatum impietatem. Quoties Christus uenit Ie-
rusalem & docuit, toties ingratos illos inuenit phariseos, sed & ad occidendum
paratos. Vnde iusta causa conuertit se ad alios populos. Erat autem figura re-
rum, quæ postea euentura erant. Nam Iudæa excæcanda erat, populus Gentium
illuminandus. Et quia Iudæi fructum nullum faciebant, conuertit se ad Gentes,
quia nondum uenerat hora mortis Christi, quam sibi delegerat secundum scri-
pturas, ut esset agnus in paschate immolatus. Docuit quoque hoc factum, ut si glo-
ria dei nostra fuga magis poterit promoueri, multo satius est fugere quàm in-
tempestiuo more & absque fructu manere & perire. Absint fallaces suggestiones
falsi pectoris, ne prætexamus gloriam dei præ timore. Christianus uerus edo-
ctus à spiritu fugam non meditatur: sin uero gloriam dei putat magis posse pro-
moueri, non temere periclitabitur.

Et multi uenerunt ad eum, & dicebant: Quia Ioannes quidem signum
fecit nullum. Omnia autem quæcunque dixit Ioannes de hoc, uera erant.
Et multi crediderunt in eum.

Confluxerunt ad illum multi e finitimis locis, quorum animos fama Iesu ser-
mones auditi & miracula conspecta accenderant. Atque hos quidem protinus
ipse locus comouit, ut Iesum qui iam sui specimē dederat, cum Ioanne, quem
prius

prius nouerant, conferrent. Quumq; meminissent Ioannē fuisse in summa auctoritate, nec aliud tamen q̄ predicasse baptismum pœnitentię, & nullis æditis miraculis tantam opinionem sibi cōciliasse apud multitudinē, ut Christus esse crederetur. Cōtra Iesum tot proditis miraculis declarasse potentiā humanis maiorem uiribus, toties prudētibus & efficacibus responsis os obturasse scribis & pharisæis. Postremo Ioannem ipsum toties tam magnifice testificatum fuisse de Iesu, palām confitēs quod ipse non esset dignus, qui calciamenti illius corrigiā solueret, dicebant inter sese: Ioanni cum nullum ædiderit miraculum fides à Iudæis habita est. Huic igitur multo magis fides habenda est, qui tot prodigijs admirandis fidem suis dictis cōciliat. Et si parum antehac creditum est Ioannis de hoc testimonio, tamen nunc res ipsa declarat, uerum fuisse testimonium illius, cum plura præstet q̄ ille de eo sit pollicitus. Itaq; partim ob testimonium Ioannis, cui non leuis erat apud Iudæos auctoritas, partim ob sermones diuinę sapientię plenos, partim ob facta diuinam uirtutē testantia, multi crediderūt Iesum esse Messiam, pharisæis scribis & sacerdotibus in sua malitiā persistentibus.

CAPVT XI.

Mrat autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello A Marię & Marthę sororum eius. Maria autem erat quę unxit dominum unguento, & exterfit pedes eius capillis suis, cuius frater Lazarus infirmabatur.

Mox offert occasio, per quā maxime redderet illustris Christi patrisq; gloria, simul & ad homicidium irritaretur pharisæorū malitiā. Siquidē dum apud Iordanem cōmoratur Iesus, accidit ut in oppidulo Bethania morbo decumberet quidam nomine Lazarus. Hęc erat patria simul & eius qui morbo tenebatur, & duarum sororum, Marię & Marthę. Porro Maria erat illa quę insigni amoris erga Iesum testimonio postea, ut diceb, unxit caput illius in conuiuio accubentis pretioso unguento, & capillis exterfit pedes domini. Vnde cum hac familiaria singularis quædam amicitia intercedebat domino Iesu. Per allegoriā hic faciunt ex duabus sororibus duplicem uitam, quę sit in ecclesia, cum pœnitentię statu significando per Lazarum. Contemplatiuam dicunt & practicam, quę tamen ita nobis commēdantur, ut nullus illas seiungere debeat, necesse est ut utraq; quisq; complectatur fidelium. Quę enim esset illa mentis illustratio & fidei beatitudo, quę nunq; operaretur per charitatē? Vnde uicissim hi qui sunt in ecclesia, nunc uacāt contemplationi ut instituantur diuinis, deinde etiā dedant sese operibus proximo seruiētes. Vtriq; tamen peccatores sese agnoscūt, & pœnitentię studium non obmittentes, quod nemo uiuat absq; peccato.

Miserūt ergo sorores eius ad eū, dicentes: Domine, ecce quę amas, infirmatur. Audiens autē Iesus, dixit eis: Infirmitas hęc non est ad mortem, sed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam.

Quum Lazarus graui morbo periclitaretur, sorores fretę familiaritate quę fuerat ipsis cum Iesu, mittunt ad illum, qui nuncient amici morbum, non dubitantes quin pro sua mirifica in omnes humanitate amico periclitanti succurreret. Ecce, inquit, ille quę amas ægrotat. Satis enim putabāt nunciasse amanti, proinde nihil apprecantur. Quibus respondit Iesus: Morbus iste non est capitalis, sed ideo permissus est accidere, ut per eius occasionē illustretur gloria dei, et huius uirtute depulso malo mutua gloria glorificetur filius dei. Fideles omnes eo sint præditi ingenio, ut studeant proximorū calamitati condolere, pro uirili

succurrere, intercedere orando, ut si quis infirmetur, etiã ipsi infirmetur. Sunt autem preces piorũ pro nuncijs ad domini misericordiã implorandam. Aberat Christus corpore, aderat nihilominus charitate & prouidentia, non ignorans interim quomodo illi esset succurrendũ. Affectũ Christus non alienat ab ecclesia, etiamsi longe abesse uideatur. Sciebat Christus quid esset factururus. Suam diuinitatem commendat interim, quod antea præsciebat futurum. Sic Lazarus moritur ad gloriam dei, quia per Christum dei filium resuscitandus potestate diuina, sicq; populum ad unius dei agnitionem uocaturus.

Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. Ut ergo audiuit quia infirmabatur, tũc quidem mansit in eodem loco duobus diebus, deinde post hæc dicit discipulis suis: Eamus in Iudæam iterum.

Amabat quidem, sed passus est Lazarum mori, & sorores anxari, ne nobis indignum uideatur, si quando boni ueracq; pietatis cultores, huius mundi calamitatibus affliguntur, deo ueluti dissimulante, uel quia sic expedit ipsis qui patiuntur, uel quia sic conducit ad illustrandam dei gloriam. Non quod deus humanis malis procuret suam gloriam, sed quod mala quæ nobis iuxta conditionem humanæ legem casuue obueniunt, uel in nostram salutem uel in suam gloriam hominum causa uertere soleat. Non ignorabat morbum amici sui, etiam priusquã nunciaretur, sed ad miraculi futuri magnitudinem discipulorum animos expediebat preparari. Postq; igitur renunciatum est Iesu de morbo amici, non statim profectus est, sed eodẽ in loco biduũ adhuc est cõmoratus: haud quidem negligens amici periculum, sed expectans copiosius argumentum ædendi miraculi, quo simul ipse paulò post moriturus discipulorum adhuc imbecillium animos ad spem resurrectionis erigeret. Discipulis autem metu tacetibus quod nuper elapsus è manibus Iudæorum, in deserto tutior esse uideretur, Iesus ait illis: Eamus rursus in Iudæam. Iam secundum mandatum patris redempturus humanum genus, sumit animum redeundi in Iudæam, quam uis illi indigni erant qui toties repulerant gratiam. Dat exemplum iterum benefaciendi inimicis nostris, & per omnia inferuendi diuinis præceptis. Deliberat autem cum discipulis, sed ipse certus quid esset factururus uoluit pertentare animos eorum, & redarguere, & aliquo modo miraculum insinuare quod factururus erat.

Dicunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum uadis illuc? Respondit Iesus: Nonne duodecim horæ sunt diei: Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi uidet: Si autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non est in eo.

Audito nomine Iudææ, discipuli memores quàm esset atrox pharisæorum in illum odium, & quoties sustulissent in illum lapides, quoties conati fuissent illi manus injicere, non solum domino metuũt, uerum etiam sibi. Nondũ enim acceperant spiritum sanctum, & Iesum humano quodam affectu prosequuntur. Ipsi quoq; ob imbecillitatem à morte abhorrentes, dehortantur à repetenda Iudæa, & dicũt: Domine, num excidit tibi, quod ante paucos dies illic Iudæi lapidaturi te fuerant, nisi te subduxisses? et rursus eò proficisceris, manifesto periculo temet obijciens? Iesus autem ænigmate formidinem illorũ consolatus est, significans nihil esse metuendum his, qui Christo adherent, qui lux est mundi. Nox enim habet formidines, dies nescit huiusmodi terrores. Nonne dies, inquit, habet horas duodecim? Non ueniet nox ante tempus suum. Interim quisquis ambulauerit

ambulauerit in die, non impingit, siquidem prestat hoc illi sol conspectus, ut uideat uitetque offendicula: cæterum quisquis sublato sole ambulat in nocte, impingit, eo quod luce careat. Ego sum lux mundi, meum ductum sequi uos par est, non præire luci. Nolite metuere ante tempus, quamdiu uobis luceo nihil est periculi: ueniet nox, quando à me semoti conturbabimini.

Hæc ait, & post hæc dicit eis: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut è somno excitem eum. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. Dixerat autem dominus de morte eius, illi autem putauerunt, quia de dormitione somni diceret.

Hoc sermone Iesus mitigata apostolorum formidine, causam aperit professionis. Lazarus, inquit, amicus noster dormit &c. Discipuli metu perturbati, quum suspicarentur dominum non de morte sed de somno uulgari loqui, respondent: Domine, si dormit, non est cur eò te conferas: nam in ægrotis somnus esse solet rediturae sanitatis argumentum. Abhorrebant discipuli à repetenda Iudæa, & idcirco professionis causas quantum possunt refecant. Iesus autem paulatim præparabat animos suorum ad miraculi futuri contemplationem. Nam primum ideo dormientem quam mortuum maluit dicere, ut iuxta sacrae scripturae consuetudinem ostenderet spem resurrectionis. Dormiunt enim uerius quam mortui sunt, qui reuicturi quiescunt. Neque nostrum cuique tam facile est excitare dormientem, quam facile erat domino ad uitam reuocare mortuum.

Tunc ergo Iesus dixit eis manifeste: Lazarus mortuus est, et gaudeo propter uos ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum.

Discipulis non intelligentibus quod de somno & expergefaciendo dixit, ut cognoscerent nihil rerum occultarum ipsum latere, aptius ait: Lazarus mortuus est, nec addidit quod iam dictum magnificentius erat de excitando. Nam id significatum esse maluit quam explicatum, & præstare maluit quam promittere, ut his nobis parans exemplum modestiæ. Quoniam autem responderat iis qui morbum amici nunciarant, non esse letalem, sed in hoc accidisse, ut per eum illustraretur gloria dei & filij ipsius, simile quiddam indicat discipulis: Gaudeo, inquiens, quod illuc non adfuerim, dum amicus egrotat & moritur, idque uestra causa, ut uestra fiducia, quam adhuc imbecillam uideo, confirmetur euidentiore miraculo. Etenim si me præsentem conualuisset ægrotus, poterat casus uideri, si recens defunctum interpellantibus sororibus excitassem. Pharisei qui nihil non calumniantur causari poterant stuporem fuisse non mortem. Nam id accidit aliquoties in morbis nonnullis, ut corpora multis horis cõsopita reuiuiscant. Nunc cum mors sit certa, copiosius erit argumentum credulitatis. Eamus igitur ad illum. Non placebat discipulis profectio propter metum Iudæorum, qui penitus inhebebat animis illorum, & tamen itineris causam piam & grauem refellere non poterant. Quamquam autem Iesus non ignarus quid turbaret animos discipulorum, mentem etiam discipulorum hoc argumento lenierat, quod diceret se Bethaniam ire, non Hierosolymam, tamè imbecilles terrebat etiã loci formidati uiciniam. Gaudium Christi est si proficiamus in fide: quanto enim magis profecerimus, tanto magis pater per nos glorificatur. Obseruandum quoque, quod Christus in natura sua humana proprietates humanæ naturæ cõseruat, quamuis iuxta deitatem sit ubique. Deitas imensa est, omnia implens. Iuxta humanitatem Christus localis est: nam loco circumseribi, et habere naturalem situm membrorum, proprium est corporibus. Ita Augustinus: Si locum abstuleris, iam ueritatem corporis abstulisti. Vnde quod corpus Christi,

humanum equidem, varijs in locis simul esse dicunt, illi naturas confundunt in Christo, & prorsus tollunt naturale uerum & humanum corpus. Cauendum omnibus modis nobis est, ne pro uero corpore faciamus corpus phantasticum, ut illi faciunt; id est, cum sim hoc in loco, ne dicas me esse simul in alio. Si in coelo, non in terra iuxta uerum naturale & humanum corpus. Et si iuxta diuinitatem sit ubique Christus dominus & uniuersorum saluator ac rex aeternus ac uniuersalis.

Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad cōdiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo. Venit itaq; Iesus, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis uenerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.

Solicitis igitur ac moestis discipulis, nec audentibus tamen detrectare domini iussum, Thomas qui Græcis dicitur Didymus, Latine Geminus, cæteris imbecillior, ait ad cōdiscipulos: Eamus & nos, si ita certum est, ut moriamur cum illo, quandoquidem illi hæc sedet sententia, sese suosq; in manifestum uitæ periculum adducere, cum liceat utrorumq; incolumitati cōsulere. Profectus est igitur cum discipulis suis Iesus in Bethaniam, ac reperit Lazarum quadriduo iam sepultum. Aberat autē Bethania ab Hierosolymis stadijs plus minus quindecim. Atq; hinc discipulis illa formido, atq; hinc etiam occasio, quæ fecit ut miraculum plures haberet testes ac spectatores. Siquidē ob loci uiciniam complures eō confluerant ex Hierosolymis, nimirum officij gratia, ut Mariam & Martham consolarentur de fratris decessu. Quod officij genus diuitibus etiam honoris gratia præstari cōsuevit. Sciamus & nos opus illud misericordiae deo non displicere, si quis ex fratribus doleat, lugeat, & moestus sit, ut ab alio subleuetur. Non sumus ferrei, non caremus affectionibus, neq; saxei sumus, sed carnales, sed humani. Non sunt tamen æquales affectus in omnibus. Conandum est tamen homini propter amplitudinem spei, horrorem muliebrem compescere. Ad claritatem miraculi describitur locus, tempus, spectatores, & modus resuscitandi diligentissime. Resuscitare quarto die indicat hominem perfecte mortuum, de quo nulla spes uitæ est.

Martha ergo ut audiuit quia Iesus uenit, occurrit illi: Maria autē domi sedebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed & nunc scio quia quaecumq; poposceris à deo, dabit tibi deus.

Martha quæ sedulitate quadam obambulabat, ubi rescisset ex quopiam aduentare Iesum, statim non admonita sorore prodijt obuiam illi. Maria domi ne scia aduentus illius sese continebat & dolebat, querelis instans. Martha igitur ubi uenisset in conspectū Iesu, nonnulla bona spe de fratre ad uitam reuocando cōcepta flebili uoce dicit illi: Domine, nisi hinc abfuisses, frater meus non esset mortuus; nam facile morbum dicto depulisses. Quanquam ne nunc quidem res est omnino extra spem. Scio enim quod quicquid à deo poposceris, nihil tibi sit negaturus, etiam si mortuo sepultoq; uitam poposceris. Hæc à Martha dicta sunt, nec desperante nec prorsus tamen fidenti animo. Absentem Christum credere debebat similiter posse succurrere indigenti ut presentē (id quod Cœturio credebat) sed tamē Christū credebat amicū dei, cuius precibus quicquid petierit, deus concedat, ut Helias & Moses & Samuel non frustrati sunt. Dicit

Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die.

Dominus Iesus ut illius fiduciam confirmaret, ait: Bono animo esto, reuiuifcet frater tuus. Nec hæc promissio satis erat animo Martha, quæ quod misere speraret fratrem reuicturum, non potuit non timere. Videbatur autem, ne quemadmodum nuncijs respondens morbum non esse capitalem, ambiguo responso fefellerat, ita nunc quoque lateret aliquid in illius dictis, quod spem ipsius eluderet. Scio, inquit, quod reuicturus sit frater meus, sed in nouissimo die, cum resurgemus omnes. Nam hanc resurrectionem futuram credebant Iudæi fideles omnes, præter solos hæreticos Sadducæos: quin & Gentium sapientiores et pijs hunc articulum semper habuerunt pro indubitato, ut patet de Iob & amicis ipsius, ut probatione non eguerit, tam generaliter creditus à non tantum pijs.

Dicit ei Iesus: Ego sum resurrectio & uita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtique domine: ego credidi quia tu es Christus filius dei uiui, qui in hunc mundum uenisti. D

Dominus Iesus quo mulieris de se fiduciam & opinionem paulatim ad maiora prouehat, seque declarat eum esse, qui non solum à deo possit precibus impetrare uitam mortuo, quod & ab alijs sanctis uiris factum legebatur, sed ipsum esse fontem simul & authorem omnibus uitæ & datæ & reddendæ, nec ullam mortem metuendam ijs, qui fiduciam & spem in illum collocassent, propterea, quod etiamsi mors accideret, nihil posset lædere fonti omnis uitæ adhaerentem, Martha respondet hunc in modum: Credis Martha, quod precibus meis impetrare possim à patre meo uitam mortuo fratri tuo: credis quod frater tuus reuicturus sit cum ceteris in nouissimo die. Verum hoc quoque debes credere, qui resurgent in nouissimo die per me reuicturos, nec quenquam omnino uiuere, nisi dono meo, neque quenquam reuiuifcere, nisi per me, non solum iuxta mortem corporis, quæ non magnopere formidanda est, sed iuxta mortem animæ, quæ maxime metuenda est. Ego enim sum ipse resurrectionis & uitæ fons: qui mihi per fidem adhæserit, etiamsi corpore fuerit mortuus, tamē uiuet. Nec hoc de fratre tuo tantum dictum accipe, sed quisquis omnino mortalium fiduciam habuerit in me, non morietur in æternum, etiamsi corpus ad tempus exanime conuiescat. Martha, credisne quod dico? Martha iam tota intenta fratri reuicturo, non admodum apte respondit ad sermonem Iesu, sed tamen in genere professa est quàm magnifice de illo sentiret. Credo, inquit, domine. Ego credo te Messiam esse illum filium dei uiui, qui promissus à prophetis, ac multis iam sæculis expectatus ueneris in mundum.

Et cum hæc dixisset, abiit & uocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & uocat te. Illa ut audiuit, surrexit cito, et uenit ad eum: nondum enim uenerat Iesus in castellum, sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei Martha.

His dictis Martha iussa à domino redire domum, ac Mariam sororem accersere, iam luctu sedato, iam alacris ac plena bonæ spei relicto Iesu domum properat, ac sororem è turba circumsedentium clam seuocat, eique clanculum remissam insufurrat in aurem, Magister, inquit, adest, & accersit te. Illa simul

atq; cognouit aduenire Iesum, & sororem uideret alacriorem, concepit & ipsa nonnihil bonæ spei, tametsi iam sero uideretur uenire Iesus, quem ideo non interpellarant per nuncium sapius, quod satis esse iudicarent, si periculum amici ei nosceret, cetera illius arbitrio permittentes. Maria itaq; nō temere esse rata q̄ adueniret, absq; mora surrexit, occursura priusquā ingrederetur domum: sic enim expectabat ad miraculi prodendi dispensationem. Expediebat enim adesse multos pharisæos, qui quanquam officij gratia uisissent Mariam ob priuatam amicitiam, tamen oderant Iesum. Hi uidelicet nō comitati fuissent Mariam, si cognouissent illam obuiam ire Iesu. Fidei conditiones discimus in homine. Is non contentus causa suæ salutis, sed etiam cæteros cupit participes facere sui gaudij, & annunciare quanta bona de Christo expectet: id quod in multis alijs locis licet animaduertere per Euangelistam. Quod statim surgēs uenit ad Christum, ostendit fideles nō multas necere moras uocatos à Christo, sed protinus ubi pulsauerit spiritus eorum corda, surgunt ac sequuntur.

Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum uidissent Mariam quia cito surrexit & exijt, sequuti sunt eam, dicentes, Quia uadit ad monumentum ut ploret ibi.

Suspiciabantur quod erumpente ui doloris iret ad monumentum, atq; ibi lachrymis fatiaret animi mœrorē. Volebat Christus miraculum celebrari, propterea uocari iussit Mariam. Amici spectatores & etiam inimici adhibētur tanto miraculo. Manferat nimirum in loco uel docens uel aliud quid agēs, & non longe aberat sepulchrum, ut commodum fuerit subsistere ibidem. Videntes cito surgentem Iudæi foeminam, putabant consolandam, nihil minus putantes quam Christum suscitaturum Lazarum, iam in quintum diem mortuum, & in sepulchro quadriduanum.

Maria ergo cum uenisset ubi erat Iesus, uidens eum, cecidit ad pedes eius, & dixit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

Maria celeriter progressa reperit Iesum nondum ingressum oppidi mœnia, sed eo loco commorantem, ubi dudū occurrerat illi Martha: illic enim Mariam quam accersi iusserat, operiebatur. Locum deligēs ædendo miraculo idoneum, quod illinc haudprocul abesset monumentum, sicut tum mos erat, & omnibus ueteribus iuxta uias publicas & non intra mœnia defunctorū monumenta ponere. Aliud autem interim consuluit auaritia monachorū & sacerdotum, quæstus quoq; purgatorij excogitati, & parentalium ceremonie apud Christianos posterioris æui. Huc ubi uenisset Maria, simul atq; Iesum cōspicata est, ut erat luctus plena, accidēs ad pedes Iesu, lachrymabili uoce dixit idem quod dixerat soror, Domine, si in tempore adfuisses, frater meus non fuisset mortuus, & hoc miserabili luctu careremus. Vbi similiter uidet Maria sensisse Christum absentem non æque potuisse Lazarum à morte præseruare, quemadmodum si præsens fuisset. Quamuis plus honoris impenderit procidendo ad pedes & adorando, sed tamen nihil tale expectabat, quod esset resuscitaturus Lazarum fratrem.

Iesus ergo ut uidit eam plorantem & Iudæos qui uenerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, & turbauit semetipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, ueni & uide.

Iesus uidens Mariam totam in luctu esse, Iudæos item qui illam comitabantur unā flentes, non philosophatur cum ea quemadmodum fecerat cum sorore Martha,

Martha, cui semota turba fuerat colloquutus, neque quicquam pollicetur, quum iam locus ac tempus adesset re prestandi quod erat Martha pollicitus. Primum infremuit spiritu, ac semetipsum turbauit, uidelicet humanæ naturæ ueritatem præ se ferens, mox diuinæ uirtutis indicium prolaturus. Non erant affectus furcati, quod animo inhorruit, quod turbatus est, sed hoc intererat, quod hos affectus in sese recepit, non ex infirmitate naturæ, sed ex rationis arbitrio. Nec eadem erat ceterorum flentium ac Iesu turbati ratio. Illi humano quodam affectu mortem corporis deplorabant, Iesus magis indignabatur peccatis hominum, per quæ tam multæ perirent animæ. Turbatur ob inuincibilem Iudæorum incredulitatem, qui corporis mortem flebant in amico, cum ipsi secundum animam æternæ morti essent obnoxij, nec deplorarent seipsos. Ab hac morte curabat Iesus omnes homines reuiuiscere, & indignabatur in multis perituram doctrinam, miracula, & mortem suam. Postquam igitur horrore spiritus & animi perturbatione, uultu, oculis, totoque corporis habitu manifestum specimen dedisset humanæ naturæ, simul interim docens, non oportere huiusmodi affectibus succumbere, atque ab his quæ uirtutis sunt auocari, cohibita animi perturbatione, dixit: Vbi posuistis eum? non quod ignoraret, sed ut à miraculo secluderet omnem suspicionem fuci. Respondent cognati: Domine, ueni & uide. Non quomodo locatus fuerit, sed ut uideat sepulchrum, ut honeste corpus sepeliatur. Vna amicorum consolatio præsertim Iudæorum, qui religiosissime corpora sepeliabant, unde domino ostendunt sepulchrum, Quasi dicant: Honestè curauimus sepeliri, in hac re nihil est neglectum. Nondum tamen audent petere à domino, ut fratrem resuscitet.

Et lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci nati, facere ut hic non moreretur?

Non procul aberat monumentum, iamque uelut ad sepulchrum commensuratum renouato dolore lachrymatus est Iesus. Fremitus & conturbatio præcesserat, indicium doloris in animum irrupentis. Lachrymæ iam animi uulnerati uictique ueluti sanguis est. Sed hæ lachrymæ non ab animo uicto proficiunt. Non enim Lazaro mortuo impendebantur, sed nobis, ut illum credemus uerum hominem fuisse, simulque disceremus quam miseranda, quam deploranda sit mors animæ, quam tamen homines perinde nec horrent nec deplorant. Iudæi uero credentes Iesum non ob aliud sic affici quam ob mortem amici, quo cum habuerat consuetudinem, Ecce, inquiunt, quam unice dilexit Lazarum, quoniam sic flet mortuum, quum illi tamen sanguine iunctus non sit. Erant autem qui hoc quoque uerterent in calumniam, quod lachrymis testaretur amorem non uulgarem erga Lazarum, dicentes: Nonne hic nuper aperuit oculos cæci mendici, quo cum nihil erat illi familiaritatis? Cur igitur non effecit, ne tantus amicus moreretur? Si noluit, cur nunc lachrymis testatur intempertium amorem? Si non potuit id quod facilius est, quomodo præstaret id quod est difficilius? Aegrotum sæpenumero medicus in uita retinet, cæco nato nullus unquam aperuit oculos.

Iesus ergo rursus fremens in semetipso uenit ad monumentum: erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem.

Dominus Iesus iam uicinus monumento, quo planè doceret horrendum esse

statum hominis iam in peccatis inueterati, quantaq; pœnitundine quot lachry-
 mis sit opus, ut per dei misericordiam resipiscat ad uitam innocentie, rursus in-
 fremuit, ac semetipsum turbauit, in se uidelicet exprimēs imaginem rei, quam
 in nobis oportet exhiberi, si uelimus à malis quibus diu assueuimus resipisce-
 re. Iam itaq; uentum est ad monumentum. Erat autem spelunca cuius os saxo
 imposito erat oclusum, & hoc ad miraculi fidem, ac præstigij suspicionem ex-
 cludedam faciebat. Quæ quo certior etiam redderetur, si res non ipsius aut di-
 scipulorum sed cognatorum manibus perageretur, in quos non cadebat ulla
 præstigij superstitio, Iesus ad cognatos conuersus, Tollite, inquit, lapidem. Om-
 nia uult esse conspicua spectatoribus, ne aliqua fraus putetur inesse miracu-
 lo. Cæterum scimus nos esse sepultos in peccatis, & grauem lapidem nobis su-
 perimpositum. Non lapis grauior uel saxum quam incredulitas ipsa. Neq; cre-
 dimus benignum deum, donec Christus uenerit, discipuli lapidem moueant,
 externa opera doceant, admoneant, adhortentur, & ita discipuli aliquo modo
 tollunt lapidem, & quicquid externum est, non ignarus interim ipse quid esset
 facturum, internum opus sibi reseruat, quia solius dei est uitam dare mortuis.

Dicit ei Martha, soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet:
 quadriduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nōne dixi tibi, quoniam si cre-
 dideris, uidebis gloriam dei: Tulerunt ergo lapidem.

Augebat miraculi certitudinem & Marthæ sororis facti simplicitas. Iam
 enim oblita quid illi pollicitus esset Iesus, ex lachrymis & mœrore Iesu redierat
 in pristinum affectum, ac penè diffidentiam quandā imbiberat. Verebatur au-
 tem ne sublato lapide fœtor cadaueris offenderet nares circumstantiū, non ani-
 maduertens quod qui in resurrectione suscitaturus sit omnium corpora, iam
 tot sæculis in cinerem redacta, posset & recens putrefactum cadauer excitare.
 Domine, inquit, iam fœtet: hic enim est quartus dies quod mortuus est. Iesus er-
 go mulieris uacillantem fidem obiurgatiuicula suscitauit: An excidit, inquit, quod
 tibi modo dixi, Si credideris, futurum ut per fratris tui mortem illustretur glo-
 ria dei? Cunctis igitur ad nouæ rei miraculum suspensis iussu domini Iesu sub-
 motus est lapis. Signanter autem addidit, Si credideris: nam credentibus bene-
 facere decreuit, incredulis omnia tandem in malum cedent. Alij uiderunt mira-
 culum, sed non gloriam dei, & potius irascebantur Christo. Opus quidem tri-
 buebant deo, sed quasi absq; Christo hoc factum esset, cum tamen pater omnia
 agat in gloriam filij sui.

Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi quo-
 niam audisti me: ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter
 F populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti. Hæc cū dix-
 xisset, uoce magna clamauit, Lazare, ueni foras.

Suspensis mox omnium animis atq; oculis, dominus Iesus suspiciens in coe-
 lum, ut nos doceret, quicquid magnificum geritur à nobis, ad deum authorem
 oportere referri, simulq; declararet circumstantibus, se diuina uirtute facere quic-
 quid faceret, dixit: Pater, ago tibi gratias, quod audieris uotum meum, non qd
 hoc mihi nouum sit aut temporarium: noui enim quod quum eadē sit uoluntas
 tua meaq; nunquam non audis si quid abs te peto, nec enim ego quicquā uo-
 lo quod tu nolis, sed ob turbam circumstantem hac ut oratione, ut conspecto
 miraculo credant me ex tua uoluntate facere quicquid in terris facio, quodq;
 sum abs te missus in mundum, ut illustrem apud homines gloriā tui nominis.
 Hæc

Hæc eloquutus patri, magna uoce nominatim in clamās mortuum euocat: Lazare, prodi foras. Poterat & solo nutu perficere, ut reuixisset ac prodisset sepulchrum, sed magna uox magnæ uirtutis indicium est, qua peccatrix anima quæ procul abest à conspectu dei, sepulta in tenebris criminum, & putrefacta flagitiorum inquinamenti, reuiuiscat & in lucem ueritatis prodeat.

Et statim prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, et sinite abire.

Nec mora, statim ad uocem in clamantis prodijt sub omnium oculos qui fuerat mortuus & sepultus. Prodiit autem corpore quidem sano, sed cum toto ornatu sepulchrali, quo magis agnoscerent omnes hunc ipsum esse, quem ante triduum ipsi tali cultu sepelierant. Erant enim iuxta funerum consuetudinem pedes illi uincti institis, & manus sepulchralibus uinculis colligatæ, tum facies erat obuincta sudario. Iam hoc ipsum mirum, nō paulatim palpitate defunctū, & uitæ redeuntis præbuisse specimen, quemadmodum ferè solet accidere in alijs, quos à sanctis uiris excitatos legimus, sed subito ad uocis iussum reuixit quadriduo mortuus, & quod accessit miraculo, uinctus & obligatus repente prodit ex altissimis speluncæ latebris. Tum Iesus ne quid deesset ad plenissimam miraculi fidem, ait amicis: Soluite illum, & sinite abire, ut motus & alacer incessus ostenderet hominem etiam ualere non solum uiuere. Poterat efficere Iesus, ut uincula suapte sponte soluerentur, sed dum omnia suo ministerio peragūt, omnibus argumentis & fuci suspicionem excludunt, & miraculi certitudinem confirmant. Sorores per alios morbum fratris absente Iesu renunciant: absente Iesu mortuus est, sepultus est, seruatus est usq; ad fœtorē: solenni multorum frequentia fletur, sorores ipsæ mortem renunciant, comite turba monstratur sepulchrum, alienis manibus submouet saxum, alienis manibus soluitur, qui prodierat. Hic nihil relictū est incredulis, quod possent causari. Nec Iesus tam insigni miraculo ædito uerbū ullum de se magnificum proloquitur. Non exprobrat turbæ quod frequenter miracula sua soleant calumniari, non exigit gratiam à Lazaro, uel ab Eleazaro secundum quosdam, aut à sororibus. Inde colligimus Christum quoq; uere resurrexisse, & nos esse resurrecturos.

Multi ergo ex Iudæis qui uenerant ad Mariam & Martham, & uiderant quæ fecit, crediderunt in eum: quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisæos, & dixerunt eis quæ fecit Iesus.

Multi qui uenerant officij gratia ad Martham ac Mariam Lazari sorores, conspecto tam insigni prodigio, crediderunt illum esse Messiam, adherentes illius doctrinæ, cuius tam efficacem uirtutem conspectauerant. Nonnulli uero reuersi Hierosolymam referunt pharisæis quæ Iesus fecisset iuxta Bethaniam. Ex diuinis operibus semper quidā melius habent, quidam uero deterius. Nam iterum hic schisma uidemus fidelium, & eorum qui nihil aliud quam mortem Christi meditabantur.

Collegerunt ergo pontifices et pharisæi conciliū, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit, si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & ueniēt Romani, & tollent nostrū locum & gentem.

Hoc facinore tam insigniter prodigioso audito, pontifices & pharisæi, qui pro diuinæ uirtutis tam euidenti declaratione Iesum colere debuerunt, & deo gratulari, inuidiæ stimulis acri, iam sibi non temperant amplius, sed impio con-

cilio conuocato, quo res legitimis modis peragi uideretur, consultant inter se, qua ratione tantis periculis possit occurri. Quum enim priuati commode re spectus & animi morbus eos in rabiem ageret aduersus Iesum, in omnes beneficium, tamen uideri uolunt hoc negotium ad totius populi incolumitatem pertinere. Quid suadetis faciendum, inquit? hic homo multa facit admiranda, & ædendis miraculis quotidie seipsum uincit. Si patimur eum pergere qua coepit, futurum est, ut quemadmodum nunc multi è populo magnifice de illo sentiunt, ita mox omnes sint illum habituri pro Messia. Quod si factum fuerit, & huius rei rumor ad Romanos peruenerit, Iudaicam gentem deserto Cæsare desciscuisse ad nouum regem suum, qui non ignorant, ab ipsis iam olim expectari regem quendam suæ gentis liberatorem, sauient armis in nos, & simul locum hunc sanctum prophanæ gentes occupabunt, & totum Iudaicum genus inter natione delebunt. Vbi licet uidere Iudeorum insaniam, & quomodo omnia seculi eueniant quàm consulant, adeò nullum est consilium contra dominum. In summis sacerdotibus & pharisæis quærenda erat maior religio & iustitia, sed ne mica quidem sapientiæ in illis apparet. Videbant anxij opera sua redargui, uolebant in sua pompa manere, & in sua tyrannide, propterea Christus intolerabilis erat illis, neque uiam inueniebant nisi ut tollerent Christum. Hoc etiã hodie uidere licet, dum principes meditantur inania contra ueritatem, & quo potant maxime extincturos, eo ualidius reuiuiscit apud electos. Cumq; Christus omnino nihil docuerit pro seditione mouenda, ipsi tamen perpetuo secum meditantur de Romano imperio ipsos obruituro, hoc tantum timebãt sola corporalia cogitantes.

Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam nec cogitatis, quia expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.

Hæc cõsultatio quum eo tenderet, ut prætextu publicæ salutis occideretur omnis salutis author Iesus Christus, tamen Caiphæ uisa est segnior ac dilutior, is erat pontifex anni illius; iam enim ea dignitas ueluti mox in totum destituta perpetua esse destiterat, sed in singulos annos à principibus Romanis redimebatur uenale sacerdotium. Is igitur qui se religionis gerebat antistitem, cæteris omnibus magis erat impius: increpat illorum ignauiam, qui lentis consilijs adhuc deliberabant, an Iesus esset occidendus, quod id omnibus rebus obmissis quàm primum esset agendum. Vos, inquit, qui sedetis consultantes, an occidendus sit iste, qui talia facit, nequaquam uidemini rem ut habet perpendere, nec cogitatis hoc omnium interesse, ut hic unus moriatur pro populo, potius quàm hoc incolumi tota gens pereat. Huius quidem animum si spectes, summam inuenies impietatem: si autem dispensationem dei, inuenies consolationem omnem in orbe fidelium. Tales hodie quoq; inueniuntur principes, qui cæcitate afficiunt prædicatores ueritatis, ut populus in maiori tyrannide conscientiarum retineatur. Si posses unius iusti hominis cæde plurium hominum salutem operari, non tamen licebit, quanto minus Christum debebant tollere? Dicunt, alioqui erit isti moriendum, quid mali si præoccupetur? Sed interim deum offendunt, cui iustus homo curæ est, à quo pendent omnia, cuiusq; uult esse uindex iustus & zelotes.

G Hoc autem à semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetauit, quia Iesus moriturus erat pro gente, & non tantum pro gente,

gente, sed ut filios dei qui erant dispersi, congregaret in unum.

Hæc oratio non proficiscebatur ex animo pontificis, qui sceleratus erat, & parricidij plenus, sed ob sacerdotij munus quod gerebat, prophetie spiritus per os impij pium uaticinium prodidit, futurum, ut Iesus sua morte redempturus esset salutem gentis Iudaicæ: nec hoc solum effecturus, ut qui ex Iudæis credidissent, ipsi salutem consequerentur, uerumetiam ut qui inter Gentes erant diuersis regionibus toto terrarum orbe uitam agentes, sed in hoc destinati, ut aliquando per Euangelicam fidem fierent filij dei, congregarētur in unum, & in communis ecclesie societate coiret Indus, Aethiops, Græcus, Scythæ, Britanni. Vnde discimus deum non raro assistere principibus, ut nonnunquam ignorantes optima constituant, quæ si somniarent nequaquam admitterent. Inuenimus ergo prophetiam esse donum, cuius participes esse possunt etiam impij. Vt in die iudicij multi dicent, Domine domine &c. Matth. 7. Gentem dispersam toto orbe intelligit eas oues, de quibus supra, quas oporteret adducere. Ideo autem occidendus dicitur, ut congregaretur una ecclesia, & membra Christi dispersa unirentur in unum corpus, quod impletum est prædicatione apostolorum.

Ab illo ergo die, cogitauerunt ut interficerent eum. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertum in ciuitatem quæ dicitur Ephraim, & ibi morabatur cum discipulis suis.

Hæc scelerosi pontificis uoce confirmati pharisæi, quod prius per occasionem sæpe tentauerant, nunc certo animi decreto statuunt, Iesum quouis pacto de medio tollere, ueluti reipublicæ consulentes incolumitati. Ac ne parum esset impium facinus impietatis fuco prætexunt. Iam causam se nactos rati, quæ populum etiam uniuersum permouere posset, ad palam ac legitime necandum Iesum, ceu toti genti Iudaicæ perniciosum, nec opus esset ullo crimine, quod in illum intenderetur, nec ulla noua occasione. Iesus igitur quem nihil fugiebat, etiam si pharisæorum ac sacerdotum destinatam malitiam populi rumor ad eum non pertulisset, hominem agens, quamdiu uersabatur in Iudæa à publico abstinerebat, ne furorem adderet furori. Sed longius subduxit sese à uicina urbis Hierosolymæ, prophetarum interfectoris, & concessit in ciuitatem Ephraim, cui uicinum erat desertum, ipso facto designans Iudæis impijs suam synagogam esse relinquendam, ac nouum populum, qui non infrugiferis operibus Mosaicæ legis, sed Euangelica fide niteretur, in ecclesiam esse colligendum, qui quæ iuxta uocis Hebrææ præfagium ex minimis initijs cresceret in immensum. Hic igitur commemoratus est Iesus cum paucis discipulis suis, qui tametsi misere sibi quoque metuerent, tamen non ausi sunt deserere dominum. Hæc autem regio non erat extra Iudæam, neque procul à Ierusalem, ut uno ferme die potuerit cum uellet redire Hierosolymam. Nam iam secum destinauerat hoc paschate uelle occidi & resurgere, & non in aliud tempus differre.

Proximum autem erat pascha Iudæorum, & ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante pascha, ut sanctificarent seipsos. Quærebant ergo Iesum, & colloquebantur ad inuicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non uenit ad diem festum?

Iam aderat & tempus à patre præfinitum, quo Christus pro salute generis humani uictima immolaretur. Instabat enim dies ille Iudæis religiosissimus, quæ illi phase, hoc est transitum uocant, ipso nomine facti memoriam illis renouante, quod olim sanguis agni postibus illiti seruarit Hebræos à gladio angeli perire.

mentis Aegyptios, ac tantum eas domos transeuntis, quæ sanguine agni notatos haberent postes. Iam itaq; sub festum quod proxime instabat multi è diuersis Palestinae regionibus sese conferebant Hierosolymam, ut illic legitimis ritibus sanctissimum diem perquam puri celebrarēt iuxta patrum traditiones ad quæstum ordinatas. Atq; ut intelligamus Iudaica religione, quæ rebus uisibilibus constat, nihil esse magis irreligiosum, dum magna superstitione cauent, ne quid prætereant quod à Mose præscriptum erat, siue quod à pharisæis erat additum, in omnium sanctissimo die non abhorrent ab eo quod est omnium impurissimum, nimirum ab effundendo sanguine hominis innoxij. Quum igitur adesset frequens multitudo, & plerisque iam notus esset Iesus, qui solitus erat huiusmodi festis adesse, demirabantur quod tum non adesset, & in templo stantes inter se colloquebantur, quidnam esset causæ quod præter morem Iesus abesset à tanta solennitate.

Dederant autem pontifices & pharisæi mandatū, Vt si quis cognouerit ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

Arbitrabantur pharisæi cum pontificibus, Christum latere metu, & nolle prodire in publicum, eamq; ob causam cum autoritate mandauerūt, ut si quis noisset ubi lateret Iesus, indicaret ipsis. Suspiciabantur clam ascendisse ad festiuitatem, & non longe abesse, quia fuerat in Bethania. Ita omni modo inuidia non cessat, Christum præsentem nõ ferebant, absentem struebant insidias. His sanctis ritibus pontifices & pharisæi religionis duces & legis magistri præparabant se diei festo, sed interim inscientes salutem totius orbis procurabant. Desyderabant Christum alij alijs rationibus, illi ad uitam, alij ad mortem. Illi cupiebāt uideri miracula, alij nihil magis oderant quàm sic glorificari Christum.

CAPVT XII.

Matth. 26. 4
Marci 14. 4

A Iesus ergo, ante sex dies paschæ uenit in Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus quem suscitauit Iesus. Fecerūt autem ei cœenam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus uero unus erat ex discumbentibus cum eo.

Dominus Iesus sciens illos certum consiliū cœpisse de se occidendo, & iam instare tempus, quo uolens decreuerat immolari agnus immaculatus pro salute mundi, noluit latere diutius in eremo prædicta, ad quam cum discipulis alij quot diebus confugerat, donec pascha appeteret: sed uelut occurrens ad uiciniam, septimo die ante festum paschæ, quo Iudei soliti sunt splendidiorē cœnam agnum paschalem ceu prælibare, teste Vulgario, reuersus est in Bethaniam, simul ut recentis miraculi memoriam renouaret, & resurrectionis spem discipulorum animis imprimeret, quos sciebat sua morte uehementer esse perturbandos. Illic enim habitabat Lazarus, quem ante paucos dies reuocarat ad uitam. Et locus ob Hierosolymam uicinā celebrior erat. Illic igitur parata est Iesu cœna. Cœnati Martha ministrabat suo more ubi poterat Iesu cum suis discipulis. Etiam si secundum quosdam hæc cœna tunc fuisset in domo Simonis Leprosi, quæ uerisimilior uidetur fuisse alia, de quo tamen iudicent qui uolent & possunt. Lazarus autem unus erat de numero accumbentium in eo cœuiuiō, quocertius esset omnibus non fuisse phantasma, quod pridē uisus esset è sepulchro domum abire, quum multis iam diebus uixisset à morte.

Maria ergo accepit libram unguenti nardi pisticæ pretiosi, & unxit pedes Iesu, & exersit pedes eius capillis suis, & domus impleta est ex odore

ex odore unguenti.

Maria nimirum soror Lazari, quæ singulari quodã amore flagrabat in dominum Iesum, quum ob alia multa, tum ob recens in fratrem beneficiũ, accessit & ipsa ad conuiuium, ac magnam uim unguenti cum primis pretiosi, quod ex nardo generosiore confectum erat ad libræ mēsuram, effundit in Christum dominum discumbentē, tam in caput quàm pedes, adeo ut unguenti fragrantia totam impleret domum. Nec hoc erat contenta mulieris inaudita charitas, pedes quoq; perfusos suis extersit capillis. Non quod crederet Iesum huiusmodi delitijs capi, cuius frugalitatem nouerat, sed amor deuotus & impotens suo indulgebat animo, nesciens quidē quid ageret, sed tamen hoc officio Iesu mortem ac sepulturam prænunciāns, & ecclesiæ typum gerens, quæ spretum à synagoga dominum diuinis honoribus amplecteretur. Non repudiāuit Christus hoc officiũ, ostendēs mundis omnia munda, & quia huiusmodi unguenta non sunt lege interdicta, sed pro regionũ more & usu salutaria & necessaria. Quàm nobile uero fuerit et quàm pretiosum, hinc licet agnoscere, quia tota domus inde suscepit refragantiam, unde nõ solum Christus refocillatus fuit, sed omnes qui cum Christo erant. Bona opera quæ ex fide fluunt, bonum odorem adferunt ecclesiæ.

Dixit ergo unus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non uenit trecētis denarijs, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat.

Mouit huius unguenti iactura discipulorum animos, sed præcipue Iudæ Iscariotis ad alios sollicitandum ad murmur: cui cum ut omnium deterrimo fuissent crediti loculi, ut uir pessimus rei pessimæ dispēfator esset, solitus est iuxta morem eorum qui pecuniam tractāt communem, inde sibi furtim subtrahere nonnihil, non syncera mente pendens à magistro Iesu, sed iam tū sibi peculium prospiciens, quo uiueret ab illius consortio semotus. Is igitur obmurmurans Mariæ dixit: Quorsum attinebat rei tam pretiosæ facere iacturam? Neq; enim dominus capitur huiusmodi delitijs, neq; nostro conuiuio conuenit hæc magnificentia. Quod si decretum erat fœminę largiri rem charã, poterat donata uendi, & pretium dari pauperibus. Hoc nimirũ sanctius erat, ac magistro nobisq; dignius. Hæc quum simpliciter dicerent apostoli cæteri, tamen Iudæ, quum similis esset oratio, longe dissimilis tamē mens erat. Nihil enim illi curæ erat pauperum negotium, sed loculos habebat, & id quod spontanea benignitas amicorum misisset, mala fide seruabat, atq; hinc nõnihil suffurabatur: iam tum specimen de se præbens, quàm non sit idoneus Euangelicæ doctrinæ dispensationi, cuius animum obsidet pecuniæ cupiditas. Satis liquet propensiores ad iudicandum alios seuerè & condemnandum, ferè cæteris esse peiores. Nam quanto quis uirtutibus præcellit magis, tanto minus est temerarius ad iudicandum hæc de rebus, quæ media sunt, quæ possunt esse bona & mala. Non expendunt censores isti causam, quare quid fiat, unde necesse est ut prodant malitiam cordis sui. Iudas prætexebat pauperes: facillimum est prætexere pauperes, & gloriam dei, sed conscientia discruciat. Posset alia ratione pauperibus consuli, quamuis huiusmodi censores non reprehenderent. Interim Iudas erit figura falsorum ministrorum ecclesiæ, qui quæ pauperum sunt aut communitatis, in suos usus conuertunt.

B Dixit ergo Iesus: Sine illā, in diem sepulture mee seruaui illud. Pauperes enim semper habetis uobiscum, me autem non semper habetis.

Iesus ita compescuit murmur discipulorum, ut tamen Iudæ malitiam non proderet, & sic patrocínatus est Mariæ, ut significaret se suapte sponte moriturum. Id em̄ maxime persuasum esse uoluit omnibus dñs Iesus, se nō ex humana uolentia, sed suo ipsius concilio mortem pro salute hominum obisse, quum uoluit & quādo uoluit. Nolite, inquit, huius mulieris officio obmurmurare. Non perit hæc impensa, sed sepulture mee tribuitur hoc honoris, quem ista nunc præuenit, quoniam tum non erit ungenti facultas. Bene sentitis de me, quod uiuus huiusmodi delicias semper respui, mortem tamen meam ac sepulturā honorificam esse uolo. Nolite hoc honoris inuidere mihi, quod mox abituro impenditur. Vulgarium istorum pauperum semper erit uobis parata copia, quorum inopiæ possitis subuenire, mei breuis erit copia: proximum est enim tempus cum à uobis sum abiturus, nempe corpore absens ero, non diuinitate uel gratia. Corporaliter Christum non habemus, cuius uirtus solis instar cælo insidentis diffusa est in animas fidelium, & operatio spiritus Christi.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est, & uenerunt non propter Iesum tantum, sed ut Lazarum uiderent quem suscitauit à mortuis. Cogitauerunt autem principes sacerdotum ut & Lazarum interficerent, quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

Quoniam Bethania propter uiciniam ab Hierosolymitis frequentabatur, & Lazarus ob nobilitatem ac diuitias multis cognitus, propter recentis miraculi famam multis erat notior, non latuit Iesum esse in Bethania: moxq̄ complures ex urbe eò confluiebant, partim ut Iesum uiderent, cuius fama maiorem in modum auxerat tam insigne miraculum, partim ut ipsum etiam Lazarum conspicerent, quem audierant excitatum à mortuis. Suadebat hoc insita mortalium ingenij curiositas. Porro sacerdotum ac pharisæorum animos sic excæcauerat liuor & odium in Iesum, ut iam illorum malitiæ non satis esset occidere Iesum, sed de Lazaro quoq̄ tollendo cogitarent, in quem ne speciem quidē criminis ullam intētare poterant. Cæcum, quia fortiter patrocínatus fuerat apud ipsos gloriæ Iesu, eiecerant e synagoga; nunc eò malitiæ creuerat illorum inuidia, ut Lazarum uirum nobilem ac potentem, à quo nulla factio dictōue fuerat unquam prouocati, & in quem ne fingere quidem quicquam poterant, uoluerint occidere, non ob aliud nisi quod multi Iudæi commoti tam euidenti miraculo desciscerent à conspiratione pharisæorum, & crederent Iesu.

In crastinum autem turba multa quæ uenerat ad diem festum, cum audissent, quia uenit Iesus Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus qui uenit in nomine domini, rex Israel.

השיעה בא

Postero die quum ingens hominum turba quæ festi diei gratia Hierosolymam conuenerat, rescisset Iesum relicta Bethania aduenire Hierosolymam, honoris gratia ei obuiam prodierunt, decisis ab arboribus palmarum ramis, quibus incedenti uiam insternerent. Nam hæc arbor uictorum erat corona ac triumphalis, perpetuo uiuens, procera & ascensu difficilis, sed fructu suauissimo, genuina quadam naturæ uis insurgens aduersus onus impositū. Acclamatum est

est autem quemadmodum populus solet publicum testari gaudium, illud quod est in Psalmis: *Osanna salus & saluatio sit ab illo qui nobis expectatus uenit in nomine domini, ut sit rex Israel, & Messias promissus maioribus, expectatus à posteris, sed à nobis nunc receptus & agnitus, filius Dauid, rex Israel.* Alij Euangelistæ hanc historiam latius describunt, quomodo Christus duos miserit discipulos &c. quæ non carent mysterijs, uerum ab alijs diligenter descripta libenter obmittit Ioannes.

Et inuenit Iesus asellum, & sedit super eum, sicut scriptum est: *Noli timere filia Zion, ecce rex tuus uenit sedens super pullum asine.* Hæc non cognouerunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei.

Math. 21. 4

Marci 14. 4

Lucæ. 19. f

Zach. 9. 9

C

Domínus Iesus semper antehac humilis, & omnis gloriæ mundanæ contemptor, tum noua pompa uoluit uenire Hierosolymam. Nactus enim asinum insidebat illi, quum solitus esset antehac peditus iter conficere, partim ut suos doceret quàm esset inanis huius mundi gloria, partim ut Zachariæ de se uaticinium confirmaret. Scriptum est enim: *Noli timere filia Sion &c.* Talis nimirum pompa decet regem Hierosolymæ spiritualis, quæ est ecclesia. Hæc tamen qui de apostoli non intellexerunt, opinantes hæc agi fortuito, sed postea quàm morte, resurrectione, missoque spiritu sancto glorificatus est Iesus, tum rem gestam cum prophetæ dictis conferentes, animaduertunt hoc de illo scriptum fuisse, quod acclamatum est à turba, quodque ipse sic adueniens gessit. Erant enim plerique qui talem expectarent regem, quales habet hic mundus. Horum expectationem Christus irrisam esse uoluit, demonstrans regnum Euangelicum mansuetudine cælestique doctrina constare, non huius mundi præsidij. Quorum igitur rex est Christus, illi nihil habent quod timeant sub tanto rege tamque potente. Ecce mira est eius familiaritas, non uult abesse à te, uenit tibi, in tuam utilitatem. In tanta humilitate dignatus per omnia nobis fieri similis assumpta serui forma, ut nobis accessus pateret ad ipsum. Quanquam apostoli ante Christi passionem & glorificationem crediderint eum Messiam esse, non tamen scripturas intelligebant de Christo interpretandas per singula, donec misso spiritu sancto apertus est illis sensus, ut intelligerent scripturas: quam & non erubescit Euangelista fateri ignorantiam, maxime de hac triumphali pompa Christi, quam Zachariæ prædixerat propheta. Facilius enim prophetæ intelliguntur post impletionem promissorum quàm ante: unde & Iudæis ignotæ sunt scripturæ, qui omnia adhuc implenda expectant, nos luculenter exponimus, quia quæ prædixerant dudum, iam impleta esse abundanter oculata fide scimus, & promissa suscepimus copiose.

Testimonium ergo perhibebat turba quæ erat cum eo quando Lazarum uocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam uenit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum.

Hoc tam insigne populi studium excitauerant multi, qui pridem adfuerant iuxta Bethaniam, quum dominus Iesus excitaret Lazarum e monumento, & quod oculis suis conspexerant cæteris narrarant. Et hinc tam frequens hominum multitudo prodierat obuiam Iesu, quod ex his qui uiderant cognouissent hoc insigne miraculum ab illo proditum, quale non erat auditum ab orbe condito. Id quia palam diuinam quandam uirtutem præ se ferebat, honos quoque exhibitus, qualis nulli prophetarum fuit exhibitus, huiusmodi honorē passus est.

sibi impendi proximus morti, ad consolationem discipulorum & impletionem prophetiarum. Alij Euangelistæ de pueris dicunt, quorum confessione pharisei potissimū sunt confusi, nimirū inuidentes Christi gloriæ, ut solent perpetuo.

Pharisei ergo dixerūt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus: ecce totus mundus post eum abiit.

Ea res & glorificatio Christi à turbis, sacerdotum ac pharisæorum animos propemodum in desperationem adegit, nec tamen ab impio cœpto resipiscūt, sed inter se commurmurant, dicentes: Videtis quod omnibus machinamentis aduersus illum nihil proficimus, sed quo magis obsistimus, hoc magis & illius autoritas inclarescit, & populi studium accenditur. Antea paucos habebat discipulos, ecce nunc totus mundus defecit à nobis ad illum, ut nobis iam non sit tutum sit palàm illi manus iniicere. Hæc ideo dicebant impij pharisei, quo se mutuo cohortarentur ad maioribus præsidijs dolisq; adoriendum dominum Iesum, unde non prius peregerunt hoc facinus, nisi magno pharisæorum, scribarum, sacerdotum, ac seniorum consensu, plebe quoq; ut est animi mobilis, iisdem accensa furijs, adiuncta & Pilati præsidis autoritate, nec sine dolo tamē per Iudam proditorem addito. Hi sunt autem fructus inuidiæ, ut aliena gloria crucientur. Gentium credulitas & desyderium erat significanda, sed oportuit antea Iudæos excæcari quàm Gentium uocationem succedere. Ea significata quoq; est per asellam, super qua sedit Christus, Germen Christi erumpebat, & magi significauerāt uenturū Christum, ita Græci hoc loco ueniebāt.

Erant autem quidam gentiles, ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat à Bethsaida Galilææ, & rogabant eum, dicentes: Domine, uolumus Iesum uidere. **D**ixit Philippus, & dicit Andreæ. Andreas rursus & Philippus dixerunt Iesu.

Tantus erat id temporis fauor populi erga Iesum, ut Ethnici quoq; qui religionis gratia uenerant Hierosolymam, ut illic adorarent, uidendi Iesu desyderio tenerentur. Tanta enim erat eius templi ueneratio, ut è longinquis etiam regionibus eò religionis gratia multi proficiscerentur. Iam tum autē imago quædam futuri præbebatur, quod ad ecclesiam, cuius typum illud templum gerebat, gentes antea idololatræ concurrerent, & Iesum à pharisæis reiectum debita religione complecterentur. Hos igitur cum ingens haberet desyderiū uidendi Iesum, de quo tam admiranda audierant (pudor autem obstabat, quo minus illum adirent: cupiebant enim illū non solum obiter in turba uidere, sed minus etiam salutare, & loquentem audire) adeunt Philippum, cui ob patriæ uiciam (nam erat natus in ciuitate Bethsaida, quæ est Galilææ gentium) erant nota, ut is sibi aditum aperiret ad Iesum. Significabant enim se illius uidendi magna cupiditate teneri. Philippus rem Andreæ communicat eiusdem ciuitatis collegæ: nam is maioris erat apud dominū autoritatis, quod primus omnium esset uocatus. Ambo igitur adeuntes Iesum, exponunt illi quosdam esse non Iudeos, sed Ethnicos, qui tamen illius uidendi desyderio flagrarent, si dignaretur eos admittere. Iesus autē ubi cognouit ex discipulis Ethnicos quoq; sui uidendi desyderio teneri, quum tam impie sperneretur à pharisæis ac sacerdotibus, hac occasione cœpit discipulis suis aperire mortem suam, & quantum illa fructus esset allatura, non solum Iudaicæ genti, sed uniuerso mundo, quod quemadmodum unius Lazari suscitati miraculum non solum Iudæorum plurimos, uerum

uerum etiam Ethnicos ad amorē sui pertraxerat: ita mors ipsius & resurrectio omnes totius orbis nationes esset attractura. Indicat etiam Euangelista, quomodo insiti fuerint; nam deus uti uoluit apostolorum ministerio ad uocandas gentes. Sicut asinum dominus adduxit per apostolos, ita delegit eos per quos gentes & omnes ad exemplum essent uocandi. Erant profelyti, & alij qui manebāt in ritibus gentilium, qualis Cornelius Cæsariensis &c., uiri pij alioqui non Iudæi, hiq̄ agnoscebant uerum deum citra Iudaicam superstitionem: nolebāt se adiungere omnino Iudæis. Aliqui audierant de uero deo ex scripturis philosophorum, & uanum deorū cultum negligebant. Hiq̄ auditis miraculis Christi, accensi ut uiderent Christum. Etiam maxima multitudo Gentium Iudæis se adiūxerat. Vnde Iudæi qui hodie sunt, incerti omnino sunt, an filij sint Abrahamæ nec ne, solum autem in carne gloriantur. Nam cum rediere à Babylone, magna accessit multitudo gentium, & Nathinei gentiles magno in numero redierunt, qui fuerant Gabaonitæ: sic de seruis Salomonis. Hoc desyderium omnium gentium mirabantur apostoli à principio, neq̄ commercium cum gentibus habere uolebāt: præceptum enim acceperant, in uiam gentium ne abirēt. Vnde communicant consilium alijs alio quasi rem nouam, eos quibus non esset facta promissio aduolare ad Iesum.

Iesus autem respondit eis, dicens: Venit hora, ut clarificetur filius hominis. Amen amen dico uobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.

Discipulis exponentibus Ethnicorum pium affectum, respondit Iesus: Audistis Iudæos acclamantes, Benedictus qui uenit in nomine domini. Videtis gentes simili cupiditate accurrere, quoniam nunc instat tempus, ut quum pharisæi credent filium hominis profus extinctum esse, tum maxime glorificetur apud uniuersas orbis nationes. Nouū gloriæ genus est, & noua ratione parandum est. Uirius paucos attraxi, mortuus latius diffundetur fama, plures attrahet quàm attraxit corporis præsentia. Vos abhorretis à mentione mortis, tamē illud pro certissimo habete, Nisi granum frumēti proijciatur in terram, atq̄ ibi sepultum putrescat, mortuumq̄ fuerit, nihil ex sese fructus prodit, sed unicum ac solum manet incolume: quod si mortuum fuerit ac sepultum in terra, emergit rursum cum copioso foenore, pro uno grano centum reddēs, iamq̄ læta seges late campos occupat, & ubere prouentu regionem ditat. Magis id expetendum quod pluribus utile est, & multorum salus paucorum morte redimenda. Sic uitam impendere non interitus est, sed lucrum: & hoc est uitam non amittere, sed seruare. Non enim perit anima quæ discedit à corpore, nec in totū perit corpus, olim felicius & immortale reuicturum. Hanc sententiam Christus etiam alijs loquutus est, sed hic uidetur repetere.

Qui amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in uitam æternam custodit eam.

Amans hanc uitam in hoc mūdo, dum male seruat, perdit: hoc est, qui tempore confessionis quando oportet cōfiteri Christum, uult parcere corpori suo, ut potius malit negare Christum quàm periclitari pro illo, is supra modum diligit uitam præsentem, quàm & perdet. Qui uero non pepercerit, qui non detreſtauerit pericula, mortemq̄ pro Christo, is uidetur esse prodigus animæ, cum sit eius uera dilectio. Quisquis pro Euangelij prouentu obijcit eam periculis

ac mortibus, is non amittit uitam quam impendit, sed seruat eam, pro mortali breuicq; ac misera uita perennem ac felicem uitam recepturus in resurrectione. Sic qui seruat granum tritici, perdit, & alioqui periturum; qui uero defodit in terram, is demum bene seruauit, paulò post cum lucro recepturus quod perdidisse uidebatur.

Matth. 10. d

15. d

Marci 8. d

Luce 9. c. 17. 2

Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus.

Non est quod uos perturbet mors mea, quæ quondam erit etiam imitanda, quo sitis & gloriæ & immortalitatis consortes, qui mortis imitatores fueritis. Ego uelut auctor Euangelici negotij uitam meam uolens impendam pro salute mundi, proq; patris mei gloria. Vos eritis eiusdem negotij ministri, uestra prædicatione per uniuersum orbem spargentes quæ feci quæue docui. Quod mihi autem machinantur pontifices & pharisæi, hoc uobis moliètur impij, qui mundum hunc magis diligunt quam deum, qui dum uitam hanc stulte seruant perdidunt uitam æternam, & in mortem æternam sese præcipitant. Si quis se profertur discipulum meum, si quis ministrum, dominum sequatur oportet: par est enim ministrum à domino non auelli, nec in lætis, nec in tristibus. Quos habuero consortes ac socios afflictionum, eos non seiungam à consortio felicitatis: sed ubicunq; ego fuero illic erit & minister meus. Me quamlibet à mundo reiectum, tamen pater euehet ad gloriam. Quod si quis se mihi fidu ministrum præbuerit, hunc pro temporis malis, proq; ignominia qua apud homines affectus est, pater æterna felicitate ueraq; gloria decorabit. Agnoscet em̄ pater non me solum, sed unici filij ministros etiam agnoscet, & simili præmio dignabitur, quos similia passos nouerit. Sic decretum est apud deum, ut quotquot peruenturi sint in gloriam, non sint peruenturi nisi per crucem. Meus, inquit, discipulus non proponat sibi bonos dies in hac uita, quod uelit in delictis uiuere, ut omnia pro sua sententia procedant. Christus huiusmodi promissiones non dedit. Hoc autem in se complectitur summam uirtutem, & fugam omnium uitiorum. Qui suis affectibus renunciauerit non insolescet superbia, neq; ira frena relaxabit, neq; gloriæ mancipium erit, sed erit mitis, suauis, & per omnia relucebit in eo exempla Christi. Ex uita licet uidere gratiam Christi in hominibus. Ne ergo te pigeat laboris & crucis ferendæ, ampla sunt præmia, habes spectatorem deum patrem, idem erit ac si deo patri ministraueris. Ego enim aliud non quaero quam gloriam patris.

Psal. 100.

Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora. Sed propterea ueni in hanc horam. Pater, clarifica nomē tuum.

Habet quidem præsens afflictio cruciatum suum propter humani corporis infirmitatem, sed hanc humanæ naturæ trepidationem uincere debet considerata multorum salus, considerata uitæ perennis felicitas, quæ breui cruciatu redimuntur. Quod si olim senseritis naturam ab intentatis suppliciorum ac mortium terroribus abhorrentem, nolite protinus ab Euangelico negotio fracti resilire, sed uincat humanæ naturæ imbecillitatem animi fortitudo, semper à cœlestis patris præsidio pendentis: quin & mihi ob instantem mortis diem sentio turbatam animam. Video grauissimam tempestatem imminere. Quid dicam? aut quomodo me uertam? An optemperabo corporis imbecillitati mortem horrentis? an ad mundi præsidia confugiam? an amore uitæ meæ mundi uitam negligam? Nequaquam. Ad patris uoluntatem me accommodabo. Dicit illi nature infirmitas

infirmitas mortis horrore conturbata, Pater si fieri potest saluum me fac ex hoc instanti periculo mortis. Sed mox addet humanæ salutis auida charitas, Imò si sic expedit ueniat optata mors, quando uolens ac sciens iuxta spiritus uoluntatem, quæ nunquam à tua dissentit, memet obtuli in mortem. Tu præsta ut mea mors meâque resurrectio clarum reddat nomen tuum apud omnes orbis nationes, ut te cognito te glorificantes salutem æternam consequantur. Ita Christus uiuendi exemplum præbet, ut omnia in gloriam dei faciamus. Item si patimur, gloriam dei increfcere optemus: necessarium erit Christum sequamur patientia, innocentia, charitate &c.

Venit ergo uox de cœlo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum factum esse. Alij autem dicebant: Angelus ei loquutus est.

Hæc ubi sublatis in cœlum oculis precatus est dominus Iesus, uenit uox patris è cœlo, dicens: Et clarum reddidi nomen meum, et posthac amplius illustrabo. Iam enim tot miraculis inclaruerat apud homines per filium suum, sed potissimùm resuscitato Lazaro, moxque aucturus erat gloriam sui nominis apud omnes orbis nationes, per crucem, per resurrectionem, per ascensum in cœlum, per spiritus sancti missionem, per apostolorum prædicationem. Porro turba quæ non procul stabat, quum audisset uocem cœlitus emissam, quoniam parum fuerat attenta, nec satis constabat ad quem ea uox pertineret, uariabat sententijs. Quidam enim interpretabantur tonitruum fuisse, quod uidebatur auditum: uox enim è nubibus prodierat. Rursus alij benignius interpretabantur, dicentes: Angelus quispiam ei loquutus est.

Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc uox uenit, sed propter uos. Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum: hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus.

Dominus Iesus quo magis eos redderet attentos, & gloriæ suspicionem ab se depelleret, Hæc, inquit, uox, quæ nec tonitruum est nec angeli, sed patris, qui preces meas exaudiuit, non uenit propter me, qui noui patris animum in me, sed propter uos, ut intelligatis mihi cum patre conuenire, & quicquid facio illo auctore, uestre salutis causa facere. Audistis quid de morte mea promisit pater. Nunc instat extrema colluctatio satanæ, qui princeps uel tyrannus potius est huius mundi, qui per peccatum hætenus in morte detinuit omnes qui diligunt hunc mundum. Nunc mundi causa protrahitur in iudicium. At redarguta falsitate clarescet ueritas, & princeps ille mundi mortis auctor, dum se uictorem credet, per mortem depelletur à sua tyrannide. Condonabitur enim omnibus peccatum per fidem Euangelicam. Eo sublato fractæ sunt uires tyranni, qui non alio telo fortis est & potens. Et quemadmodum ille qui uicisse uidebitur, subito pelletur à regno: ita ego qui uidebor extinctus, exaltatus à terra, omnia undique pertraham ad me, mihi iure uindicans, quod hætenus ille per tyrannidem occupauit. Trahit & totus Christus, quando suo spiritu immisso, corda ad se trahit per fidem & charitatem. Porro quod Christus dixerat, Quum exaltatus fuero à terra, quoniam sermo erat anceps, & tamen ad rem exprimendam accommodatior, mortis genus quod erat obiturus significare uoluit. Etenim qui suffiguntur in crucem in alto pendent, quo procul sint omnibus conspicui: simulque submonuit ueteris historiarum, quæ narrat æneum serpentem, Christi typum in sub-

limi stipite suspensum, omnibus qui ad ipsum uerterent oculos, quamuis è longinquo, contra letifera serpentium uulnera præsentē opem attulisse. Et tamen erant in turba, qui, quoniam mentio mortis præcesserat, diuinarent illum de crucis suppliitio fuisse loquutum, propterea dicitur:

Psa. 109. b. 116. c
Isaie. 40. c
Ezech. 17. g

Respondit ei turba: Nos audiuius ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodo tu dicis, Oportet exaltari filiū hominis: & quis est iste filius hominis?

Ratiocinio contendunt illum non esse Messiam, qui se prædicaret mortuum & crucifigendum, quod intelligebant per Exaltari non obtuso ingenio. Tribuit em̄ scriptura Messie potestatem & regnum æternū. Sic enim scribit Daniel: Potestas eius potestas æterna, quæ non auferetur, & regnū eius quod non corrumpetur. Et propheta Micheas: Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis. Et Isaías: Et pacis eius non erit finis. Quin & Psalmorum propheta promittit ei sacerdotium æternum secundum ordinem Melchizedech. Legem turba uocat non solum quinque libros Moysis, sed prophetas quoque & Psalmos, quibus uti solebant. In multis autem locis habetur Christus perpetuo regnaturus, unde & dicitur, Regni eius non erit finis. Semper ergo Iudæi respuentes uerbum crucis de regno loquuntur Messie, & dicunt: Nos ex lege cognouimus quod Messias cum uenerit non sit ullum habiturus finem. Quid igitur sibi uult quod aís, futurū ut filius hominis exaltetur à terra? Quod si exaltari à terra mori est, & si quoties dicis filium hominis, teipsum uis intelligi, aut non morieris, aut ille filius hominis non est Messias, si uerum dicit propheta. Verum non erant illa diuersa inter se, quantum attinet ad naturam humanam moriebatur, sed sic, ut tertia die resurrecturus esset: manebat autem diuinitas illæsa, propterea mortem non gustauit quo ad diuinitatem. Hoc mysterium est fidei, in quo summa salutis existit, non mirum Iudæos non intellexisse.

Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum, lumen in uobis est. Ambulate dum lucem habetis, ut non uos tenebræ comprehendant: & qui ambulat in tenebris nescit quò uadat. Dum lucē habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis.

Ad prædicta quoniam animo maligno dicebantur non respondit Iesus: poterat enim respondere se non hominem esse tantum, uerum etiam deum, & iuxta corpus humanum se moriturum quidem, sed mox resurrecturum, nec hæc mortem obstare regni perennitati, quod nõ est mundanum, sed spirituale. Sed nec illi capaces erant horum mysteriorum, nec tempestiuum erat illa prodere. Tantum hortatur eos, ut ommissa cæcitate mentis, desinant obstrepere luci ueritatis, præsertim quæ mox esset auferenda. Non quod lux Euangelica foret unquam abolenda, sed quod ipsius doctrinam non essent ex eius ore posthac audituri, nec uisuri miracula peragentem, quæ lucem illis præbere poterant ad refipiscendum. Ad breue, inquit, tempus lumen inter uos uersatur. Quare dum huius lucis est copia, ambulate proficientes in melius, dum est occasio, ne subito sublata luce nox occupet. Iamque frustra desyderetis ademptum, quod nunc oblatum aspernamini. Qui sequitur cæcos affectus animi sui, in tenebris ambulat, nec scit quò uadat, dumque se credit pie recteque facere, impingit in mortem. Ego sum lux mundi, qui mihi crediderit non aberrabit à uero. Qui noctis sunt filij, lucem refugiunt. Vos igitur quod diu lucem habetis uobiscum, credite luci, ut filij lucis esse uideamini. Qui credit uidet; qui non credit, uidens cæcus est.

Hæc

Hæc loquutus est Iesus, & abiit, & abscondit se ab eis. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum, ut sermo Isaiaë impleretur quæ dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium domini cui reuelatum est? Isaia 53. a
Rom. 10. d

Non est amplius id temporis loquutus Iesus eis, ne furorem illorum quem sciebat ad omne facinus esse promptissimū, magis irritaret, sed abiit, & abscondit sese ab illis, uelut absentia silentioq; suo mitigaturus illorum efferatam insaniam: simul & nos obiter admonēs exemplo suo, ut quoties cum obstinatis res est, nec ulla spes est proficiendi, cedamus ad tempus, ne nō solum nihil fructus referamus, uerumetiam alios reddamus sceleratiores. Quid enim Iudæorū illorum animis deploratius? Cum tam multis tamq; euidentibus & insignibus miraculis sub oculis illorum æditis, dominus Iesus dictis suis fidem certissimā conuulsisse debuerit, tamen perstiterant in incredulitate sua, nimirum liuore, odio, inuidiā, ambitioe, auaritia, cæterisq; prauis animi cupiditatibus excæcati. Atq; huiusmodi futuros quosdam iam olim Isaiaes afflatu diuini spiritus prædixerat: Domine, inquit, quis credidit uerbis nostris? et brachium domini cui reuelatum est? Siquidem ideo non prospiciebant in factis Iesu uirtutem diuinā, quia malitia sua excæcati non credebant. Quamlibet enim audiuisent miras doctrinas, uidiisent incredibilia miracula, omnia tamen hæc in uanum sunt acta, nihilo meliores euaserunt, uere digni ut eijcerentur in tenebras exteriores. Abiit ab indignis, qui tanta signa uidentes perstiterunt in sua impietate. Si tantū loquutus fuisset Christus & nō patrasset miracula tanta, minus piclitati fuissent: sic auditis tot doctrinis, & uisis tantis miraculis, nullus erit excusationi locus.

Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaiaes: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ut non uideant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Isaiaes, quando uidit gloriam eius, & loquutus est de eo. Isaia 6. e
Matth. 23. b
Marci 4. b
Luce 9. b
Acto. 28. f
Rom. 11. b

Non poterant credere, quoniam prauas cupiditates nolebant abijcere. Et hoc rursum prædixit Isaiaes: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ne uideant oculis, neu corde intelligant &c. Videntes enim non uidebant, & intelligentes non intelligebant, & aduersus suam ipsorum salutem omnia moliti sunt in eum, à quo solo salus erat speranda. Hæc olim prædixerat Isaiaes, quæ afflatus arcano spiritu, uidit oculis prophetis gloriam filij dei, quam olim in corpore humano esset habiturus: & quod uidit uaticinatus est, & quod ille uaticinatus est, nos factum credimus. Etiam ætate Isaiaë ferreas ceruices proferebant Iudæi, unde & arguit eos sequenti capite, quod non satis, illos molestos esse hominibus, sed et deo. Cum audiunt certissima oracula, tamen adeo sunt obstinati, ut deum audire nolint. Qui igitur sic in spiritum sanctum peccant, plane indigni sunt curatione. Quod agebatur tempore prophetæ, hoc uerius impletum est tempore Christi, unde Euāgelista exponit de Christo. Etiam Isaiaem uolunt de Christo intellexisse pleriq;. Vidit, inquit, gloriā dei. Sciamus & prophetas & Mosen præter sensum quem historia offert, continere in se abstrusa quædam, quæ nobis postea per apostolos detecta sunt in Christo implenda. Vidit autem dominum exercituum, Christum ipsum, qui unus & idem est in ueteri lege & noua. Vidit sedentem super solium excelsum, Seraphin senis alis, fimbrias quoq; uestimenti, fenum autem implere templum, quæ sunt omnia apparatus & gloria Christi, ibi manifeste sicut & in dedicatione Salomonici

templi, & cum daretur lex. Christus uisus est, uerbum dei loquens & auditum, dominus angelorum, ut quæcumq; ibi deo aparerenti tribuuntur simpliciter, hæc sint Christo tribuenda per mysterium.

Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter pharisæos non confitebantur, ut è synagoga non eicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam dei.

Non tamen horum incredulitas exclusit aliorum salutem qui crediderunt. Nam multi crediderant Iesu, non solum è plebeis, uerumetiam è primoribus, sed tamen primores non audebant palàm profiteri ob metum pharisæorum, qui decretum ædiderant, ut quisquis se profiteretur discipulum Christi submoueretur è synagoga, excõmunicaretur. Porro qui dignitate præminent apud mundum, non ferunt ignominiam. Nondum enim erat illorum firma perfectaq; fides, sed tamen erat tum iam aliquod Euangelicæ mentis rudimētum, bene sentire de Iesu, licet timor ac pudor obstaret, quo minus id præ se ferrent. Alijs liuor obstabat, alijs auaritia, alijs ambitio, quo minus toto pectore Christo adhererent, cuius gratia sunt omnia contemnenda. Sed quoniam spiritus sanctus nondum erat datus, qui robur euangelicū absolueret, multi timide credebant, magis adhuc diligentes gloriam hominum quàm gloriam dei. In synagoga locum habere honoratiorem magnificum erat apud homines, sed ob Christum ex impiorum eijci synagoga gloria fuisset apud deum. Sed in hominibus natura imbecillibus timor & infirmitas facile ueniam impetrat. Cæterum qui sic fuerant excæcati prauis cupiditatibus, ut scelerata consciētia reclamaret Christo, populum ab hoc auerterent, insidias tenderent, deniq; mortem machinarentur, hos perire necesse fuit, quia seruari noluerunt.

G Iesus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, nō credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui uidet me, uidet eum qui misit me. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

Alio rursus tempore Iesus prodiens in conspectum Iudæorū, quū iam furor rem illorum mitiorem esse factū oportuit, quo magis hortaretur omnes ad credendum, nec ullam excusationem reliquam faceret ijs qui suapte malitia perierant, ostendens quantus esset fructus credentibus, quanta pernitias in sua incredulitate persistentibus, clamauit & dixit: Omnes profitemini uos credere deo, atqui cum à deo sim profectus, nec quicquam dicam aut faciam nisi illo auctore, quisquis mihi crediderit, non mihi credit, qui ex me nihil ago, sed ei qui me misit in mundum. Mundus tenebris errorum & uitiorum plenus est, atq; ideo à patre qui fons est omnis luminis uelut à sole radius descēdi in mundum, ut discussis erroribus, sublatis peccatis, lux essem mundi. Per fidem autem aperiantur cæcorum oculi, ut lucem uideant, nec amplius impingant in tenebras. Huc igitur spectat omnis mea doctrina, huc miracula, huc quicquid feci facturus ue sum, ut qui mihi credit, & in me fiduciam omnem collocat, non maneat in tenebris, sed illustratus cognitione ueritatis, purgatus ab omnibus pristinæ uitæ uitijs, lucis ductu per Euangelicam pietatem proficiat in uitam æternam.

Et si quis audierit uerba mea & non custodierit, ego non iudico eum: non enim ueni ut iudicem mundum, sed ut saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eum: sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.

Si quis

Si quis audierit uerba mea, nec his obtemperauerit, huic adeo nihil profuerit ad salutem audisse, ut ob incredulitatem grauius etiam exitium sit habiturus. Non quod ego sim illum condemnaturus: non enim in hoc ueni, ut condemnem mundum ob illius scelera, sed ut per fidem purgatum mundum saluum faciam. Nec tamen effugiet horrendum iudicium, si quis sermones meos auditos reiecerit ac spreuerit. Nunc quidem nihil obmitto, quo cunctos ad eternam salutem pertraham, nec quisquam meo uitio periturus est. Sed quisquis salutem oblatam aspernatus fuerit, eum hic ipse sermo, quem nunc loquor, condemnabit, & coarguet in nouissimo die, quod suapte malitia perierit. Inuitauimus praeiis, deterrui suppliis, alexi beneficiis, excitaui miraculis, neminem a salute repello, aditum cuius facilem ad uitam aperio. Quid igitur in extremo die prætoret is, qui tot modis prouocatus ad credulitatem, in sua cæcitate perseuerauerit: Vniuscuiusque conscientia redarguet unumquemque et perdet.

Quia ego ex meipso non sum loquutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar: & scio quia mandatum eius uita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.

Si dei cultores estis, sicut uobis uidebitur, si legem ueneramini, meos sermones non potestis aspernari. Nec enim ex meipso loquutus sum eorum more qui ad suam gloriam aut questum quæ uolunt comminiscuntur, nec aduersa legi doceo, sed quæ lex adumbravit typis, promisit uaticiniis, præsto. Sed pater qui est legis author, & unde huc profectus sum, mihi præscripsit quod dicam, & quomodo dicam. Huius igitur mandatis quum in omnibus obsequar, quomodo potestis illum honorare, quum eius legatum aspernemini? Quod autem mihi mandauit, non ob aliud mandauit nisi uestri charitate, ut credentes his quæ per me uobis loquitur, uitam æternam assequamini. Quemadmodum pater sitit salutem omnium, nec ullius quærit interitum: ita & ego sitio salutem omnium, nec unquam patiar interire, quod quidem in me erit. Proinde quoniam mihi certum est, ad salutem uestram pertinere, quicquid me loqui uoluit, ideo nihil eorum taceo, quæ mihi præscripsit ut loquar. Huic animo dei patris in uos, huic animo meo cum patris animo per omnia consentienti, uidete ne desitis ipsi, pernitentiam uobis accercentes ultrò, quum possitis salutem assequi perennem.

CAPVT XIII.

Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia uenit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Matth. 26. 4

Lucæ. 22. 4

Marci 14. 4

Huiusmodi sermonibus adhortatus est dominus impiam turbam, ut salutem suam confulerent, & ab impio conatu desinerent, quum nihil alioqui reliquisset intentatum, quo potuissent ad meliorem mentem reuocari. Iam supererat, ut discipulos suos, quos peculiariter selegerat, quos breui esset relicturus, quosque nouerat morte magistri sui uehementer exanimandos, aduersus ingruentem tempestatem instrueret, atque ex illorum animis penitus reuelleret illas Evangelicæ puritatis pestes, liuorem, odium, fastum, ambitionem, atque his diuersos affectus infereret, absolutæ charitatis indicia proferens, cuius exemplum mundo inter ipsos amore æmularentur, tum inauditæ mansuetudinis & humilitatis.

tatis formam præbens, quo sese uicissim mutuis officijs præuenirent. Itaq; præ die paschæ, quod, ut dictum est, Hebræis phase, id est transitum sonat, cum sciret dominus Iesus, quem nihil fugiebat, iam adesse tempus, quo & ipse festi diei uocabulo respondens, transiret ex hoc mundo, & ad patrem unde fuerat profectus rediret, cum semper dilexisset suos discipulos, quos ut domesticos et amicos peculiariter sibi delegerat, qui nondum erant exituri è mundo, sed ingens & longum certamen habituri cum mundo, perpetuam erga illos charitatē declarauit. Nec instans mortis tempestas affectum quem gerebat erga eos excussit, sed in ipso digressu potissimum exhibuit rari cuiusdam amoris indicia, non quod eos minus dilexerit antea, sed ut quæ discessurus impressisset animis illorum tenacius hærerent. Sciebat Christus tempus transeundi ad patrem, iuxta patris decretum non iuxta arbitrium Iudæorū. Et quatenus erat filius dei, semper est in sinu patris, sed humana natura unita uerbo, quanto tempore in humilitate nondum gloriosa & immortalis tamdiu non accepit æqualitatē potestatis cum patre, & tanto tempore dicitur non transisse ad patrem. Alij Euangelistæ interferunt institutionem cœnæ dominicæ, in qua clare beneficia dei nobis commendantur, quando seipsum nobis tradit, facitq; sese esse nostrum, ut per ipsum uiuamus, factus est frater noster, communicans nobis de spiritu suo, tradens quoq; carnem suam in mortem pro nobis. Sic, inquam, in finem dilexit suos, in quibus omnibus summa beneficia declarauit. Quod maius beneficium potest dari quàm quod animam suam posuit pro ouibus suis? Tamen in cœna etiam quædam indicia suæ amicitia ostendit edendo cum discipulis, & lauando illorum pedes &c.

Et cœna facta, cum diabolus iam misisset in cor ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotes, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, et quia à deo exiuit & ad deum uadit, surgit à cœna, & deponit uestimenta sua, & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & coepit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.

Postq; igitur suprema illa & mystica cœna parata esset, in qua dato corporis & sanguinis sui sacro symbolo, perpetuam sui memoriam pacturus erat, & amicitia nullis unq; modis interimitoriaæ fœdus sancire constituerat, quum non ignoraret hoc suggerente diabolo iam agere Iudam Iscarioten, ut se proderet Iudæis capiendum, cuius mentem sic auaritia pestis occuparat, ut tanta magistri ex se lenitate comitateq; non posset à nephario scelere reuocari, quicq; sciret quod pater nihil horum patereur interire, quæ sibi seruanda tradidisset, sibi quoq; conscius esset quod mox ad patrem esset iturus unde profectus erat, tum ut omnem ambitionis affectum penitus eximeret ex animis discipulorum suorum, surgit à cœna iam instructa, positisque uestimentis, quo plane ministrigereret imaginem, accepit linteum, eoq; se præcinxit. Mox ipse misit aquam in peluim, et abiectissimam iuxta mundum officij functionem aggressus, coepit lauare pedes discipulorum suorum. Docuit autem hoc exemplo, oportere humiliter & moderato animo inueniri prædicatores ueritatis, quando solet illustribus uiris crudelis arrogantia morbus contingere, qui in eos qui nihil præclarum habent in uita non facile ingreditur. Quem uero ceteri admirantur, is solet cæteris se facile anteponere. Solet quidem hoc officij iuxta morem Hebræorum præstari hospitibus & amicis, sed hoc quod Christus gessit, non solum habebat exemplum

exemplum absolutæ modestiæ, uerum etiam typum intelligentiæ mysticæ: nimirum eos quæ sese accingerent ad prædicationis Euangelicæ munus, qui dominicæ mensæ participes esse uellent, oportere purissimos esse à terrenis affectibus, sed hanc puritatem nemini contingere, nisi domino Iesu sua bonitate foras des omnes imbecillitatis nostræ detergente, qui solus expers fuit omnis maculæ, quiq; sic uersatus est inter homines homo, ut nihil humanæ labis ex commertio uitæ contraheret. Nec putemus solū diabolum malas cogitationes immittere, quasi non etiam à nobis suam trahāt originem. Est in nobis uetus Adam, & caro nostra procliuis ad malum, de suo thesauro proferens spinas & tribulos. Inde diabolus incensor, dum animaduertit nostram ignauiam ac negligentiam, tam promptulus ad præuaricandum dei uoluntatem, & tardos ad uitæ renouationem. Qua occasione data satan suis modis omnibus intendit quoniam nos perdat. Stipula parata incendio in nobis est, & innata affectiones malæ. Interim tamen improbus Iudas tam atrocità uoluens in animo, in numero discipulorum incedit, fertur, & cognoscitur exemplum malæ farinæ inter sanctos existentis. Facta autem hic Christi quid significant non decet contemnere. Spiritum sanctum postea misit discipulis, docuit illos uerbum suæ sapientiæ, quod licet appellare aquam uitæ, eam misit in uasa testacea, cœpit lauare minores etiam. Nam nostra salus non aliunde quàm à Christo. Passus est. Ita induit linteam, effudit suū sanguinē. Etiam hodie lauit suos & lauat, quando communitat ipsi de suo spiritu. Sic purificamur, quando participes efficiamur spiritus sui, tunc etiam tergemur. In primis tamen uoluit docere simpliciter, ut mutuo seruirent sibiipsis, ut humiles sint, ne quis se arbitretur superiorē quàm ut proximo debeat ministrare. Nemo Christo superior.

Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

Quum tandem dominus omnium qui in cœlo & qui in terra, omnium præscius & omnia sibi tradita habens à patre, seruili hoc habitu præcinctus, nudus peluim gestans uenisset ad Simonem Petrum, eiq; procumberet loturus pedes illius, exhorruit Petrus inauditum humilitatis exemplum, hinc suam agnoscens imbecillitatem, hinc domini dignitatem considerans, quam ex miraculis ex admirabili doctrina utcumq; perspexerat, etiamsi nondum ad plenum diuinam in illo naturam cognouerat, nondum uiderat resurrexisse, nondum in cœlos ascendisse, nondum assidere dextrum patri cœlesti, nondum toto orbe diuinis honoribus colī, sed hæc post cognita magis commendarunt exemplum tam insignis modestiæ. Petrus igitur hoc animo refugiens à magistro lauari, quo baptista detrectauerat eidem impartiri baptismum, dixit: Domine, quid istuc est rei quod paras? Tunc mihi lauas pedes? Noui qui sim, & noui quis sis. Moxq; detrectanti respondit Iesus: Sine me Petre quod facio facere. Non leue est, non otiosum est quod ago. Hoc quid sibi uelit nondum quidem intelligis, sed post intelliges, & tunc cognosces quod ego nunc ago tibi fuisse necessarium. Certe quantum sit opus Christi, & quanto mysterio plenum, ignorat carnalis homo, sed perfecte cognoscit spiritualis. Si dixeris homini nondum regenerato, quod filius dei factus sit pro nobis caro, Iudæus ualde scandalizabitur, Græcus omnino irridebit, animalis homo non percipit. Sic huiusmodi res est indigna ut talis lauit pedes talium. Sed nemo diuinum consilium reprehēdat: tanta est enim in miseris nos misericordia dei.

Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si non lauero te, non habebis partem mecum.

Ne hoc quidem responso, quoniam non intelligebat coercitus Petrus, magis etiam refugit, dicens: Nunquã patiar ut tu tantus mihi tali laues pedes. Dominus autem ut hanc uehementem recusationem, licet ab amore proficiscentem & reuerentiã, uelut clauum clauo pelleret, minis cohibuit, quando nondum erat docilis Petrus, dicens: Quid mihi reluctaris Petre? si non lauero te, non potes esse confors mei. Aut lauaberis, aut à mensã fœderisq; mei consortio semoueberis. Purus sit oportet quem admittam in meum contuberniũ. Hoc autem dixit Iesus non de lauandis pedibus corporeis, sed de imitatione tam insignis modestiã, de puritate mentis, quã oportet esse summam in his, qui doctrinam Euangelicam profitentes, ecclesiastici gregis curam suscipiunt. Etiam si nõ tanta mysteria præfigurata fuissent ista lotionem, & si nulla alia causa Christus lauisset quã ad probandam obedientiam discipulorũ, adhuc tamen non debebant obstreperare præceptorĩ. Decet enim in omnibus ut exhibeamus nos obediẽtes Christo. Hic enim discenda nobis ex litera est obedientia. Tunc autem obsequimur uerbis Christi, quando mentem uerborum amplectimur, sicq; non abutimur: etiam si literam secteris, & mentem literæ contempnas, non habebis pro obediẽte.

Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei Iesus: Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus.

Petrus qui feruido quodam in domino amore tenebatur, dura siquidem est amanti diuortij mentio, tametsi tum non intelligebat quid sibi uellet sermo Iesu, tamen cum audiret fore, ut ab illius secluderetur consortio, quem unice diligebat, subito uehementior etiam factus est in admittendo quã antea fuerat in recusando. Domine, inquit, potius quã abs te diuellar non solum permitto tibi lauandos pedes quando ita uis, sed & manus & caput. Vbi discimus, cauendam quidem temerariam loquutionem, quã tamen si exciderit etiam si probe dictum uidetur, si tamen appareat melius non contendamus, sed quã primum quod melius est amplectamur. Præstat uerbis peccare quã magnarum rerum detrimentum incidere. Ad hæc dominus, Qui semel lotus est, non opus habet ut denuo lauet, qui subinde contactu terræ sibi non nihil colligit sordium. Hoc nimirum ænigmate significabat dominus Iesus Euangelico præconi non sufficere omnem illam puritatem quam omnibus præstat baptismus, & Euangelicę fidei professio, nisi pedes, id est affectus animi subinde purgentur ab omnibus inquinamentis huius mundi, à quibus tamen uix quisquam purus esse potest homo, nisi subinde per Christi misericordiam contagium ex hominum consortio uel commertio contractum studeat abluere. Prima quidem nostra lotio est, si deus per suam misericordiam alicui nõ imputat peccatum. Qui misericordia dei ascribitur in album filiorum dei, & annumeratur electis, talis est filius dei, & datus Christo, pro quo passus est, & sanguine ablutus: attamen nihilominus opus habet ut pedes illius abluantur, hoc est affectus quibus graditur animus, qui sunt quotidie purificandi, quando in hac uita sine prauis cogitationibus subsistere nõ possumus. Opus est igitur spiritu sancto, qui est uiua aqua, & uerbo dei, ut purificentur quotidie affectus nostri, qui facile maculantur, dũ gaudeamus ineptijs, facile irascimur, agre damus petentibus, & huiusmodi, quę ta-

men ex opere spiritus diluuntur, dū de talibus dolemus, & abominamur quicquid est impium pro puritate mentis quę est in filijs dei, illustrata dono spiritus superiore portione rationis, ut semper renitentur prauis affectibus, & peccata impugnent per semen spiritus quod pullulat in eis.

Et uos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit, Non estis mundi omnes.

Vobis igitur, inquit, non lauo rursus corpus reliquum, tantum pedes abluo. Estis enim mundi, tametsi non omnes. Hac exceptione dominus Iesus taxauit Iudę Iscariotis conscientiam: nouerat enim a quo foret prodēdus Iudęis. Tanta erat Iesu mansuetudo, ut cognitum nec proderet ceteris, nec a lotionē pedum secluderet, nec a sacro conuiuio, nec a sacramentorum corporis & sanguinis communione repelleret, tantum tangit ipsius, qui sibi notus erat, conscientiam, ut uel sic respiceret, posteaquam intelligeret se non latere dominum, quem destinarat prodere. Ad hunc itaq; dixerat, Mundi quidem estis, sed non omnes. Non erat Iudas ex filijs dei, propterea nihil proderat illi purificatio pedum, quia non lauerat suos affectus. Quamuis dominus nō obmisit medijs pluribus ipsum adducere ad pœnitentiam, semper tamen renitebatur: suo ferebatur impetu, a fatana incitatus ad opus malum. Vide ne consilijs malis consentias. Ablue turpem cogitationem, ne fias Iudę similis.

Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit uestimenta sua, cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magister & domine, & bene dicitis, sum etenim. Si ergo ego laui pedes uestros, dominus & magister, et uos debetis alter alterius lauare pedes.

Hoc igitur officio perfunctus Iesus erga duodecim apostolos suos, recepit uestimenta sua, & cum suis accubuit, cœnam sumpturus. Sed interim exemplum modestiæ, quod illis exhibuerat, rursus infigit illorum animis, ne per obliuionem posset elabi, quod cum primis erat necessarium. Ait enim, Intelligitisne quid sibi uelit, quod uobis omnibus laui pedes? Vos appellatis me magistrum & dominum, idēq; merito facitis: sum enim uere quod me dicitis. Quod si ego uestros laui pedes, qui uere magister sum & dominus, uos qui inter uos fratres estis & conserui, multo magis non grauabimini mutuis officijs inuicem inferuire. Nam ideo tanto maior exemplum hoc uobis exhibui, ut pudeat frater in fratrem, & conseruus in conseruum sumere tyrannicum supercilium, quum ipse qui merito mihi possim huius dignitatis fastigium uendicare, mecum usque ad lauandos pedes uestros abiecerim. Nec est quod quisquam dicat, Humile est, abiectum est, seruile est quod ago. Quo quisq; maior est, hoc se magis oportet demittere. Pestis ambitionis etiam Euangelicis uirtutibus obrepat. Quum ædetis miracula per nomen meum, quum prædicabitis nomen meum in ecclesijs, quum eijcietis dæmonia, quum mortuos uitæ restituetis, quum uaticinabimini, quum in honore eritis apud ecclesias, tum maxime uobis oportebit in mentem uenire quod hodie feci uobis. Non supercilio, neq; fastu, neq; uiolentia uobis erit authoritas Euangelica defendenda. Rationibus alijs ea contingent. Non adhortatus est Christus ut abluamus sordes ex pedibus aliorum, cum alia officia sint, sed illo officio uoluit omnia nobis esse commendata, ne fratres negemus auxilium. Si admonendus, docendus, opusq; consolatione, uide ne neglexeris illum, corrige, emenda quantum potes: id est, ne despiciatis fratres uestros. Et cum uos apostoli constituti in loco sublimi eritis, ne efferamini

de dignitate uestra, quasi nemini debeatis seruire, sed ob id constituti estis, ut omnibus seruiatis, sicut ego non detrectaui seruire alijs. Exemplum, inquit, de di uobis. Sunt quædam in quibus nequaquam dominum possumus imitari, ut sunt mirifica opera: sed patientiam, mansuetudinem, modestiam ex me discite, ut faciatis. Etsi non possumus tam absolutas præstare uirtutes, tamen conuenit ut obedientiam, quod in nobis est, præstemus.

Infr. 15. a
Marci 10. c
Luce 6. f

Amen amen dico uobis, non est seruus maior domino suo, nec apostolus maior est eo qui misit eum. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.

Illud certe negari non potest, quod communi quoque sensui certissimum est. Non est seruus maior domino suo, nec qui legatus est ad negotium alienum obediendum maior est eo à quo legatus fuit. Me dominum agnoscitis, & posthac magis agnosceris. Mei estis apostoli, ego legatiõis sum author. Turpe fuerit igitur uobis, in gregem uobis credendum aut etiam inter uos turgere fastu, seruire uolentia, quum me tam mitem, tam modestum dominum ac magistrum sitis experti. Hoc quoniã nunc intelligitis, si post feceritis, beati eritis, iuxta doctrinam meam, quam frequenter uobis iterans inculcaui, ne qua possit elabi. Non propterea quis colligat, quod ex operibus magis quam ex fide saluemur. Posses etiam diuitem nominare beatum, qui erogat, & nemo erogat multas opes nisi qui diues est: ita ille qui iam beatus est propter fidem, & inhabitantem spiritum, impellitur ad opera charitatis, quæ beatum declarant & sanctum. Esus & ambulatio non facit hominem uiuentem, sed significat uiuum & ostendit.

Psal. 40. c

Non de omnibus uobis dico, ego scio quos elegerim. Sed ut adimpleatur scriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum suum. A modo dico uobis, prius quam fiat, ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.

Hæc autem beatitudo non erit omnium uestrum. Elegi quidem uos omnes ad apostolici nominis honorem, sed non omnes respondebunt huius muneris dignitati. Beati futuri sunt, qui meum æmulantes exemplum, fungentur apostolico munere. Sed est inter uos, qui in tantum hoc non æmulabitur in fratres & conseruos suos, quibus hæctenus æquatur, ut in me quoque dominum ac magistrum talem ac tantum sit erecturus ceruicem. Sed hoc fore iam olim prædixerat Psalmi uaticinium: Qui comedit panem mecum, tollet aduersum me calcaneum suum. Quia deus ita futurum præuidit, non solum finem, sed ea quæ ad finem respiciunt, & necesse est ut talia impleantur, non quod scriptura per se cogat uel uerbum dei, sed omnino hoc quod deus præuidit, id necesse est ut contingat. Culpa hominum erit peccantium praua sua uoluntate, non dei, qui iubet bona & adiuuat, Psal. 41. Propheta de falsis fratribus sui sæculi primum conqueritur. Nulli unquam prophetae fuerunt in populo dei, qui non experti sunt suos inimicos. Item: Omnes qui pie uiuere uolunt &c. Si non ab exteris certe à domesticis, attamen multo grauius certamen est quod patimur ab amicis, qui se simulant, quam ab inimicis, quos uitare possumus facilius. Vnde Christus subinde conqueritur, ostendens nobis quoque ad futurum dolorem quem ex falsis fratribus expertus est. Propheta figura erat & umbra perfidiæ, quæ obuentura erat Christo. Nemo unquam tantæ dignitatis fuit quantæ Christus, nemo tam innocens, familiaris, blandus suis. Vnde grauissime peccarunt, tum Iudas tum Iudæi, qui edebant cum Christo panem, & eum prostrauerunt ueluti positibus

bus ad impellendum ad casum. Quotquot etiam in ecclesiam Christi peccant, & de pane domini cōmunicantes testantur se fratres, & tamē contra ecclesiam laerant, illi in ipsum Christū peccant. Qui indigne manducauerit, id est expers charitatis fuerit, reus erit sanguinis domini. Iam, inquit, nunc hoc uobis prædico futurum, priusq̄ fiat, ut quum uideritis factū quod scriptura prædixit, credatis me esse illū de quo uaticinata est; nec quicq̄ in me temere geri, sed diuino consilio negotiū hoc omne temperari. Quemadmodū autē beatus est quisquis est meum exemplum imitabitur: ita infelix erit qui proditorem illum, quisquis est maluerit æmulari. Nam habiturus est & ille multos olim æmulos suæ malitiæ, quibus charior erit pecunia quā nominis mei gloria, quicq̄ sub apostolici nominis honore proditorem agent apostolici muneris; hoc sibi episcopi dictum putent & ecclesiarum rectores.

Amen amen dico uobis, qui accipit si quem misero, me accipit: qui Marci 10, d
Lucæ 10, c

autem me accipit, accipit eum qui me misit. Quo maior est autem huius muneris dignitas, hoc grauius est crimen, professionis honore ad proditiōē abuti. Nam illud profectio uobis confirmo: Quis quis recipit eum quem ego mitto, me ipsum recipit: & quisquis me recipit, recipit eum qui me misit. Quemadmodum enim ego patris apostolus non aliud ago quā ex uoluntate patris: ita uos qui mei estis apostoli, si bona fide quod uobis mandatum est exequemini, sic à pijs omnibus recipiemini, ueluti me per uos loquente, quemadmodum pater per me loquitur, nihil aliud docentem q̄ quod ille præscripsit. Christum prædicantes dum ut mēbra Christi suscipimus propter inhabitantem spiritum Christi in illis, significamus & nos esse de membris Christi, & ecclesiasticos. Minister regis adfert mandatū regis, sed mentem & spiritum regis non habet in corde, quemadmodum legati Christi illi, qui reantur spiritu Christi. Vnde liquet quanta pœna illorum sit, qui ueros Christi ministros persequantur, & uere Christum occidunt, quū illos occidunt: quamuis Christus nō uere patiatur, sed pati dicitur adhuc in membris suis. Tanta dignitas est ministrorum dei, à qua Iudas excidit, & omnes qui falsi sunt fratres, qui tollunt calcaneum aduersus Christum.

Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen amen dico uobis, quia unus ex uobis tradet me. Aspiciebant Matth. 26, b
Marci 14, b
Lucæ 22, b ergo adinuicem discipuli, hæsitantes de quo diceret.

Hæc cum dixisset Iesus consolans animos suorum, mox quo magis eos à proditoris exemplo deterreret, quoq̄ uehementius urgeret proditorem ad resistendum, turbatus est spiritu uelut exhorrens exitium illius, qui suapte malitia sibi mortem æternā tendebat accersere. Et quod ante dixerat rursus cum asseueratione testatur omnino futurum. Etiam, inquit, atq̄ etiam dico uobis, q̄ unus è uobis, qui hic pauci eadem in mensa mecū accumbitis, me proditurus est. Hic sermo toties iteratus expergefecit animos discipulorum, quos alioquē moeror ingens occuparat, ob prædictū domini decessum. Consolabatur unum quencq̄ cæterorum sua conscientia, quod unus notaretur futurus proditor, sed perturbabat quod adiecerat, Ex uobis; nec dubitabāt quin quod dominus prædixerat futurum, aliquando fieret, & tamen nemo poterat de alio tantum suspicari nefas, uidelicet ex suo animo cæteros omnes æstimans, nisi quod interim suspecta esset cuiq̄ humanę naturę imbecillitas. Solus Iudas sibi conscius, nec exhorruit, nec pudefactus est, nec ueritus est sacris epulis interesse, & potuit

interim ferre oculos domini sui, cui nouerat non ignotum esse, quid secum ageret in animo. Tanta erat auaritiæ pestis, & adeo libuit abuti iam nota domini lenitate. Itaque ceteri discipuli mœrentes ac solliciti uicissim se contuebantur, si quod indicium ex uultu possent colligere, quem hic sermo Iesu norasset: non dubium quin ilico scœuituri in eum, qui tam impium facinus animo concepisset. Ardebat quidem hic animus Simoni Petro, quo nemo feruentius amabat dominum, sed ferè parum bene successerat hactenus audacia, quam illi suggerere solet amor in magistrũ. Audierat ante, Vade post me satana, non sapis ea quæ dei sunt. Audierat modo, Non habebis partem mecum.

Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem diligebat Iesus. Innuuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est de quo dicitur?

Cum uehemèter Simon cuperet hac solitudine liberari, certoque nosse tanti facinoris patratorem, nequaquam passurus eum admisceri conuiuio, non autem significabat discipulo cuidam, quæ dominus familiaris amabat, atque id temporis recumbebat in pectus domini, hac familiaritatis indulgentia mœrentem, atque exanimatum ob instantem ipsius mortem, consolantis ac refouentis, ut sciret quisnam esset de quo dixisset Iesus.

Itaque cum recubuisset ille supra pectus Iesu, dixit ei: Domine, quis est? Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ. Et post buccellam, introiuit in eum satanas.

Discipulus ille ut accumbebat in pectus Iesu, secreto dixit illi, & pro singulari charitate sua diligenter interrogauit, Quisnam est qui tantum audebit facinus? Interim sese excusant, dum diligenter quærunt quod ipsi non sunt. Iesus ergo illi clanculum respondit: Is est cui offulam intinctam porrexero. Cumque panem intinxisset iuri, dedit offulam Iudæ Simonis, pulchre temperans negotium. Nam discipulo quidem indicat quis proditurus sit, tamè non permittit Iudam periclitari. Detinet mentes discipulorum ne attendat de quo dicat. Hoc quoque indicium debebat Iudam à facinore suo deterrere, ut poenitentiam ageret, sed obduruuit homo, & deterior factus est, non erubuit, nec respuit infelix proditor, sed perfricta fronte, contemptaque domini conscientia, sprete tanta lenitate, accepit de manu domini signum amicitia, quem mox ob exiguum pretium erat proditurus. Satan maiorem potestatem habebat in eo. Quasi diceret: Vt cumque uelis deterrere me ab hoc facto, manebo tamen in instituto meo, exigam quod proposui. Vnde & post acceptam buccellam satanas totum illius animum occupauit, & ex impio reddidit insanabilem.

Et dicit ei Iesus: Quod facis, fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, Eme ea quæ sunt opus nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuo. Erat autem nox.

Dominus Iesus ubi uidebat destinatum Iudæ malitiam, nec pudore nec metu flecti: iam enim penè proditus erat, nec abfuisse à periculo, si Iesus illum prodidisset, ablegat eum à conuiuio, & patrandi facinoris potestatem facit, quod iam

iam certa uoluntate concepta patrarat. Quod facis, inquit, fac citius. Id dictum solus Iudas sibi cōsciis intellexit, cæterorum accumbentiū nemo sensit, quam ob rem hoc dixisset Iesus. Nam ut est minime suspitiosa probitas, non poterat hæc suspitio descendere in pectus cuiusquam, illum cui dominus tot amoris argumenta præbuisset, quem creditis oculis communibus cæteris quodammodo præferre uisus est, qui uicinior accumbebat in eo conuiuio, cui modo buccellam intinctam prorrexerat dominus, tam immane facinus ausurum, ut eum ad mortem proderet. Quidam autem sic interpretabantur, quod dixerat Iesus, Quod facis fac citius, quoniã nouerant Iudæ traditos esse loculos, dominum admonuisse, ut emeret aliquid earum rerum quibus ad celebrandum diem festum opus esset, aut ut egenis daret aliquid: nam hoc frequenter solitus erat illi mandare Iesus, nos interim ad benignitatem in pauperes instituens & extimulans. Iudas autem accepta buccella dissimulatoq; domini dicto, protinus exiit è conclau. Non enim decebat iam, ut qui se totum tradidisset satanæ, seq; Iesu toties præstitisset immedicabilem, amplius interesset collegio sanctorum. Erat autem nox, tempus arguens mentem illius auaritię tenebris excacatam, qui se subduceret à luce, & ad opus principis tenebrarum adeo festinaret, ut nec temporis intempestiuitate commotus facinus conceptum prorogaret. Non desuerat illi & antea praua uoluntas, sed nondum à Iesu fuerat data facultas, ut hic quoq; palam esset, neminẽ aduersus illum quicquam ualiturum fuisse, nisi ipse uoluntati impię potestatem fecisset exequendi facto, quod animo destinauerat. Non erant præcipientis uerba, sed potius permittentis. Ut ostendatur iterũ Christus pro nobis uoluntarie passus, qui Iudam coercere noluit, et Iudæis permittere capiendi ausum et facultatem uoluit. Tamdiu peccatores toleremus, et improbos in ecclesia, quamdiu alijs sunt ignoti, si innotescunt, tolerari non poterunt. Tanta autem erat Iudæ hypocrisis, ut discipuli nihil tale de illo suspicarentur, sed ob suam simplicitatem ea quæ Christus loquutus est interpretantur in meliorem partem, qui candidarum mentium mos est, ut omnia in bonã partem exponant: ita discipuli non attenderũt illum esse proditorem. Et ex hoc loco clare uidemus Christum cum discipulis suis habuisse loculos, bona communia, ne alijs essent oneri, quæ erant à fidelibus in medium collata, ut Augustinus interpretatur. Iam aliquo modo Christus præscripsit formam ecclesijs, ut de bonis ecclesiæ uiuerent, qui ministrarent ecclesiæ, non otiosis, uel cantoribus, aut ceroferaarijs. Hicq; redarguũtur qui Christum mendicum faciunt, unde ordines nouos in mundo statuunt mendicantium. Christi discipuli cū opus esset ea quæ necessaria erant emebant, unde loculos habebant, uerum tam periculosum officium pecunias dispensandi non nisi Iudæ commisit, ut discamus periculum in diuitijs & rationibus pecuniarum, quod manet improbos.

Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis, & deus clarificatus est in eo. Si deus clarificatus est in eo, & deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum.

Submoto ergo illo qui se fecerat hoc indignum contubernio, Iesus multa loqui cœpit discipulis suis, quæ partim illos consolarentur confirmarentq; partim aduersus tempestatem imminentem armarent. Infigens penitus animis eorum, quæ tamẽ quidem primum rudes, deinde mœrore somnoq; grauati, non poterant ad plenum capere, sed tamen post essent intellecturi. Ac primũ significauit mortem suam instare, quæ licet iuxta mundum ignominia plena uide-

retur, tamen patris simul & suam gloriam esset illustratura. Nunc, inquit, hoc potissimum agitur, quod audistis me deprecantem. Nunc enim adest tempus, quo filius hominis, qui hactenus humilis uisus est & contemptus, nouo modo clarus reddatur apud homines, & per illum illustrabitur & patris gloria. Quem admodum enim ille non quaesuit gloriam suam, sed per suam infirmitatem illustrauit gloriam patris: ita uicissim pater qui est fons omnis uerae gloriae glorificauit filium suum apud homines, non per angelos nec archangelos, nec ullam aliam creaturam, sed per semetipsum mundo declarans unam esse patris filique gloriam, quo duorum opera mutua sic uicissim apud homines innotescat, non ut illis aliquid accedat, sed ut homines cognita utriusque gloria ueram gloriam assequantur. Glorificabit autem olim totum filium suum in aduentu supremo coram uniuersis terrarum ac caelorum incolis, sed interim protinus quoque glorificabit illum ipsa morte, quae potentior erit uniuersa uirtute mortalium, mox resurrectione & ascensione. Christus dicitur esse in claritate sua, quando cum sanctis regnabit eiectis impijs, ut in futura gloria futurus est, ubi solae oues sine haedis congregabuntur. Eius rei typum gerit ista segregatio. Vbi abiit Iudas, iam melius incipiebat se habere ecclesia. Ne tristemur, si quando de nobis abeant falsi fratres, ulcera nimirum corporis Christi. Si corpus propter unum membrum computrescere incipit, remedium adhibendum est ne totum pereat: ita oues separandae ne totus grex inficiatur. Pastoris officium est seponere morbida membra, ut aliae melius habeant. Vbi membra fuerint, tunc ecclesia sanabitur, tuncque glorificabitur corpus Christi. Per Christum abducti sumus a simulachrorum cultu, ab impietate gentilium, ad ueritatem & ueri dei cultum: ita unicus & uerus deus coepit innotescere mundo & praedicari. Cum igitur filius ille resurrexisset, glorificatus est deus, & mundus adductus ad cognitionem ueri dei, ut relinqueret errores suos: talis fructus sequutus est ex morte Christi, eiectione scilicet principis huius mundi, & adductio populorum in Christi sacrosanctam ecclesiam.

Supra 7. c

Filioli, adhuc modicum uobiscum sum. Quaretis me, et sicut dixi uobis: Quod ego uado, uos non potestis uenire.

Ne uos exanimet mea mors, quae tamen si uideretur infirmitatis esse, tamen erit potentior mea uita, tamen si uidebitur ignominiosa, tamen illustrabit gloriam & meam & patris, tamen si uidebitur abolitio mei, tamen salutem afferet & uobis & uniuerso mundo. Haec consolentur animi uestri moerorem. Expedi enim uobis, ut hoc corpus mortale uestris oculis subducatur. Iamque instat tempus, ut hoc fiat. Interim fruamini me tanquam mox abituro, & quae uobis mando cordibus uestris imprimatis. Alioqui quemadmodum dixi Iudaeis, Sublatum frustra quaretis. Mox enim abeo, tum illuc abeo, quod in praesentia non potestis consequi. Superest igitur ut abitum meum fortiter feratis, & doctrinam meam meique memoriam animis uestris impressam teneatis. Hoc est quod uos felices reddet, potius quam corporis huius mortalis conspectus uel carnalis quaecumque praesentia carnis, dicente Cyrillo: Discipulis, inquit, & si non corpore, uirtute tamen deitatis unam semper fuit & est futurus.

1. Ioan. 2. b
Infra 15. b

Et uobis dico modo: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis inuicem. In hoc cognoscet omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.

Multa sunt Mosaicae legis praecipua, ego discessurus unicum & nouum praecipuum

ceptum uobis mando, ut quemadmodū ego uos dilexi, sic uos inuicem diligatis. Non exercui tyrannidē in uos, nō affectaui gloriam, nō quæsi, non quicquid humani commodi messui ex uobis: uestrā salutē amaui et amaui gratis, & usque ad mortem amaui, siquidē hanc animā uolens impendam pro uobis, sic & uos inuicem diligite. Ceterorum discipuli titulis, cultu, certisque constitutionū observationibus dinoscuntur, nihil istarū rerū à me didicistis, una nota cognoscent homines quod germani mei discipuli sitis, si talem charitatē mutuam habueritis inter uos, qualem ego uobis omnibus præstiti. Rarū est hoc inter mortales, sed hic est fructus bonæ arboris, quo discernitur. Nouum mandatum dicitur, quia innouatum, alioquin recapitulatio legis est & plenitudo. Christus autē hanc legem dat charitatis, & innouat, datque spiritum suum ut perfici possit, quod est fieri nouā creaturā. Attendentes igitur quomodo amati à Christo accendimur à spiritu sancto, ut mutuo diligamus. Aliqui putabāt olim se satis fecisse, si non offenderēt proximos: iam charitas requirit, ut etiam benefacias, neque uulgaria beneficia exhibeas, sed magna & eximia. Si Christum cum charitate Mosi confers, ille de libro uiuentium optabat deleri quā non saluum fieri populū, Christus uero pro salute electorū omnium mortuus est, & totū se præstitit. Vnum mandatū dicit, sed omnia complectitur in uno: ita & alia madata interpretemur.

Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò uadis? Respondit Iesus: Quò ego uado, nō potes me modo sequi, sequeris autem postea. Dicit ei Petrus: Quare nō possum te sequi modo? animam meam pro te ponam.

Petrus qui totus flagrabat amore domini sui, quantū mortē eius iniquo ferebat animo, tamen quoniam semel audierat, Vade post me satana, non audebat eadem de re rursus interpellare. Sed illud discruciauit animum amantis, quod quum ille diuelleretur ab amicis, negaretur sequendi facultas. Est enim ingens solatium, si quem uere diligas in omnem fortunam quoquo terrarum se uertit persequi. Rogat igitur Petrus: Domine, quò uadis, ut non liceat te consequi? Tum Iesus: Quò uado nō potes in præsentia me consequi, sequeris tamen postea. Petrus nondum intelligens quid sibi uellet hic sermo Iesu, quū de morte sentiret sua, ad quam perferendam illi nondū essent idonei, Domine, inquit, quare non possum te sequi? quid periculis pro te recusem pati, qui uitam etiam meam paratus sum tibi impendere? Hanc uocem fortiore uiribus expresserat syncerus quidem, sed humanus adhuc nec sibi satis dum notus amor. Cupio, inquit, prior mori, ut tu uiuas, malo ut tu uiuas quā ego. Ergo nihil de meo amore desyderare uelis. Immodica erat apostoli gloriatio & supra uires. Ecce autem quatenus destituti à spiritu diuino nihil præstamus. Non mentiebatur Petrus, talis affectus in illo fuit, caro autem infirma &c.

Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones? Amen amen dico tibi, non cantabit gallus, donec ter me neges.

Dominus Iesus ut paulatim successorem suum formaret, & humanarum uirium fiduciam penitus refelleret ē suorum animis, quemadmodū ante submouit ac repulit, quū confidentius cohortaretur à perpetianda morte, rursus correatus est, quum se præcipitasset in aquam ac mox dubitasset, ac modo cohibitus est, quā non obtemperaret paranti lauare pedes: ita nunc docetur nō suis uiribus fidere, nec suis affectibus credere, sed sibi diffusus à præsidij pendere Christi. Quid ais, inquit, Petre? quā magna nobis de te polliceris? Tu mihi uitam impendes? imò res ipsa docebit te quā uerus sit sermo, qui paulò ante

Matth. 26. d

Marci 14. c

Lucæ 22. c

dicitur à me fidem apud te non promeruit, Quò ego uado uos non potestis me sequi nunc, nec procul abest experimentum. Illud certissimum habeto, priusquàm gallus hac nocte cantet, hoc est primo gallicinio, ter me negaturus es. Tantum aberit, ut tua uita meã possis redimere. His uerbis dominus cohibuit Petri magniloquentiam, licet ex amoris magnitudine proficiscentem, simulquè ceteros admonuit, ut in periculis non fideret uiribus suis, sed assistentiã diuini muneris.

CAPVT XIII.

A T ait discipulis suis: Non turbetur cor uestrũ. Creditis in deũ, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus, dixissem uobis: Quia uado parare uobis locum.

Ex hoc sermone qui nouam quandam & atrocem tempestatem imminere significabat, quæ Petrum quoque fortissimum omnium ad tantum erroris adigeret, ut eadem nocte ter dominum esset abnegaturus, cum uehementer essent animo perculsi discipuli, ac Petri exemplo sibi quisque metueret, clementissimus præceptor oratione blandiore cõsolatur discipulos suos perturbatos ac moerentes: Erunt quidem, inquit, hæc omnia quæ prædixi, uerum non est quod ob ea despondeatis animum aut perturbemini. Atrocia quidem sunt quæ fiunt in me, quæque post adẽtur in uos, nec me fugit quanta sit imbecillitas humana naturæ, sed si uestram omnem fiduciã in me collocaueritis & in deo, non est quod ullos hominum impiorum insultus formidatis: deus enim omnipotens est, & uanus plus potest omnibus quæ uos impugnant. Certe illi fiditis etiam iuxta Moisaicam doctrinã. Quod si illi uere fiditis, mihi quoque debetis fidere. Recta enim fides in deum patrem est, & in filium incarnatum patri consubstantialem, quia filius, sicut & in spiritum sanctum ab æterno procedentem ex utrisque in unitate naturæ diuinæ. Vincam ego per illum, & uos per me uincetis, si uestris diffidit præsidij in me fiduciã omnem ac spem fixeritis, nec mors ipsa uos poterit distrahere. Quemadmodum eritis aliquando consortes afflictionum, sic eritis & coronæ consortes. Primus ipse certandi uincendi que formam ac specimen exhibebo. Per me dabitur uobis robur, per me dabitur gloriæ consortium, tantum mihi cõfidite. Iam in domo patris mei mansiones multæ paratæ sunt uictoribus. Nec enim uni mihi parata sunt præmia, nec solus Petrus me sequiturus est, sed omnibus qui mihi per charitatem ac fidem Euangelicam adhæserint sua cuique præmia parata sunt. Quod nisi certo scirem iam paratas esse uobis mansiones, quæ uos breui ex huius mundi tumultibus exemptos recipiant in æternæ uitæ felicitatem, iam præmonuissem uos me ideo præcedere ad patrem, quo uobis quoque, quos à me distrahi non patiar, illic parem locum.

Et si abiero & præparauero uobis locum, iterum uenio & accipiam uos ad me ipsum, ut ubi sum ego & uos sitis. Et quò ego uado scitis, & uiam scitis.

Nunc quoniam certo scio, suam cuique mansionem paratam esse in regno patris mei, de præmio non est cur sitis solliciti, tantum illud agendum, ut fortiter certetis. Quod si maxime abirem uobis paraturus locum, non est tamen quod destituti uideamini. Rursus enim ad uos uenturus sum, ut uos totos ad me recipiam, nusquam posthac à me distrahendos, ut iam ubicunque sum ego sitis & uos. Non est quod diffidatis uos eò peruenturos, quò ego non præcedo. Siquidem & scitis quò uadam, nec uiam ignoratis. Nam hoc ænigmate dominus subindicabat,

cabat, se proficisci ad patrem, sed per mortem crucis. Optabile erat quod adibat, sed uidebatur iter inamabile. Hoc discipuli nescire non poterant, toties auditum à domino, sed mœror & obliuio faciebat, ut quod sciebant nescirēt. Iam non est ut dubitemus de Christo, quod nos redemerit. Dicit: Non relinquam uos, nam & resurgam, & inuisam uos, ad me assumam, id est faciam participes gloriæ meæ: etiam hoc maxime consolationis dictum est, Confiditis in deum, qui tanta bona dabit, etiã in me confidite, qui uobis uia paro ad aeterna gaudia.

Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò uadis, et quomodo possumus uiam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum uia, ueritas, & uita: nemo uenit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & patrem meum utiq; cognouissetis, & amodo cognoscitis eum, & uidistis eum.

Thomas auidus certo cognoscendi quonam esset abiturus dominus, Domine, inquit, quum nesciamus quò uadas, qui possumus nosce uiam? Imò utriq; nescimus, quod ais utriq; scire nos. Hoc uehementi quidem sed rudi sermone Thomas ueluti compellebat dominum ut apertius diceret quonam esset abiturus, quod omnes iam dudum misere cupiebant discere. Iesus autē suos paulatim erudiens ac fingens, docet quidem quod scire desyderant, sed tectius adhuc, ut altius inhæresceret quod uix tandem didicissent, nimirum se relicta mortalitate redire ad patrem, unde uenerat anteq; corpus mortale assumpsisset: ad patrem autem nulli patere aditum nisi per filium, qui solus uiam in cœlos aperiret, qui solus cœlesti cognitione fidem hominum instrueret, solus esset immortalitatis fons, cui quisquis inhæreret, huic non esset formidanda mors. Qui fit, inquit, Thoma, ut neges te nosce uiam? nisi forte me totum adhuc ignoras. Siquidē ego sum uia, ueritas, & uita. Iam dixi me redire ad patrem, ad hunc aditum solus omnibus aperio, & quoniam ad hunc fide uera ac uiua, simulq; factis deo dignis peruenitur, in me habetis exemplum, tum autem quoniam sine fide nemo peruenit ad patrem, ex me didicistis ueritatem. Quod si interim per turbat animos uestros formido mortis, scitote certam uobis immortalitatem esse, quum ego sim uita. Tantum quò ego præcedo uos sequamini: quod ego docui, credite & tenete: quod polliceor, certo sperate. Si quaritis quò uadam, ad patrem eo: si uiam qua consequi possitis nosce cupitis, nemo uenit ad patrem nisi per me. Proinde nostis utriq; & quò uadam, & qua sit iter, nisi forsitan metotum ignoratis. Etenim si me cognouissetis nimirum & patrem agnouissetis, imò iam aliquo pacto cognouissetis patrem, quem uobis ignotum esse creditis, nec cognouissetis solum ex legis institutione uerumetiam uidistis eum. Videlicet hoc anigmate dominus Iesus submonuit suos, patrem quidem inuisibilem esse, nec inuisibilem tantum corporeis oculis, uerumetiam animo iuxta suam naturam perspici non posse, sed tamē quodam modo uisum fuisse in filio, dum illum in filio conspiciunt imperantem uentis & mari, imperantem demonijs, uerbo propellentem morbos, quamlibet immedicabiles, uerbo mortuos ad uitam euocantem. Sed hæc mysteria nondum assequebatur apostolorum ruditas. Et tamen perinde quasi uerum non esset quod à domino dictum non intellexerant, ita gestiunt uidere patrem, imaginantes sic posse cōspici patrem, quem admodum conspiciebāt filium: tanta adhuc erat illorū simplicitas, quanquam nec filium uiderant, qui corporeis oculis illum aspexerant.

Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tēpore uobiscum sum, & nō cognouistis me?

B Philippe, qui uidet me, uidet & patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis patrem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est?

Philippus ceteris auidior discendi, Domine, inquit, ais nobis uisum esse patrem, imò utinam hoc nobis largiaris, ut liceat conspicerere patrem tuum, satisfactum esset uotis nostris, nec quicquam desyderaremus: audiuiuis quidem de eo multa, tantum superest aspectus. Tam rudem Philippi postulationem dominus corrigit, dicens: Philippe, tantum iam temporis uobiscum uersor, & nondum cognouistis me? Non ideo me nosti quia faciem uides, sed quoniam uirtutem & ueritatem meam intelligis. Hæc non uidetur oculis corporeis, sed animo cernitur. Quum sim igitur imago patris, illi per omnia similis, meq; ex factis dictisq; iam nosce debueris, longe perfectius quam olim pater in igne agnitus est ab Israele in monte Sinai (porrò nouisse uidisse est) qua frõte mihi dicis: Ostende nobis patrem? Quasi qui me uiderit, non idem uiderit & patrem meum, non quod non alius sit pater quam ego, sed quod inter duos nulla sit dissimilitudo iuxta naturam sublimiorem. Si ratione consequi nõ potes quod dico, uider etiam qui credit. Audisti me loquentem, uidisti me miracula patræ, & omnibus benefacientem, & dei ad homines clementiam ostendentem beneficis potentia diuinæ: in his nimirum patrem audisti, patrem uidisti. An nondum credis quod inseparabili naturæ uoluntatis & uirtutis consortio pater in me est, & ego in patre?

Verba quæ ego loquor uobis, à me ipso non loquor: pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in patre, & pater in me est? Alioquin, propter opera ipsa credite.

Quicquid loquor ex illius animo & spiritu loquor, quicquid facio ex illius sententia facio. Semper itaq; sum in illo propter indiuiduam naturæ uoluntatisq; societatem & unitatem, & ille semper in me per me loquens, per me miraculis suam declarans uirtutem. Nec enim ex me loquor quicquam, quod ille per me nõ simul operetur. Quomodo igitur tu separas inseparabiles, & altero conspecto alterum desyderas conspicerere, altero cognito credis ignotum alterum? An nondum uos quoq; ceteri creditis omnia patris esse quæ per me dicuntur aut geruntur, & nullum inter nos duos esse discrimen? Hoc mihi toties docenti credere debueratis: & si dictis meis parum haberetis fidei, certe facta quæ uis distis deo digna & homine maiora, uobis fidem facere debuerant, patris esse quicquid ex me proficiscitur. Si pater ipse uobis loqueretur, non aliud uobis quam ego loquor loqueretur: si pater per se operaretur, non aliud operaretur quam ego operor. Eadem nobis mens est, eadem uoluntas, eadem uis & natura, per me ipse loquitur uobis, per me agit quæ placent uobiscum.

Amen amē dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad patrem uado.

Hoc credite, hoc tenete, hoc animis uestris infixum habete. Quod si feceritis, nihil detrimenti uobis adferet huius corporis subductus aspectus. Oculis si dei melius cerneretis absentem, & quod nunc uidetis patrem per me agentem, cui modis omnibus inhæreo, idem agam per uos, si mihi per fidem & charitatem inhæseritis. Imò clarius etiam exeram uim meæ diuinitatis, posteaquam hanc infirmitatis speciem uobis subduxero. Imò quisquis se mihi iunxerit per fidem Euangelicam, quemadmodum ego per naturam à patris consortio nunquam

quam se iugor, is per me maiora quoque facturus est quam ego facio, quoties gloria dei poscet miraculum: nam ipse per uos operabor, quemadmodum pater operatur nunc per me. Quoniam autem sic expedit hominum saluti, ut redeam ad patrem, uos in uices Euangelicæ functionis succedetis.

Et quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam, ut clarificetur pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam.

*Infra 16. e. f.
Matth. 7. d
Marcii 11. c*

Nec hoc solum fiet, sed quicquid alioqui petieritis à patre per nomē meum, quod ad patris mei quoque nominis gloriam pertinebit, hoc faciam, ut per uos quoque glorificer apud homines, quemadmodum pater hactenus per filium est glorificatus. Ne uos igitur perturbet abitus meus, iuxta carnis dispensationem migraturus in cœlum, qui lucrī quoque non parum est uobis alluturus. Tum maxime sum uobis ad futurum ad omnia, quæ faciunt ad ueram salutem, quum hoc corpusculum uobis subduxero, & ad patris dexterā fuero subleuatus in gloriam. Tantum petite quod uoletis, audiet pater uota uestra, & ego patronus assiduus apud illum efficiam, ut quicquid petieritis impetretur. Etenim ut ille nihil mihi negat, nihil petenti nisi quod ad illius gloriam facit: ita nihil uobis sum negaturus, hoc agentibus quod ad mei nominis gloriam conducet. Sugeret enim uobis spiritus meus quid oporteat petere. Non istuc est Euangelicæ charitatis argumentum, ob meum abitum discruciarī: sic enim homines exanimantur ob discessum amici, cuius mox sunt oblituri. Multi magi & philosophi fecerunt uaria, nullus tamen ausus est dicere discipulos suos maiora facturos opera post mortem suam. Christus uirtutem concedit discipulis faciendi miracula, unde & promittit. Et si non loquamur de cæcis illuminatis & mortuis suscitatis, similibusque, maximum tamen est, quod per apostolos totus mundus adductus est ad Christum, ad illum, inquam, quem Iudæi crucifixerunt, obstante toto mundo, imperatoribus, populo, philosophis, hæreticis, Iudæis, & Gentibus. Præterea apostoli homines uiles, illiterati, contempti, illi tamen mundo persuaserunt, ut crederent se saluandos per Christum, qui subactus est in crucē. Ego, inquit, faciam. Hic quoque affirmat suam diuinitatem & authoritatem maximam, exaudire petentium preces, quod non est alterius quam summi dei. Non negarim tamen alias res nobis concedi per Christum, si rogauerimus, quæ etiam non spectant directe & de proximo ad celebritatem sui nominis, si quidem illa nobis utilia sunt ad uitam æternam. Digni sumus ut exaudiamur, si uera fide rogaauerimus, iuxta illud, Petite &c. Proinde etiam si aliqua re opus nobis fuerit, eaque res conducat nobis ad salutem nostram, pater non denegabit filiis suis.

Si diligitis me, mandata mea seruate. Et ego rogabo patrem, & alium paraclitum dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia non uidet eum, nec scit eum: uos autem cognoscetis eum, quia apud uos manebit, & in uobis erit.

Si me uere diligitis, quemadmodum ego diligo patrem, ipsa re declarate charitatem erga me uestram: declarabitis autem, si seruaueritis præcepta mea. Ita futurum est, ut quemadmodum pater amat me, nihilque negat, ita uos quoque per me diligat, obsequentes iussis meis, quæ eadem sunt iussa patris. Sic expedit to-

tius orbis salutem, ut hanc praesentiam uobis subducam, nec tamen abiens desisti-
 turam uos desolatos. Imò si perstiteritis in amore mei, si mea iussa seruaueritis,
 exorabo patrem posteaquam ad illum in caelum iuxta carnis dispensationem
 rediero, & ille qui mihi nihil negat, alium consolatorem mittet uobis, qui semel
 missus nunquam abeat à uobis, quemadmodum ego nunc quod ad corporis
 praesentiam attinet à uobis diuellor, sed perseuerabit uobiscum in aeternum. Is
 erit spiritus meus ac patris, qui uos ex carnalibus reddet spirituales, & istum af-
 factum humanum, quo me nunc prosequimini, uertet in amorem caelestem,
 quicquid uobis arcanis affatibus suggeret omnium ueritatem, quae nunc ueluti per
 somnium ac nebulam intelligitis. Hoc mei pignus erit uobis peculiare. Nam
 ego interim bonis & malis memet exhibui communiter, ne quis excusare pos-
 set se non inuitatum ad salutem. Ceterum spiritum illum, quoniam caelestis est
 & uerax, mundus hic qui terrenis & falsis bonis inhiat, non potest accipere.
 Quam ob rem non potest? Quia quum habeat oculos crassos, qui non amant
 nisi crassa terrenaque, non uidet illum, nec nouit illum: tacitus enim illabatur hu-
 canis animi sensibus, sicubi sedem congruam repperit. Vos autem si spre-
 ius mundi praestigijs, uera bona sectabimini, cognoscetis illum, quoniam non
 solum ueniet ad uos, quemadmodum ego ueni uisibilis, sed & permanebit a-
 pud uos, ita uersabitur apud uos, quemadmodum patronus apud clientem,
 sed in intimis animorum uestrorum latebris habitabit, seque uestro spiritui con-
 glutinabit, ut unus spiritus efficiatur in omnibus. Is quum insitus erit praeco-
 dijs uestris per omnia uos comitabitur. Nec longum erit interuallum, quum
 hic uicarius consolator ad uos uenturus est. Quare non est quod exanimetur
 cor uestrum filioli, quos utcumque genui sermone caelesti, & rudes licet foueo,
 donec adolescatis ad robur Euangelicum.

**Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos. Adhuc modicum,
 & mundus me iam non uidet. Vos autem uidebitis me, quia ego uiu-
 & uos uiuetis. In illo die uos cognoscetis quia ego sum in patre meo, &
 uos in me, & ego in uobis.**

Quamquam ad tempus abeo, nec amplius mortalis cum mortalibus uicturus
 sum, tamen nec interea relinquam uos orphanos, meique solatio desitutos. Rur-
 sus enim ueniam ad uos prius quam remigrem ad patrem meum, meque uestris ocu-
 lis sum exhibiturus, uero quidem sed non iam mortali corpore, quo uos paulatim
 à carnis admiratione et amore proueham ad spiritum. Nihil enim magni sit,
 si corpus hoc perpetuo uobis attrectandum uel contemplandum praeberem, quod
 impij quoque uident in suam ipsorum perniciem. Exiguum itaque tempus est, quum
 me mundus hic non uidebit. Mors enim & sepulchrum subtrahet me conspe-
 ctibus illorum, uos tamen reuisam, meque uobis rediuuium exhibebo. Nunc enim
 mors haec distrahet uos, nec impediet quo minus uos inuisam. Uiam enim
 etiam post mortem, & non solum ipse uiuam, sed etiam uobis uitam perennem
 conferam. Et interim ubi rediero, uiuus offendam uiuos, atque ita meam uitam
 impendam uobis, ut uos sitis incolumes. Tum plenius intelligetis, quod quem
 admodum nulla res diuellere potest à me patre, nec me à patre, ita me quoque uo-
 bis sic agglutinatum esse mutua charitate, uosque uicissim mihi, ut nec mors pos-
 sit nos distrahere. Vos tantum curate, ne uestra culpa diuellamini. Obscurita-
 tem in uerbis illis fidelis bene intelligit, quomodo Christus sit in patre, & quo-
 modo in nobis, & nos in Christo. Geminam enim Christus naturam habet, di-
 uinam

uinam & humanam, per diuinam æqualis est patri, per humanā nobis. Est igitur in patre suo, quia eiusdem naturæ & potentia cum patre. Est & in nobis, quia homo nobis similis, & communicans nobis suum spiritū. Sicut pater communicat naturā diuinam filio, ita cum filius deus & homo sit, quatenus accepit diuinum spiritum, eatenus nobis eundem impartitus est: ita nos quoque sumus in ipso, quia participes spiritus illius, & ita unum corpus efficimur cum Christo. Sic cum scriptura unitatem nobis cōmendat filij cum patre, non solum de unitate animorum, sed etiam de unitate id est naturæ, dignitatis, gloriæ, & potestatis intelligendum. Sed non erimus omnibus modis Christo similes, quia nō sumus naturales filij, sed adoptiui per Christum, eiusdem tamen spiritus capaces erimus, sed modo nostro. Si itaque uideris Christianum uerum, in corde tuo agnoscas uidere te Christum in illo, & illum in Christo.

Qui habet mādāta mea & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligitur à patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.

Veram charitatem arguet obseruatio præceptorum meorum. Nec enim ex animo diligit, qui iussa negligit domini sui. Nec satis est accepisse præcepta mea nisi quis meminerit, nec sufficit meminisse nisi seruentur. Hæc qui præstat ille uere me diligit: nam ob abitum meum excruciarī non est ueræ dilectionis argumentum. Ego qui uere diligo patrem, omnia illius iussa seruo, seruaboque usque ad mortem crucis. Nec est quod uos territent mea præcepta ueluti austerā, de ferendis iniurijs, de tollenda cruce, hæc omnia condulcabit charitas, nec deerit ex me solatiū. Etenim quisquis me diligit, diligitur à patre meo, & ego diligam eum, nec unquam illum destituam, sed reuisam eum, meque illi palam intuentum exhibebo, quo certius sit me non perisse supplicio crucis. Nunc omnibus me conspiciendum exhibeo, tum nemo me uidebit nisi qui in amicitia perstiterit. Hæc autem obscurius loquutus est dominus Iesus, non solum indicans quod etiam quod per spiritum suum semet insinuaturus esset illorum animis, ac potestremo uenturus esset in gloriam patris omnibus cōspiciuus. Dices autem: Quis unquam mortalium seruauit mandata dei? unus impleuit Christus. Nostrum uero est, quotidie ad hoc eniti ut illa seruemus: quotidianum nostrum studium, si ex fide proficiatur, imputabitur nobis pro impletione: in hoc enim dei charitatem declaramus uigere in nobis. Non dico si ita seruemus, ut meritum inde nobis imputandum speremus, sufficit seruo studium assiduū seruandī mandata domini sui. Sed planè ostendemus nos fidei & charitatis in deū expertes, si uirtutum studia nulla in nobis deprehenderimus, si mandata dei non cogitauerimus, si pro illorum obseruantia deum non assidue imploremus.

Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, quid factum est quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo. Respondit Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meū seruabit, & pater meus diliget eū, & ad eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus.

Iudas ille nō Iscariotis, qui huic sermoni non interfuit, sed alter cognomento Lebbeus, quum non satis intellexisset sermonem domini, uerū mœrore metu quoque perturbatus suspicaretur dominū sic appariturū amicis, quemadmodum lemures ac spectra nocturnis sese tenebris nonnunquam offerunt, aut quemadmodum in somno uisa quædam occurrunt, ad terrorem uerius quam ad solatiū, De-

mine, inquit, quid accidit quod quum nunc omnibus sis conspicuus, tunc non sis appariturus mundo, sed nobis dumtaxat? Et quomodo poteris nobis esse uisibilis, si ceteris fueris inuisibilis? Iesus autem quoniam sciebat suos nondum capaces esse eius mysterij, quomodo resurgat idem corpus quod fuerat mortuum & humo conditum, sed iam immortale redditum suique iuris, non aperte respondit ad id quod rogabatur, sed ad id sermonem reflectit, quo magis oportebat illorum animis infixum esse, quo iam prepararentur ad spiritualem celestemque dominici copiam, quandoquidem nec illa quae post resurrectionem erat exhibenda posset diuturna esse. Ideo, inquit, non exhibebo me mundo, hoc est indifferenter omnibus hominibus bonis & malis & iuxta mundi corruptionem uiuentibus, quia non me iste mundus diligit, nec seruat mea praecpta. Si quis uere diligit me, non de absentia mea corporali moerore testabitur amorem suum, sed seruandis praecptis meis, & hunc ego uicissim diligam; & quem ego dilexero, diliget hunc & pater, nec ab eo diuellemur unquam, nec solum ego reuisam memoriam iussorum meorum, uerum etiam pater egoque per communem spiritum ad eum ueniamus; nec ueniamus tantum mox abituri, sed mansionem apud eum faciemus, nusquam ab eo digressuri, quod secundum spiritum sit & perpetuum & efficax. Corporalis coniunctio sinem habeat oportet, ut contemptis his quae temporaria sunt, ea consuefcatis diligere & appetiari quae sunt aeterna. Si nondum ad nos uenire poteritis, nos inuisibili modo sed efficaci ueniamus ad uos, pectoris uestri consecratum fide & charitate templum inhabitaturi. Tres sumus, sed ita unum, ut qui unum diligit tres diligit oportet, qui unum habet, nemine careat. Tantum adsit charitas, & seruetur foedus, quod uobiscum modo pactus sum, id nos uobis sic conglutinabit, ut nec uita nec mors nos possit distrahere. Si membra possunt a capite diuelli, nos seiungi poterimus. Non diligit autem Christum, qui mundo addictus est: qui contemnit sermones dei, is contemnitur a deo patre, neque eximium illud donum recipiet, scilicet spiritum sanctum: non est enim eius templum in quo deus manere possit. Licet autem nunc fideles Christum cognoscamus & diligamus; agnoscimus tamen solum tanquam in umbra & figura per fidem, postea facie ad faciem contemplaturi.

D qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me, patris.

Multi sunt qui se praedicant diligere deum patrem, & legis praecpta seruare uidentur, sed nemo uere diligit deum patrem, si filium oderit aut contemnat. Contemnit autem quisquis praecpta mea non seruat; quisquis autem negligit praecpta mea, negligit & dei praecpta. Siquidem id quod docui uos, non est sic mea doctrina, ut non sit eadem patris, sed potius patris est quam mea, hoc est hominis uel humana: a patre enim proficiscitur quicquid possum aut doceo, nihil agens nisi ex illius autoritate, a quo missus sum in mundum, ut haec docerem quae doceo, quae mundus capere non potest, sicut nec spiritum sanctum, quamdiu manet mundus, hoc est homines mundani addicti rebus humanis. Quin potius perpetuo mundus Christi uerbum irridet, & habet pro fabula, ideo non mirum patrem non locupletare mundum spiritu sancto, uel eidem manifestari Christum.

Haec loquutus sum uobis, apud uos manens. Paraclitus autem spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & suggeret uobis omnia quaecumque dixerero uobis,

Atque

Atque hæc quidem pro uestro captu loquutus sum uobis, mortalís adhuc uer-
 fans apud mortales, mox reuísam uos dies aliquot, immortalís cū mortalibus
 consuetudinem acturus, consolandi, docendi, monēdiq; uestri gratia. Nec me
 clam est, quod hæc quæ nunc loquor ac mox à morte loquutus sum, non ad
 plenum sitis intellecturi, quod adhuc carnales sitis & rudes, tamen non frustra
 dicuntur à me. Nam ubi corpus hoc à uobis subduxero, ueniet uobis in nomi-
 ne meo petentibus alijs consolator: non corporeus, quemadmodum me uide-
 tis, sed spiritus ille sanctus spirituum ac mentium sanctificator, quem pater uo-
 bis missurus est mihi uicarium rogatus à uobis in nomine meo. Nec egebitis
 posthac mea præsentia corporali, quæ pro tempore data est hominum crassitu-
 dini, quo per gradus proficerēt ad perfectiora. Nam ille spiritus, quoniã meus
 erit & patris, omnia quæ loquor uobis rudibus adhuc & parum capacibus, ad
 hæc obliuiosis, suggeret in memoriã, & quæ prius non intellexeratis efficiet
 ut intelligatis, neq; quicq; uos patietur obliuisci, neq; quicq; sinet ignorare qd
 ad salutem pertinet, ex obliuiosis reddet memores, è tardis dociles, è somnolen-
 tis uigiles, ex mœstis alacres, ex terrestribus cœlestes. Tantum perseuerate in
 charitate, memores præceptorum meorum. In epistola sua Ioannes dicit: Vn-
 ctio docet credentes, quidnam faciendum sit: non ut omnes disciplinas tenea-
 tis, & quicquid in omnibus scholis docetur, ut quidam nugati sunt de ceremo-
 nijs & humanis episcoporum constitutionibus & concilijs, uel ut aliud quip-
 piam esset docturus, sed quæ scitu sunt necessaria ad salutem, uult dicere, cœ-
 lesti doctore implebo, qui faciet uos à deo doctos.

**Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis: non quomodo mū-
 dus dat ego do uobis.**

Non uos interim exanimet tumultus huius mundi, quem in me uidebitis
 exoriri, olim & in uos cooriturum. Sufficiat uobis quod abiēs pacem relinquo
 uobis, quod pacem meam do uobis. Qui meam habet pacem hunc nulla mun-
 di tempestas potest subuertere. Habet & mundus suam quandam pacem, et his
 quos amat dat pacē suam, sed hæc inuida pax est. Mea pax quam uobis do, uos
 conciliat deo. Quis autem noceat ei qui deum habeat protectorem? Pax quam
 uobis relinquo, mutua concordia cōglutinans uos reddet sodalitiū uestrum
 inuictum aduersus omnia quæ potest mundus aut satanas huius mundi prin-
 ceps. Quid igitur est quod tantopere uos exanimet abitus meus, qui commodi
 quoq; nonnihil uobis est allaturus? Dabo uobis solidam ac semper duraturam
 pacem, & felicitatem qualem ego possideo. Mundi huius felicitas temporaria
 est & minime sincera, quia stulta est huius mundi securitas. Mūds sic dat pa-
 cem, ut fugiat homo crucem. Non est illa pax uera. Crux est approbatio huius
 pacis, & gloriatio huiusmodi pacificorum. Neq; erit exosa uel inuisa crux fide-
 libus. Pacem quam Christus dat illa exuperat omnem mentem.

**Non turbetur cor uestrum, neq; formidet. Audistis quia ego dixi
 uobis: Vado et uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utiq; quia ua-
 do ad patrem: quia pater maior me est.**

Non igitur cor uestrū turbetur, neq; metu percellatur. Iam audistis, & quo
 magis credatis iterum atq; iterum dico, quod ab eo quidem ad tempus, sed mox
 rediturus ad uos interim efficiam ut uos reperiam incolumes. Hæc tempestas
 in me solum nunc defæuiet. Mox ubi patrem repetiuero, rursus adero per spiri-
 tum consolatorem. Per eundem aderit & pater, nec unquam à uobis diuelle-

mur, donec nobiscum toti sitis in regno cœlorū. Mœretis quod abeam. Atqui si me uere diligeretis, nimirū gauderetis uestro simul & meo nomine, quia non ab eo quouis, sed ad patrē redeo, apud illum maiora uobis impetraturus, quando pater maior est me, unde proficiscitur quicquid uobis impartio. Si mihi metuitis meaq; gratia mœretis, magis conueniebat gratulari, qui subducar ab his mundi malis, & ad patris remigrem consortium; sin uestra causa doletis, meus abitus uobis magnam adferet utilitatem. Arrius inde argumentum accepit sughæreseos, quasi Christus secundum diuinitatem minor sit deo patre, sed sermo iste nequaquam sic est exponendus. Quandoquidem in alijs locis diuersum inuenimus. Imò totus Euangelista incumbit, ut pater & filius æquales sint. Quasi si dicat; iuxta humanam naturam, id est qualem me uidetis, pater fortior & maior me est. Vos tristamini. Si ueri amici essetis, gratulari debebatis de maiori dignitate mea. Vado ad dignitatem patris, & transferet me pater ad tam excellentem dignitatem, quam sum habiturus, quam & habui antequam mundus fieret cum apud patrem essem uerbum deus, per quem omnia creata sunt & subsistunt ante sæcula natus & patri æqualis.

Et nunc dixi uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquor uobiscum: uenit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio.

Hæc omnia scio me uobis loqui non admodum attentis, nec admodum intelligentibus. Sed ideo repeto & inculco, ut ubi quod dixi rerum exitus comprobabit, tum credatis & reliqua omnia fore uera, quæ post euentura prædixi. Posthac mortalis cum mortalibus non multa loquar: instat enim tempus, quo distrahar à uobis corpore. Adest p suos satellites huius mūdi princeps ille satanas, summis uiribus aggressurus me, ut prorsus eiiciat & extinguat, sed nihil ab eo periculi est: nam in me nihil habet iuris, & dum se maxime uictorem esse confidet, se uictum prostratumq; comperiet. Non habet ille ius nisi in eos qui peccato sunt obnoxij. Quoniam autem mundus uitijs obstrictus est, in mundi cultores habet tyrannidē. Nec enim morior coactus, nec ob ullum facinus, sed ut mea morte redimam mea membra à peccatis mortisq; tyrannide. Hoc mihi mandatum est à patre meo, & quod mandatum est, ex illius facio sententia. In summa, his uerbis indicat se proximum esse morti, iamq; appropinquare satanam. Videbat etiam Christus in spīritu, quanta sollicitudine Iudas obambulat in aulis principum & summorum sacerdotum, ut colligeret exercitum, cui traderet Christum. Diabolus uenit in his quibus dominabatur. Non sentient dum cum Manicheis qui putabāt dæmonem principem huius mundi, ut negarent mundum à deo bono conditum, sed à malo.

Surgite, eamus hinc.

Satis iam diu sumus in hoc accubitu, tempus est, ut quoniam uolens exequor iussa patris, obuiā uadam instanti morti. Surgite itaq; et eamus hinc. Dominus Iesus uidens discipulos multis animo cōsternatos, partim mœrore quod uiderent instare mortem domini, quem amore quidem humano sed uehementissime diligebant; partim metu malorū, quæ illo digresso sibi uidebant impendere, tum autē somno grauatos, quem & nox conciliabat, & augebat mœror, addebat & sessio torporē animis, surgere iubet, ut uel sic excusso torpore redirentur ad ea quæ diciturus esset alacriores, simulq; per anigma submonet, iam

iam esse tempus, ut animum erigant ab affectibus terrenis ad ea quæ sunt cœlestia, à corporalibus ad spiritualia, à mortalibus ad immortalia, à temporarijs ad æterna. Voluit & illud esse impressum mentibus illorum, se quicquid passurus esset præscium ac uolentem pati, uolente quidem ita patre, à cuius uoluntate uoluntas ipsius nusquam dissideret. Voluit suos quantum imbecillitas humana ferebat testes ac spectatores esse sui supplicij. Eoq; frequenter in hoc sermone repetit mentionem abitus, quo paulatim assuescerent tolerantiæ, sed interim multa admiscens solatia, quæ doloris acerbicatem lenirent, quod abiret quidem, sed breui reuersurus ad eos, quod abiret ad patrem, quod inde missurus esset alium consolatorem, qui perficeret quod ipse cœpisset, quod ipse quoque unà cum patre uenturus esset, & mansionē apud illos facturum, quod hæc tempestas non esset eos absorptura. Quid quod & in alium abducit locum? Quod is in quo tum erant manifestus esset, & quoniā audierant, iam adesse principē huius mūdi, sibi metuebant à communi periculo. In alium itaq; locum uelut insis tutiorem abducit, ut cætera fidentioribus animis audiant. Deniq; prædicat quod ipsi tandem essent eodem sequuturi, quò nunc ipse præcederet. Nunc redit ad eum sermonem, quem penitus oportebat insidere mētibus illorum, quomouerat illos, ut perseverarent in charitate, & obseruandis præceptis suis, ne suo uitio sese distraherent à consortio patris filij & spiritus sancti, à quo Iudas iam se diuulserat, sed permanentes in fœdere domini sui dictis obtemperarent, facta pro sua uirili imitarentur. Hoc autem non posse fieri nisi perseverarent in consortio spiritali filij. Nec sibi tamen fiderent interim, aut quicquam suis uiribus arrogarent: nihil enim illos ualituros unquam nisi domini beneficio, unde profluit omnibus quicquid ad ueram salutem facit, id quo magis intelligerent ac tenacius meminissent, adhibita rei notissimæ similitudine uitæ ac palmitem explicat.

CAPVT XV.

Ego sum uitis uera, & pater meus agricola est.

A

Ut, inquit, penitus intelligatis quàm nihil sit uobis periculi, si perstiteritis per fidem in meo consortio: quantum autem sit periculi, si deficientes à fœdere quod uobiscum pactus sum diuellamini, meminitote, quod ego sum uera uitis, uos palmites, pater autem meus agricola est. Ego uel radix uel stirps uitis sum, uos membra mea ceu palmites è stirpe prognati. Pater me plantauit nimirum qui genuit. Ab hoc stirps est profecta, uos à stirpe. Ad patrem uelut ad fontem redit totius beneficij gratia, qui quicquid uobis largitur, per me & spiritum suum uobis largitur. Succus autem stirpis, qui palmibus quoq; dat uitam ac fructificandi uim, spiritus est, patri mihiq; communis. Is ut me patri connectit, ita uos quoq; mihi copulat. Palmes igitur quisquis mihi adhaerens meoq; spiritu uiuens fructum stirpe dignum attulerit, hunc pater meus repurgabit superuacuas amputans cupiditates, quo fructum adferat copiosiore ac generosiore.

Omni palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.

Qui mihi quidem inhæserit per fidei professionem, charitatis autem Euangelicæ fructum nullum adferat, hunc pater amputabit à uite, uelut onerosum & inutile membrum: frustra enim est in uite, qui fructum non habet, sed folia tantum. Iam uos quidem hætenus purgati mundi q; palmites estis, per sermo-

Qq

nem meum cui credidistis, sed posthac magis etiam purgandi, quo copiosorem fructum proferatis. Nunc satis est insitos esse stirpi, unde per fidem uitam hauriatis. Date operam, ut maneatis in me, & ego uicissim agam in uobis ex me pendentibus, ut multum fructum afferatis, sic a me purgati, per crucem scilicet & aduersitates, quae est aliquanto amarior, & iudicio quoque suo, quo probat qualis quisque sit. Omnis enim tribulatio in utilitatem cedit electis talibus, & non permittit ultra nos tentari dominus quam ferre possumus, & purgat palmitem frugiferum ut maior sit fructus in illo. Vnusquisque uitis & palmes potest appellari, ut & in Christo membra. Eadem enim natura nostra est quae & Christi, implantati propter naturam, quia nostram naturam assumpsit Christus, qui primogenitus est uniuersae creaturae, qui eandem naturam habet cum suis palmibus, quos succo diuini spiritus sui foecundat, ut fructum bonorum operum proferant. Licet autem ex fructibus cognoscere qualis succus sit in arbore: sic ex nostris operibus apparet quales simus.

Iam uos mundi estis propter sermonem quem loquutus sum uobis. Manete in me, & ego in uobis.

Non habeo iam uos inter palmites aridos & infrugiferos, qui nullum sint fructum prolaturi, sed per fidem mundati estis aliquo modo, & per sermonem fidei quem sum loquutus, ideo & frugiferi. Qui credunt manent in Christo, suntque puri & capaces spiritus sancti, si tamen perseverare pergant a Christo toties moniti, ut multum fructus adferant, ex fide uiuificante animum per spiritum Christi, per quem in Christo manemus.

Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in uite: sic nec uos nisi in me manseritis.

Quemadmodum palmes si diuellatur a uite sua, non potest ex se fructum ullum facere, quod quicquid habet succi trahat a stirpe: sic nec uos poteritis ullius boni operis fructum adere, nisi mihi per fidem ac dilectionem adhaeritis, unde uobis proficiscatur oportet quicquid ad ueram aeternamque facit salutem. Nunquam autem succi mei participes eritis nisi per fidem. Cap. 6, supra eadem dicitur in istis uerbis, Qui de illo pane manducauerit &c. Nam fide manemus in illo, & ipse per spiritum suum operatur in nobis charitatis opera. Quid est manere? Adferre multum fructus, non sua natura, sed ut accipit a Christo efficaciam per spiritum sanctum, ita erit fertilis & frugifer. Hic quoque manifeste apparet, nihil nos posse nostris uiribus, nisi gratia diuinitus subministraretur, contra eos qui nimium tribuunt arbitrio humano. Quid habes quod non accepisti? imo ne cogitare potes sancte uel pie, uel exordiri, uel progredi, uel perseverare. Oportet initium medium & finem deo tribuere, quicquid bonum uel sanctum, hoc omnino huic fonti acceptum referendum est. Peccamus autem non nisi nostra culpa.

Ego sum uitis, uos palmites: qui manet in me, & ego in eo: hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.

Nec Moses nec ullus prophetarum uitis est, sed ego sum unica uitis illa, cui inhaereat oportet quisquis fructum salutis uolet proferre. Huius uitis uos estis palmites, cui gratis estis insiti, gratis purgati, sed unde uestra culpa possitis excidere. Quare uobis hoc curandum, ut mihi perpetuo iungamini. Etenim quisquis manet mihi coniunctus, me sibi uicissim coniunctum habens, meoque uiuens spiritu: hic aspirante patre copiosum fructum profert, sibi salutem aeternam lucrificans, & deo, cuius gratia fiunt omnia, gloriam apud homines concilians. Et

Et illius gloria mea est gloria, per quem largiri placuit quicquid largitur hominibus ad salutem aeternam consequendam. Hoc igitur mementote, quod absque me nihil boni potestis facere. Generalis sententia est, qui non rarus scripturae est mos, ut sententiam subiungat, quae multis locis congruat, tamen in proposita materia maxime. Ex nostris uiribus nihil possumus, maxime in Euangelico profectu, & nisi in Iesu Christo fuerimus, nihil plane efficiemus. Quod si respexerimus nos, qui uerbi domini dispensatores sumus, utique memores officii nostri erimus. Si non unicus scopus noster Christus est, & si non ipse possidet pectora nostra, frustra laborabimus. Si addicti hisce terrenis rebus uel uanam gloriam sectabimur, non admodum studiosi erimus quomodo fructum multum afferamus, sed frigide de rebus Christi loquemur. Et Christum huc spectare sequentia conuincunt.

Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palme, et arefcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.

Quod si quis palme suo uitio sese a me stirpe reuulserit, is non solum nullum aedet fructum, sed quemadmodum palme inutilis falce amputatus exarefcet, moxque collectus cum reliquis sarmentis exsectis in ignem conicitur ut ardeat: ita destitutus succo spirituque meo emoritur iuxta mentem, etiamsi uiuat iuxta corpus. Et post hanc uitam separatus irrecuperabiliter a uita, conicitur in ignem aeternum, semper arsurus ad suum supplicium, qui noluerit in uita permanere fructus aediturus felicitatis aeternae. Multo grauissimum est ei eici e regno dei quam e principatu aliquo, & proijci in aeternum ignem, flagrareque perpetuo: hancque poenam minatur, nisi quis in ipso manserit. Perfidorum hominum non erit alius fructus quam ut gloria dei innotescat. Itaque primo minatur non manentibus in ipso, secundo nunc allicit promissionibus praemiorum.

Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quodcumque uolueritis petetis, & fiet uobis.

Manebitis in me si sermones mei manserint in uobis, si quae creditis tenueritis, si quae tenetis factis exequamini. Hoc si feceritis non est quod ullas hominum procellas metuatis, & si nondum a deo corpore, tamen audiet uos pater, auctorem & ipse, si quid uolueritis petatis, & quicquid petieritis impetrabitis. Quem admodum autem ex uobis non habetis unde possitis aedere fructum, ita non debetis benefactorum gloriam uobis arrogare. Omnia ista commendant nobis per seuerantiam, quod si tales futuri sumus, & in ueritate Christum sequimur, promittit ipse omnes preces exaudiendas: quia non nisi optima petunt boni, & quae non dubitant placere deo, & quae spectant ad gloriam dei. Terrena non nisi cum conditione petunt, & semper suam uoluntatem diuinae subiiciunt. Summa felicitas, quando uoluntas nostra consentit cum uoluntate diuina.

In hoc clarificatus est pater meus, ut fructum plurimum afferatis, & B efficiamini mei discipuli.

Quemadmodum ego non quaesivi gloriam meam, sed patris unde proficitur quicquid sum aut possum: ita & uos omnem benefactorum et gratiam et gloriam ad patrem meum refertis. Per hoc apud homines illustratur gloria patris, si uos uiderint quam plurimum Euangelici fructus adferre. Quicquid enim ex uobis mihi accedet gloriae, id redundabit in gloriam patris, cui laudem pariet apud homines, si uiderint uos discipulos germanos esse filios, non quod nos habeamus opus humana gloria, sed quod sic expediat humani generis saluti, quam

litimus. Charitatis est nō ambitionis, q̄ pater sic illustrari cupit apud homines,

Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego praecepta patris mei seruauit, & maneo in eius dilectione.

Quemadmodum dilexit me stirpem pater, itidem & ego dilexi uos palmite meos. Hoc tam ingens bonum gratuito donatum magna sollicitudine seruante, ne uestra negligentia uobis pereat. Non peribit autem, si quemadmodum ego usq̄ ad mortem perstiti in charitate patris, semper illius gloriae studens, ita uos, si perseueraueritis in charitate mea. Perseuerabitis autem, si praecepta non pharisaeorum, non philosophorum, non hominum quorumcunq̄, sed mea seruaueritis, neq̄ uos ab illis ulla mundi res seu blanda seu formidabilis poterit distrahere, quemadmodum ego constanter ad mortē usq̄ seruo iussa patris mei, non recedens ab illius charitate, sed factis ipsis declarans me illius erga me charitati charitate mutua respondere. Vt igitur patri gloriosum est talem habere filium germanū ac sese dignum, ita gloriosum erit unicuiq̄ uestrū quod uos habeatis discipulos obseruantes sermones meos & operum sectatores.

Hac loquutus sum uobis, ut gaudium meū in uobis sit, & gaudium uestrum impleatur.

Hac tamen molestiam habent admixtam, tamen ideo uerbis uobis inculco, ut quemadmodum ego non quaesui gaudium huius mundi, sed in hoc gaudeo deo, quod obsequens iussis paternis diligor à patre: ita uos non petatis solatium à mundo, sed meo gaudio gaudeatis, si quando meis uestigijs ingredienti affligimini, idē gaudium maneat in uobis, semper augescens in maius meliusq̄, donec impleatur in perpetuam immortalis uitae felicitatem. Erit uobis medijs in malis magno solatio mutua charitas. Sic Christus omnibus modis ostendit q̄ tenero affectu suos diligit. Quid mirū est, si adeo de salute uestra gaudeat, qui etiam pro uobis passus est?

Hoc est praeceptum meum, Vt diligatis inuicem, sicut dilexi uos.

Pharisaeorum uaria sunt praecepta, multa sunt & Mosi, unum hoc est praeceptum proprie meum, quod omnia complectitur quae doceo, quod omnia condulcabit quae inciderint tristitia, ut ea charitate uos mutuo complectamini, quae ego uos sum amplexus. Repetit saepe mandatum suum, ne quis discipulorum diceret, Quod est mandatū tuum, et in quo tibi parebimus? si abes, non possumus te sequi, ardua sunt quae à nobis exigis. Ideo solam fidem cum dilectione iniungit, Dilige proximum tuum propter Christum, quos et ille dilexit, qui ipsius sunt quoq̄ propria membra. In hoc praecepto omnia alia recapitulantur. Est enim adimpletio legis charitas, quae leges omnes interpretatur, & cum fide de scripturam uniuersam. Quod charitas praescribit & approbat, licitum est & bonum: quod contra est, illicitum & prophanum. Sic, inquit, dilexi uos, prior ego uos dilexi. Si salus proximi postulat, etiam nō dubitabitis periclitari: alias uirtutes Christi & dilectionem impossibile est assequi.

Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

Amorem meum non tantum dictis sed factis etiam testor: nec enim uulgare, sed eximium, & quo maior esse non potest inter homines, inter quos nullum maius est indicium charitatis, quam si quis uitam impendat pro amico: nam sua cuiq̄ uita charissima est. Pecuniam aut operam qui impendant fortassis reperientur

Supra 13. d

Eph. 5. a

2. Thes. 4. b. c

2. Ioan. 3. d. 4. d

perientur permulti, qui uitam impendat amico rarus est. Ego plus præsto qui pro inimicis etiam uitam impendo modo fiant amici. Et interim amicos honoris gratia uoco, quos meo iure seruos appellare possem. Huic tantæ charitati addi nihil potest, qua mortuus est pro nobis Christus, cuius memoriale instituta est cœna dominica, non quod maior sit manducatio carnis quàm ipsius passio pro nobis, quam apostolus mandat annunciari per cœnam. Parū erit quicquid boni fratribus facimus, si comparemus ad ea quæ Christus prior fecit.

Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio uobis. Iam non dicam uos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autē dixi amicos, quia omnia quæcuncq; audiui à patre meo, nota feci uobis.

Vos ego non pro seruis sed pro amicis habeo, si quemadmodum ego uolēs obtempero iussis paternis, ita uos alacres ac lubentes peregeritis quæ præcipio uobis. Qui legis cultores sunt merito serui uocantur, quoniam ex præscriptis uarijs pendunt, ac metu potius quàm ex animo quod præscriptū est faciunt. Vos autem quos à legis seruitute uocaui ad libertatem Euangelicam, posthac non appello seruos, sed amicos, ut quos mihi non necessitas iungit, sed mutua charitas. Seruus enim non intelligit quid sibi uelit dominus, tantum quod iussus est facere facit, nihil magni præmij sperās, si fecerit: magno malo plectendus, si iussa neglexerit. Et ad officia singula singulis opus est præscriptis, Vade, Redi, Fac hoc, Fuge illud. Non enim credit herus sua consilia seruis, ideo malæ fidei, quia metuunt magis quàm amant. Vos autem idcirco dixi amicos, quia semel omne consilium animi mei communicauit uobis, ut non sit opus subinde nouis præceptis hominum. Quicquid pater uos per me scire uoluit, hoc tanquā fidis amicis impartit. Certa sunt quæ uos docui: nec enim alia docui quàm quæ audiui à patre meo. Mea præcepta illius præcepta sunt, quæ seruantes illi quoq; eratis pro seruis amici.

Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & posui uos ut eatis & fructum afferatis, et fructus uester maneat, ut quodcuncq; petieritis patrem in nomine meo, det uobis.

Quo magis intelligatis quantus sit honos huius dignationis erga uos, non uos me uestris officijs prouocastis ad amicitiam, ut debiti sit redamare, aut ultrò uenistis ad amicitiam, ut humanitatis sit redamare, sed ego cum estis serui legis & alieni ab amicitia dei, uolens & ultrò elegi uos ab omnibus, nihil promeritos: & in hoc delegi, ut mihi insiti per mutuam charitatem, quæ erga me non haberetis, nisi prior ipse dilexisssem uos, semper in melius proficiatis. Quemadmodum palme succo uitis semper alitur, latius sese propagine spargēs: ita uos quoq; per omnes orbis regiones copiosum Euangelij fructum proferatis, atq; ita profitis alijs, ut fructus uester uobis quoq; maneat incolumis. Vitis em̄ uulgaris alijs fructum ædit, eumq; mox periturum, & ideo palmites eius temporarium fructum ædunt, quoniam adhærent uiti perituræ. Vos quoniam adhæretis immortalis stirpi, fructum adferetis nunquam periturū, sed uos incolumem perfecturum in uitam æternam. Nec interim est quod dicatis, Ingens est labor obire mundum, docere gentes, perpeti malorum odia: quid salarij, quid præsidij, quid præmij nobis decernitur? Valeant ista mundi præsidia. Hoc uobis omnium præmiorum ac præsidiorum loco sit, quod quicquid petieritis à patre in nomine meo, daturus est uobis. Quid est facilius q̄ petere? Quid est autem

quod ille non possit largiri? Quid est porrò quod ille mea causa non uelit? Nec sunt dura iussa mea.

Ioan. 3. b. d
4. d

Hæc mando uobis, ut diligatis inuicem. Si mundus uos odit, scitote quia me priorem uobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat, diligeret, quia uero de mundo non estis, sed ego elegi uos de mundo, propterea odit uos mundus.

Quid dulcius quàm amare mutuum? Qui tam sunt imbecilles, quos nõ for-
tes reddat amor mutuus? Quid tam triste, quod non dulce reddat mutua chari-
tas? Neq; uos illud moueat, quod dum mecum habetis amicitia, dum inter uos
mutua charitate cohæretis, cum mûdo diffidium & simultatem habebitis. Imò
istuc ipsum uestros animos consolari debet, quandoquidem hoc argumento
cognoscetis uos esse uere meos discipulos & amicos, nimirum alienos à mun-
do, qui totus in malitia situs est, quum uos cœlo destinati sitis. Ne uideatur in-
dignum uos in mûdo perpeti, quod ego prior uobis sum perpeffus. Odit & me
mundus, non quod merear, sed quod arguam ac prodam illius malefacta, do-
cens ea quæ non congruunt mundanis affectibus. Nouit ille suæ factionis ho-
mines, eosq; complectitur & euehit, ut similis amat similem, & mala scabies a-
mat commode scalpentem. Infelices igitur, quibus hic mundus blandus est &
amicus. Nam hoc arguit eos alienos esse ab amicitia dei, quæ sola uere felices
reddit. Quod si uos oderit mundus, agnoscite meum exemplum, & uobis ipsis
gratulamini, quod à mundi consortio sitis alieni, sed adhæreatis contubernio
meo. Nam hoc intelligetis ex odio mundi, quod mearum partium sitis. Etenim
si pertineretis ad mundum, si diligeretis ea quæ sunt huius mundi, si doceretis
ea quæ congruunt cupiditatibus mundanis, mundus agnosceret uos, ac uelu-
ti suos amaret: quoniam autem non ea sectamini quæ sunt carnis, sed quæ sunt
spiritus, non inhiatis bonis terrenis, sed cœlestibus, ideo uos odit mundus, non
quod odio digni sitis, sed quod malo & impio dissimiles. Antea cum crassis le-
gis ceremonijs perfectam iustitiam constitueretis, quũ rebus fluxis intenti nul-
lo cœlestium rerum amore tenebamini, mundus uos amabat, sed posteaquam
ego uos ab ista factione seuocaui ad Euangelicam ac cœlestem doctrinam, mi-
hiq; ueluti palmites inseui stirpi, cœpit odisse uos mundus, non ob aliud quàm
quod estis mei. Atqui nõ alio nomine felices eritis, quàm quod mei estis & pro
me aduersa sponte toleratis.

Supra 13. b
Matth. 24. c
Matth. 20. d

Mementote sermonis mei, quem ego dixi uobis: Nõ est seruus ma-
ior domino suo. Si me persequuti sunt, & uos persequentur: si sermo-
nem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt.

Nolite mirari quod innocentia uestra non tuebitur uos ab odio mundi, me-
mentote quod dixi uobis: Non est potior serui conditio quàm domini: nec mea
me innocentia tueri potuit ab odio mundi, quæ maior est uestra, nec meam do-
ctrinam ueriti sunt aspernari, nec meis beneficijs mitescere potuerunt, & à cru-
delibus cœptis reuocari. Quod ausi sunt in me, qui dominus sum ac magister,
multo magis audebunt in uos. Si me tot insidijs persequuti sunt usq; ad mortem
longe probrosissimam, si toties conuitijs incessauerunt, & uos discipulos meos
persequentur, imò me persequentur in uobis. Si meis dictis obtemperabunt,
obtemperabunt & uestris. Sed quemadmodum meam doctrinam non tulerunt;
ita nec uestram ferent, quoniam eadem docebitis quæ ego doceo. Sic dum fasti-
dium

dium prædicatoribus nascitur & tædium, dum nullum fructum conspiciunt, quin & personæ quoque ob uerbum contemnuntur, cogitandum ipsis erit simile quoque Christo domino & apostolis contigisse. Seruus in hac re non erit felicior & beatius domino suo, sed potius conditio eadem.

Sed hæc omnia facient uobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui misit me.

Quicquid contumeliarum in uos ingesserint, id in me factum arbitrabor. Quicquid enim horum facturi sunt in uos, odio nominis mei facient. Mihi maledicent quum uobis maledixerint, me reiciet quum uos reiecerint, me cedet quum uos cadent. Quicquid enim in membra committitur, hoc ad capitis pertinet contumeliam. Et in me facerent ista, si presentem haberent. Nunc quoniam in me non poterunt, in uos sauiunt. Porro quemadmodum omnis contumelia uobis illata ad me pertinet; ita quicquid aduersum meum nomen committitur, ad patris mei contumeliam pertinet, quem si uere noscerent ut sibi nosce uidentur, nequam tantis probis afficerent filium. Arrogant sibi pietatem in deum, & in filium sunt impij. Petunt salutem a deo, & filio moluntur exitium. Iactant se seruare dei præcepta, & filij præcepta quæ tradit ex autoritate patris respuunt. Iactant legis scientiam, & eum quem lex prædicat non agnoscunt. Adorant mitentem, & eum quem misit insectantur. Nesciunt igitur deum, quem se nosce gloriantur. Et tamen hæc ignorantia non excusabit illos in die uindictæ. Nesciunt quidem, sed ideo nesciunt, quia noluerunt discere. Ideo noluerunt discere, quia magis dilexerunt suam gloriam quam gloriam dei.

Si non uenissem & loquutus fuisset eis, peccatum non haberent: **D** nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meum odit.

Quod pater fecit in ipsorum salutem, hoc sibi sua pertinacia uerterunt in curmulum æternæ damnationis. Etenim in hoc ueni, in hoc missus sum, ut omnibus si fieri posset impartirem salutem æternam. Si non uenissem ipse, qui sum filius, & quo nemo maior mitti poterat: si non fuisset eis loquutus omnia, quæ poterant illos ad meliorem reuocare mentem: si non fecissem ea quæ uel saxea corda poterant ad credendum impellere, leuius certe perirent, nimirum ab hoc incredulitatis crimine liberi, cuius accessio magnam sarcinam addet eorum exitio. Nunc autem, cum nihil a me sit omissum quo seruari poterant, cum ipsi pertinacibus odijs pugnarint aduersus eum qui salutem gratuitam offert, non habent quo purgent incredulitatem suam. Si quis odio prosequatur ignotum, si habet inuisum quem nunquam uiderit, utcumque uidetur ignoscendum. Me uiderunt et audierunt, uiderunt omnibus beneficientem, audierunt ea quæ deo digna sunt loquentem, & tamen oderunt ob ea ob quæ debuerant amare. Porro quisquis odit me, non potest non odisse patrem meum, è cuius autoritate loquor quæ loquor, cuius uirtute facio quicquid facio.

Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & uiderunt, & oderunt & me & patrem meum. Sed ut impleat sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.

Non uerbis solum illis loquutus sum, uerum etiam factis, illi excacati nec uerbis crediderunt nec factis. Et hoc ipsum illis aggrauabit damnationis malum, quod obuia dei bonitate tam pertinaciter sunt abusi. Si non ædidissem inter illos miracula, quæ nemo prophetarum ante me prodidit, siue magnitudi-

nem spectet aliquis siue multitudinem, eaq̄ omnia nō in terrorem illorum, sed in subsidium afflictorum, non tenerentur hoc peccato longe grauissimo. Nunc autē & audierunt & uiderunt tantoq̄ magis oderunt, non tantum me qui loquutus sum & feci, sed & patrem meum, qui per me loquutus est, per me uirtutem suam exeruit. Mosen nunquam uiderunt, et tamen admirantur, prophetis credunt quos nunquam audierunt. Me, quem cominus conspexerunt, prophetis audiuerē loquentē, quem experti sunt tot modis beneficium, auersantur, quem hoc contenti morte afficiunt. Et interim prætēxunt pietatem in deum patrem, quum qui uere patrem amet, non possit odisse filium. Quanquam hæc non accidunt fortuito, quandoquidem hoc quod isti faciunt, Psalmorū uaticinia quæ tenent & legunt futurum olim prædixerunt, uidelicet, ut pro benefactis quibus debebatur gratia, maleuolentiam reponerent: sic enim illic loquor per os propheta: Non gaudeant super me qui auersantur inique, qui oderunt me gratis. Tolerabile est, si quis prouocatus oderit aliquem: utcunq̄ potest ignosci, si quis ignotum oderit: cæterū quis ignoscat illi, qui & notum & benemerentem odio prosequatur?

Cum autem uenerit paraclitus (quem ego mittam uobis à patre) spiritum ueritatis qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & uos testimonium perhibebitis: quia ab initio mecum estis.

Cum perfunctus fuero omnibus quæ mihi mandauit pater, iamq̄ uenerit consolator ille, quem sicut ante pollicitus sum mittam uobis à patre proficiscentem, qui est spiritus suggestor ac doctor omnis ueritatis, ille declarabit omnia quæ dixerim, quæ gesserim, ex quibus liquebit & mea bonitas & illorum obstita nata cæcitas. Ille docebit nihil in me factum quod non ante prædictum sit in libris ipsorum quos legunt & non intelligunt. Vos quoq̄ qui nunc estis imbecilles, tunc confirmatiore mei spiritus afflatu testificabimini apud omnes de me, propterea quod ordine uidistis quæ gesserim, audistis quæ dixerim. Quemadmodum ego certa uobis retuli, nimirum ea quæ uidi & audiui apud patrem meum, & quæ uobis assatim fideliterq̄ proposui & propono, ita & uobis suggeret spiritus, nimirum & ipse proficiscentis à patre: ita & uos non dubiarum rerum sed omnibus sensibus compertarum testes eritis. Erunt autem qui nec uobis habituri sunt fidem, sed non ob eos qui suapte culpa pereunt, deserenda est salus aliorum.

CAPVT XVI.

Matth. 24. 4

A



Aec loquutus sum uobis, ut non scandalizemini. Absq̄ synagogis facient uos. Sed uenit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequiū se præstare deo: & hæc facient uobis, quia non nouerunt patrem neq̄ me.

Nullis periculis oportebat deterreri à professione ueritatis Euāgelicæ, quæ mundus quidem omnibus machinis oppugnabit, cæterū opprimere nunquam poterit, quæ deo authore nititur. Videtis quæ in me mundus moliat ob professionem paternæ ueritatis: ad similia perpetienda necesse est ut præparetis animos uestros. Hæc ideo denuncio uobis euētura, ne putetis delicatam esse professionem Euāgelicam, aut tum animo consternemini, quum ista uobis præter expectationem acciderint. Minus enim offendunt mala quæ præuideris, ad

ad quæ obfirmaris animum antequam incurrant. Non fallam uos, nec in malis, quæ necesse est Euangelij gratia perpeti, nec in præmijs, quæ manent gnauiter suo per sanctos munere. Hoc primum occurret uobis Euangelij prædicationem auspicantibus. Qui religionis arcem tenere uidentur, qui legis cognitionem profitentur, pontifices & doctores, magistri nostri, uos uelut impios & execrabiles submouebunt e synagogis suis, quod apud istos est probrosissimum. Mox non hoc erunt contenti, uenietur ad carceres & flagra, denique res eo procedet, ut quisquis interfecerit uos, existimet se uictimam immolare deo gratissimam. Prætexent enim impietati suæ pietatis imaginem, ac ueræ pietatis doctores impietatis reos peragent: ita fiet, ut non solum dura perpetiamini, uerum etiam ut impij maleficique perpetiamini. Sed ne uobis curæ sit quid mundus de uobis iudicet, consoletur uos exemplum meum, recordantes quod ista mecum, quodque mea patrisque mei causa patiamini. Nostra hæc iniuria est, nostrum erit & uobis certantibus opem suppeditare, & uictoribus præmia largiri, & illis obistere, deique per tinacibus pœnam sumere, ne uos quicquam de uindicta cogitetis. Non enim ista committent in uos quod fures sitis, aut maledici, aut alioqui talibus digni malis, sed quia nondum ad plenum nouerunt neque me neque patrem meum. Error admixtus sauitiæ faciet, ut illorum etiam miserescat, nec tam existimetis supplicio perdendos quam doctrina seruandos. Multos enim incitabit in uos religionis studium, magis errantes iudicio quam affectu. Hi resipiscant, simulatque per uos innotuerit pater meus orbi terrarum, simulatque uestra prædicatione cognouerint meam doctrinam & spiritus sancti uim.

Sed hæc loquutus sum uobis, ut cum uenerit hora, eorum reminiscamini, quia ego dixi uobis.

Scio uos esse mœstos ob discessum meum, nec erit addendus mœrori mœror, sed expediebat de his præmoneri uos, ut quum inciderint uobis hæc mala, fortiter & infractis animis perferatis, dum uobis ueniet in mentem, quod hæc omnia prædixerim euentura, quod exemplo mei, quod ab impijs, quod ab ignorantibus ueritatem, quod mea patrisque mei causa patiamini. Nec uos moueat hominum de uobis iudicium, contentos recti conscientia: quin potius iuxta doctrinam beatos uos ipsos iudicate, quum psequuti uos fuerint homines, quum omne malum dixerint aduersum uos, mentientes propter nomen meum. Eijciunt uos e synagogis, sed hoc ipsum arguet uestra nomina scripta esse in cælo.

Hæc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiscum eram. Et nunc uado ad eum qui me misit, & nemo ex uobis interrogat me: Quò uadis? Sed quia hæc loquutus sum uobis, tristitia impleuit cor uestrum. Sed B ego ueritatem dico uobis, expedit uobis ut ego uadam: si enim non abiiero, paraclitus non ueniet ad uos: si autem abiero, mittam eum ad uos.

Hæc omnia sciebam uobis euentura, sed tamen initio quum uos mihi iungerem, his de rebus silui, non ut fallerem uos, sed quia nondum erat tempus: nec enim omnia cuius temporis conueniunt. Corporis huius præsentia pro tempore fœuit imbecillitatem uestram. Nunc quoniã instat tempus, ut subducatur à uobis, oportuit uos palam præmoneri quid sitis perpessuri, quo paulatim consuecatis corporalis præsentia solatio carere,positoque affectu humano sumatis firmitus magisque masculinum animi robur, nec sitis similes pueris, qui semper pendunt à sinu matrum, exanimati, si quando contingat à conspectu parentum auelli. Nolui uos lactare falsa spe, nec tam alieno tempore uolui consternare animos

uestros. Datum est quod oportuit imbecillitati uestræ, egiq; pro tempore consolatorem & patronum, inhortatorem uel incitatorem. Nunc abeundum est, & quum uestra caussa potissimum abeam, ut subducto corporis huius conspectu proficiatis ad fortiora, tamen hic sermo sic exanimauit uos, ut nemo roget aut cogitet quò uadam, quum non oporteat uos discruciarì quod abeã, sed gaudere potius quod abeam ad patrem unde profectus sum, iam non abfuturus à uobis, sed aliter uobiscum futurus. Neq; uero nesciebam quid esset optabilius uestris affectibus, malebatis hac mea consuetudine perpetuo frui, uerum ego malui uobis loqui quæ conducunt quàm quæ iuuant, malui uos cognita ueritate ad tempus affici mœrore quàm non proficere ad firmitatem uenturæ tempe stati parem futuram. Et idcirco palàm quod euenturum nunc prædico uobis, me relicturum uos, & me subducto uos multa passuros. Quibus perferendis ut sitis idonei, expedit uobis, ut interim subducatur ab oculis uestris. Nisi enim submoto carnis conspectu, & carnali præsentia cœperitis esse spirituales, spiritus ille consolator, qui uos fortes reddet & inuictos, nō ueniet ad uos. Siquidem illi uos preparauit, ille perficiet quod à nobis cœptum est in uobis. Deniq; per illum semper uobiscum futurus sum: & præsentius absens adero quàm nunc ad sum præsens. Non enim in hoc ueni, ut semper uobiscum agam in terris, sed ideo me deieci ad uestram infirmitatem, ut uos eueherẽ in cœlum. Sic uisum est consilio paterno, dispensatis temporum uicibus paulatim uos & gradibus quibusdam ad ea quæ perfecta sunt promouere. Aequum est autem, ut animos quoq; uestros ad paternam dispensationem accommodetis. Omnia uobis contingent nostro beneficio, sed uestrum est adniti, ut nostri beneficij sitis capaces. Etenim si perpetuo manseritis in hoc affectu, in quo nunc estis, consolator ille cœlestis non ueniet ad uos, nimirum nondū capaces sui muneris. Quod si abiero, uosq; neglecta corporali præsentia preparaueritis animos uestros sublimioribus dotibus, quas spiritus ille uobis deferet, tum ueniet ille consolator à me missus à patre, nunq; uos relicturus, nec unquam uos destituiturus, nec in uita nec in morte, nec erit inefficax.

Et cum uenerit, ille arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio: de peccato quidem, quia non crediderunt in me.

Non est spiritus illius mei aduentus inefficax, plus efficiet per nos quàm ego nunc præsto, non quod non sit eadem potentia, sed quod sic expediatur humani generis salutì, negotij partes in tempora partiri. Ego argui mundum, ille plenius & euidentius idem efficiet. Sic enim cōuincet mundum, ut nisi resipuerit credens euangelio, nullam sit prorsus excusationẽ habiturus. Nam ut illi nunc nostræ carnis infirmitas præbet offendiculum, ita nonnihil præbere uideatur, quod possit incredulitati prætexere. Viderunt lassum, uiderunt esurientem & sitientem, uiderunt humilem & contemptum, mox uidebunt afflictũ, captum, cæsum, & morientem deniq;. Cæterum ubi perfectis omnibus quæ ad carnis dispensationem pertinent, uiderint reuixisse, uiderint sublatũ in cœlos, uiderint missõ spiritu uos subito factos intrepidõs mei nominis præcones, uirtutes admirandas emicare, ad nomen meum inuocatum exilire dæmones, restitui claudos, sanari ægros, reuiuiscere mortuos, deniq; nihil non euenisse quod à prophetis erat prædictũ, nihil erit reliquũ excusationis impijs & incredulis. Tum enim mundus triplici nomine cōuincetur inexcusabiliter. Primum de peccato, mox de iustitia, deinde de iudicio. De peccato omnium maximo, quodq; caetera

tera peccata omnia complectitur coarguetur: quia quum uiderint cōsentire prophetarum oracula cum euentis, cum conspexerint tot hominum milia profiteri nomen meum, quum uiderint eos qui mihi crediderunt, accepto spiritu sancto loqui linguis ignotis, clarescere miraculis, relinquere superstitionem Iudaicarum traditionum, amplecti pietatem Euangelicam, detestari patriū cultum simulachrorum, sed uitæ pietate colere patrem cœlestem, pro nihilo ducere terrena commoda, totos ad cœlestia rapi, quid tum habebit mundus quod prætexat obstinatę suę incredulitatē? Si nihil erit omīssum à patre qui misit, nihil à me qui missus sum seruandis omnibus, nihil à spiritu sancto, quem utriq; missuri sumus, nihil à uobis, quibus ut organis suis utetur ille cœlestis spiritus, quid superest, nisi ut omnes intelligant eos incredulitatē suā perire uitio? Quumq; prospexerint prophanas gentes per simplicis aquæ tincturam, ac mei nominis in fide professionem, abluī à pristinae uitæ peccatis, et innocentia donari, palam erit illos uolētes ac sciētes in suis manere sordibus, & peccata peccatis addere.

de iustitia uero, quia ad patrem uado, & iam non uidebitis me:

Coarguetur & de falso uindicta iustitia. Nunc enim utcunq; prætexunt obseruationem legis à deo tradite, iactant obseruatas maiorum constitutiones, prætexunt à maioribus traditam religionem, ieiunia, sabbata, preces, eleemosynas, cultus, & id genus alia, quæ specimen habent iustitiæ: cæterum ubi uiderint spiritus illius uim admirabilem non contingere nisi his qui professi fuerint nomen meum, contingere etiam gentibus sine legalium obseruatione, quid dicent interim, qui sibi iustitiam ex talium obseruatione uindictant? Frustra gloriabuntur apud homines de falsa iustitia qui eum reiecerunt, per quem unum uera contingit iustitia. Id ita esse tum palam erit mundo, quum spiritus ille declararit, me non esse mortuum, quem in crucem suffixerant, quem sepelierāt, sed redisse ad patrem unde ueneram, apud illum uiuere, & iam inuisibilem & sublatū ab oculis humanis maiora præstare per uos meo spiritu afflato, quam præsens in terris præstiterim. His rebus fiet, ut illorum iniustitia coarguatur, qui alibi sibi spem iustitię posuerunt quàm in me, et dei iustitia fiat illustris, quæ bona fide præstiterit humano generi quod olim per prophetas suos erat pollicitus, id autem mox futurum est. Proficiscor enim ad patrem per mortem, neque diu uobiscū sum hoc uisibili corpore uersaturus, & tamen sentietis me uiuum ac potentem, nihilq; non præstantem eorum quæ sum pollicitus.

de iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

Quin & de iudicio coarguetur mundus, quum passim hominibus à peccatis ad innocentiam uitæ respicientibus, à crassis Mosaicæ legis ceremonijs ad Euangelicam pietatem sese conferentibus, à dæmonum et simulachrorum cultura totis totius orbis nationibus sese conuertentibus ad cultum patris filij & spiritus sancti, palam fiet principem huius mundi, qui hactenus per peccatum exercuit tyrannidem, iam suis ipsius armis uictum, eiectum, condemnatumq; esse, ut qui mortem meam procurauerit, per quem peccata mundi tolluntur, per quem confertur innocentia, per quem donatur libertas Euangelica, per quem datur immortalitas: tum apparebit fuisse triumphum, quod uidebatur ignominia, fuisse uictoriam, quod putabatur exitium. Quum enim dæmones passim eiecientur templis, quum ad signum crucis cum professione fidei relinquent diu possessa corpora, nonne manifestum erit principem illorum esse

condemnatum: Nonne conspicuum erit, & uniuersum illius cultum & idolorum præstigia cum impijs ritibus damnanda per Euangelicam ueritatem, ipsi sumq; satanam huius mudi principem damnatum ac uictum? ut qui posthac talia sequi maluerint, stipendia mortis eterne potius reportaturi sint quam pietatem præstituri, & quam me (quem deus ueluti uictorem in regni sui confortium subuexerit omnibus, innocentia ac uita authorum) deserant.

C Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem uenerit ille spiritus ueritatis, docebit uos omnem ueritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quaecumq; audiet loquetur, & quæ uentura sunt annuntiabit uobis.

Sunt & alia multa quæ uobis poteram dicere, sed non est huius temporis ea promere, nec uos adhuc capaces estis ob imbecillitatē, nec adhuc paractam huius mee legationis functionem. Ea spiritui uenturo reseruo. Ille ubi uenerit, reperiet plenioris scientia capiores, nimirum peracta mortis, resurrectionis & ascensionis mee dispensatione. Non erit spiritus uanus aut humanus, sed spiritus erit meus, hoc est ueritatis, is uos docebit omnem ueritatem, cuius nunc ad plenum capaces non estis. Loquetur & ille uobis, sed tacitis & arcanis flatibus. Non aere moto feriet aures corporis, sed occulta uel mouebit intima mentium. Nec loquetur incerta, sed quemadmodum ego nihil loquutus sum, quod non audierim apud patrem meum, ita ille nihil suggeret nisi quod acceperit à patre & à me. Nec solum aperiet uobis omnem ueritatem de rebus præteritis, uerum etiam quoties res postulabit, quæ post futura sunt prædicet uobis antequam eueniant: est enim non solum omnipotens, sed etiam omniscius.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis. Omnia quaecumq; habet pater, mea sunt. Propterea dixi, Quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis.

Ille per uos illustrabit gloriam nominis mei, quemadmodum ego per mortem & resurrectionem meam illustrabo gloriam patris. Nam quemadmodum in gloriam patris proficit quicquid à me geritur, à quo sum, & à quo accepi omnia, ita in meam gloriam proficiet quicquid spiritus ille per uos gesserit: nihil enim uobis suggeret diuersum ab his quæ ego accepta à patre tradidi uobis. Omnes doctrinae quæ à gloria dei & Christi abducunt, certum quod non sint à spiritu sancto: qui Christum proprie glorificat, futura dicet, sed omnia cessura sunt in gloriam meam, tantum abest, ut diuersum dicat à patre & filio. De meo autem accipiet, de illa plenitudine quæ in me est, ut in capite de illa uobis distribuam. Quæ enim cognoui apud patrem, illa uobis per spiritum reuelabuntur, quæ nunc ut carnales intelligere non potestis. Nihil inter nos, hoc est inter diuinas personas in unica deitate, non est commune omnium quod non est in sit meum. Nec quicquid est patris aut meum, quod spiritui non sit commune. Per illum igitur ego uobis loquar, quemadmodum per me loquutus est pater. Qui mihi credit, credit patri: qui spiritui credit, credet utriq; nostrum.

D Modicum & iam non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me, quia uado ad patrem. Dixerunt ergo ex discipulis eius adinuicem: Quid est hoc quod dicit nobis, Modicum & non uidebitis me, et iterum modicum & uidebitis me, et quia uado ad patrem? Dicebant ergo: Quid est

est hoc quod nobis dicit, Modicum: nescimus quid loquitur.

Hiscē tot rebus confirmati fortem animum sumite aduersum tempestatem imminētem, & in rebus afflictis seruate uos sequendioribus quæ sequentur. Breue tempus est quod orbabimini conspectu meo, quo nunc fruimini. Post exiguum enim temporis spacium rursus reddar oculis uestris, ut paulatim affuescatis carere corporis huius conspectu, qui uobis inutilis est. Nam ad patrē redeo, maiora uobis largiturus quàm corporalem præsentiam, ubi uobis conspectus esse desiero. Tantus autē mœror occupat id temporis discipulorum animos, ut toties iterata nec intelligenēt nec meminissent. Quū enim dominus Iesus indicaret his uerbis non admodum obscure se per mortem ac sepulturam absenturum à conspectu suorum, sed rursus post triduum eodem quidem corpore, sed iam immortalī uidendum esse suis, ut aliquot dies confirmatis discipulorum animis sese reciperet in cœlum, ut sublato conspectu corporis, quod illos non patiebatur esse spirituales, promererētur spiritū illum cœlestē, qui animas uiuificat solidat & ad sacrosancta opera perficiēda reddit instructum: nec post expectarent corporalem domini præsentiam, nisi quum supremo die sese semel ostendat omnibus totius orbis nationibus, iudicaturus uiuos & mortuos. Tum quod dictum erat non intelligentes discipuli mussitāt inter sese: Quid sibi uult hic sermo, Breue tempus est quod me non uidebitis, & rursus breue tempus erit quod me uidebitis, quoniam uado ad patrē: Quomodo uidebimus qui se subducit ad patrē: aut quid sibi uult hoc breue tempus, quo sui nobis uidentis copiam adimet: rursus aliud breue, quo sui nobis uidentis copiam faciet: Obscurus, inquit, est hic sermo, nec intelligimus quid loquatur.

Cognouit autem Iesus quia nolebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter uos quia dixi: Modicum & non uidebitis me, & iterum modicum & uidebitis me. Amen amen dico uobis quia plorabitis & flebitis uos, mundus autem gaudebit, uos autem contristabimini, sed tristitia uestra uertetur in gaudium.

Dominus intelligens quod haberent in animo percontari se quid sibi uellet quod dixisset, præuenit illorum interrogationē, ut quemadmodū solet, ostendat sibi notas esse quamuis arcanas hominum cogitationes. Rursus hoc conturbat, inquit, animos uestros, quod dixerim: Ad breue tempus subducendum uobis mei conspectum, rursus ad breue tempus reddendum uobis mei conspectum, quod perpetuo non expediat apud uos manere, quemadmodum nunc maneo, sed magis in rem uestram est, ut ab eā ad patrē. Quod dixi uerissimum est, instat tempus, quum uos ob ademptam hanc nostram consuetudinē luctu, mœrore, lachrymis conficiemini, despondentes animum, uelut omni præsidio destituti. Contra mundus uelut uictor gaudebit, exultabit, sed breuī commutabuntur rerum uices. Nam mundi gaudium uertetur in mœrorē, & uester mœror uertetur in gaudium. Vt enim mea mors uos discruciat, & Iudæos afficiat et gaudio, ita resurrectio uos afficiet gaudio, contra autem conturbabit Iudæos. Quare breuē istum mœrorem fortiter tolerate spe mox sequuturi gaudij.

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia uenit hora eius: cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et uos igitur, nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis.

Quemadmodum grauida mulier grauiter discruciat, nitens ad partum, eos dolores magno tolerat animo, quod sciat non fore diuturnos, & ex eo mox consequuturam ex ædita prole uoluptatē: nam simulatq; pepererit quod paratūriebat, tanta est uoluptas, quod mater sit facta nouæ prolis, ut non meminerit doloris, quem in nixu perpeffa est, imò gaudet longam lætitiā emptam fibi dolore breui: itidem uos quoq; hoc exiguo tempore quod instat, uehementer animo discruciabimini, & iam nunc dolore magno tenemini, sed post dies pauculos ubi uictor me uobis exhibuero rediuiuū, magno gaudio perfundetur cor uestrū, quod quem mortuum luxistis, uideatis immortalitate donatum. Luctus erit breuis, sed gaudiū perenne. Mors em̄ transit, manet immortalitas.

Supra 19. b

Math. 7. 4. 12. c

Marci 11. c

Luca 11. b

Iacobi 1. d

F Et in illo die me non interrogabitis quicquā. Amen amen dico uobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Vsq; modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite & accipietis, ut gaudium uestrum sit plenum.

Nunc multa sunt de quibus animus gestit interrogare me. Tum adeo satis factum erit animis & oculis uestris, ut nihil amplius existimetis interrogandū. Ingens enim gaudiū excutiet omnem animi molestiam, neq; quicq; præterea uota uestra requirent, ubi plus uidebitis exhibitū quàm speraueritis, aut optare sitis ausi. Et tamen posteaquam fuero sublatus à uobis in cœlum, nihil est uobis defuturum. Quid enim facilius quàm petere à patre? Quicquid autem ab illo petieritis in nomine meo, dabitur uobis. Quid opus uobis est alijs præsidijs? Pater unus potest omnia, & ille meis amicis ac meo nomine petentibus nihil esse negaturus. Hactenus obstitit uobis præsentia corporis, quo minus petieritis aliquid ab illo dignum meo nomine. Nondum enim toti pendetis à præsidijs cœlestibus, sed ab hoc corpore uelut humano pendetis affectu. Posthac petite sublatis in cœlum animis, ubi scitote, me præsentem fore patronum, & quicquid postulaueritis, impetrabitis, ut iam gaudium uestrum, quod post hunc, in quo nunc estis, mœrorem, ex reddito uobis mei conspectu continget, fiet plenum atq; perpetuum. Non enim erunt tunc uices mœroris & gaudij, ex sublata & reddita mei copia iuxta corporis infirmitatē, sed freti semper uobis parato cœlesti præsidio, semper præsentem habentes consolatorem, & consultorem spirituum, iugis conscientia gaudio fruimini, in lætis pariter & tristibus deo gratias agentes.

Hæc in prouerbijis loquutus sum uobis. Venit hora cum iam non in prouerbijis loquar uobis, sed palam de patre meo annūciabo uobis. In illo die in nomine meo petetis.

Hæc interim obscurius ac uelut per enigma loquutus sum uobis, nondum quid dicam ad plenum intelligentibus. Sic enim obsequendum erat imbecillitati uestræ, ut uos quoq; discatis aliorum imbecillitati gerere morem. Sed uenit et tempus, quum hoc corpore mortali sublato, uobis iam firmioribus, ac mœrore posito magis attentis, loquar de patre meo palam, & absq; parabolarū inuolucris. Nunc enim uobis quod palam etiam dicitur, ob animum imbecillum & curis occupatum ueluti parabola est. Tandem & per spiritum meum certo renūciabo uobis, quid uelit pater meus. Non enim decet uos ignaros esse uoluntatis paternæ. Tum quidē tacite loquar, sed certa loquar, sed aperta loquar, si modo uos petieritis. Sed tum hoc quoq; suggeret spiritus cœlestis, quid petendum sit, aut quomodo petendum in nomine meo. Quod si feceritis, etiam si quid

quid esset arduum ac difficile, tamen pater in gratiam meam petentibus non negaret.

Et non dico uobis quia ego rogabo patrem de uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis quia à deo exiui.

Nunc non hoc dico quasi sic meo interuentu sitis impetraturi, quemadmodum ab homine principe nonnunquam impetrant homines patrocínio cuiuspiam qui gratiofus sit apud principem, quod alioqui largiturus non esset, nisi hoc donaret eius gratiæ, qui postulantis preces commendat. Imò pater, tametsi rogat amari per filium, per quem omnia uoluit largiri mortalibus, tamen uolens ac lubens alioqui uotis uestris annuet, non solum ob amorem quem habet erga filium, uerum etiam quem habet erga uos. Non enim sic amat filium, ut uos non amet, sed quoscunq; amat filius hos amat & pater. Amat igitur uos, non operum uestrorū gratia, sed ob id, quia me mutuo diligitis, quia creditis quod ab ipso profectus sum. Nam hoc est amare patrem, amare filium, & hoc est credere patri, credere filio. Non credit autem qui negat illum à patre uenisse, qui negat illum ex autoritate patris dicere ac facere omnia.

Exiui à patre & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem.

Antequam uenirem in mundum, assumpto quod uidentis mortali corpore, iam eram apud patrem, sed uestra causa ueni in mundum, ut uos in cælum eueherem. Nunc rursus obitis his quæ mandarat pater uestra gratia, iuxta corporis præsentiam relinquo mundum, & ad patrem redeo. Quicquid autem hic geritur aut geretur, uestræ salutis causa geritur ac geretur. Discimus humanitatem Christi cum diuinitate glorificandam, ut eadem persona, cuiq; adiuncta est diuinitas, adoretur, postquam Christus in cælos ascendit: ut habeamus fidem potissimum fundatam in duobus, ut Christū credamus uenisse in hunc mundum, deinde quod deus exaltauerit illum. Qui igitur Christi humilitatem & eius exaltationem recte crediderit, utiq; de Christo recte sentiet, necesse est ut confiteatur uerum deum & hominem Christum esse, resurrexisse eum, & parasse nobis uitam æternam credentibus & amantibus ipsum.

Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbum nullum dicis: nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget: in hoc credimus quod à deo existi. G

His uerbis animatiores facti discipuli, non nihil sibi placere cœperunt, quasi suis uiribus sustinere possent imminentem domini sui mortē, respondent hūc in modum: Ecce quod in posterum te facturum polliceris, hoc iam nunc præstas. Nunc enim absq; parabolarum inuolucro palàm eloqueris quid sis facturus, nec est opus ut te quicquam præterea rogemus. Nihil enim te fugit, & istis dictis animi nostri mœrorem exemisti, nec erit opus alijs sermonibus. Non dubitamus enim, quin quod instat, spe gaudiij futuri simus constantibus animis laeturi. Et in hoc deniq; uere credimus, quod à deo profectus sis, quod arcana cordium nostrorum penitus habes perspecta.

Respondit eis Iesus: Modo creditis: Ecce uenit hora, & iam uenit, ut dispergami in unumquiscq; in propria, & me solum relinquatis: & tamen non sum solus, quia pater mecum est. Matth. 26. c
Marc. 14. c

Porrò dominus Iesus, cui mos erat acriter ubiq; coercere, si quid humanæ arrogantia, ambitionis, aut fiducia sensisset in animis oboriri discipulorū suo-

rum, quo planè discerent diffidere suis uiribus, quibus nihil poterant, sed totipenderēt à præsijs dei, patris, retudit eam arrogantiam, quod quum nondum intelligerent quid dixisset, quum nondum uere crederent, nondum erant pares instantibus procellis, tamen sibi uendicarent quod erat precibus postulandum à patre, respondit hunc in modum: Quid ego audio? Quod ego post polliceor iam firmiter mea doctrina, & sacri spiritus afflatu factis, hoc nunc uobis arrogatis ante tēpus, quasi uirtutis humanæ præsijs possitis omnino quicquam. Imò iam instat tempus, quo declarabitis quàm ex uobisipsis sitis imbecilles. Non enim non solum fortiter perferetis tempestatem imminētē, sed me deserto solo in manibus satellitum, qui me rapiant ad crucis supplicium, alius aliò fugietis, adeò metu perturbatis animis, ut non modo mihi non sitis aduersari, sed ne consortio quidem mutuo uobis inuicem auxilio solatioque futuri, dum sibi quisque timebit, ne alterius iudicio prodatur, aut in periculū ueniat, quanquam mihi quidem uestro præsidio non erit opus. Ab omnibus quidem amicis meis destituar, sed tamen desolatus non ero, quia nunc me deseret pater.

Hæc loquutus sum uobis, ut in me pacem habeatis. In mundo presuram habebitis, sed confidite, ego uici mundum.

Hæc ideo loquor uobis, ut uestris diffisi uiribus in me conquiescatis. Mundus magnis tumultibus coarctetur in uos, quemadmodum nunc in me coarctatur. Sed magno sitis animo, memores quod ego uici mundum. Ex me sumetis exemplum, à me sperabitis auxilium. Vincetis & uos, sed per me. Vestra pte quidem natura imbecilles, sed meo spiritu fortes & inuicti futuri, quum tempus & res postulabit. In mundo quidem pacem habituri non estis solidam, sed tantum in me gaudium & felicitatem habebitis. Non uos moueant afflictiones uariæ, per me poteritis uincere. Iam prior mundum uici; morte enim mea mortem sum occisurus, infernū expugnaturus. Nulla in re potest uobis fidelibus nocere mundus, sed omnia sunt uobis in bonum cessura. Nō est in potestate mundi situm, ut fideles affliget, nisi quantum deus permittit. Licet impugnet mundus, tamen in utilitatem cedit electis; sicut & mors Christi nobis cessit ad salutem. Non sumus ergo pusillo animo, sed bono, scientes omnia cessura in nostram salutem.

CAPVT XVII.

A Nec loquutus est Iesus, & subleuatis oculis in cœlum, dixit: Pater, uenit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te. Huiusmodi sermonibus posteaquam Iesus partim cōsolatus esset discipulos suos, partim erudisset & instruxisset aduersus imminētē malorum procellam, quoniam admonuerat fiduciam nō esse collocandam in uiribus humanis, sed præsidio cœlesti, uoluit & ipsa re docere suos, ut ingruentibus afflictionibus mundi, non aliò spectarent quàm ad patrem cœlestem, unde totis oportet pendere, qui cupiunt esse pares tolerandis persequutionibus. Igitur at tollens oculos in cœlum, quo nimirum ipso corporis habitu doceret, quo foret intendendus animus, hunc in modum loquutus est: Pater, nunc adest tempus mihi semper optatum, glorifica filium tuum apud homines morte & resurrectione, ut uicissim filius tuus te glorificet apud uniuersos mortales, & uterque per alterum innotescat. Sic enim expedit ad humani generis salutem, ut mundus per te cognoscat filium, ac uicissim per filium cognoscat patrem. Totus in hoc conspirauerat mundus, ut filium hunc dei abijceret tanquam mendacem & ignominiosum. Orat igitur ut ipse glorificet, & ut glorificatio filij cedat in gloriam patris.

patris. Nam ubi mundus agnouerit tantam charitatem in mittendo filio, tunc pater per filium glorificabitur.

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis uitam æternam. Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Sic tibi uisum est pater, ut filio traderes potestatem uniuersi generis mortalium: nec in aliud hanc tradidisti potestatem, nisi ut omnes salui redderentur & à morte liberati uitam assequerentur æternam. Placuit enim tibi quicquid largiris hominibus per filium largiri, per cuius mortem donas omnibus, si uelint, uitam æternam. Porro uitæ æternæ fons est, ut utroque alterum illustrante per se dem cognoscant utroque, uidelicet te, qui solus uerus es deus, non solum Iudeorum, sed omnium orbis nationum, unde proficiscitur quicquid est usque boni, & eum quem pro salute generis humani misisti in mundum Iesum Christum, per quem donas quicquid tua bonitas donare uult hominibus, ut utriusque nostrum habeant gratiam, tibi uero auctori summo omnium, mihi qui ex tua uoluntate functionem hanc uolens ac lubens perago. Non enim potest salutem consequi, qui patrem honoret contempto filio, aut qui filium ueneretur neglecto patre, cum utriusque sit eadem gloria. Non hic Christus loquitur de historica cognitione Christi uel patris, ut in ea consistat uita æterna. Nam & satan nouit Christum filium dei, & multi hoc loquuntur, sed non ex corde, & non tamen sunt participes uitæ huius. Sed de ea notitia loquitur, quæ trahit ad amandum deum, adque ponendum fiduciam in deum. Hæc talis cognitio tam hic quam alibi beatos facit. Ex hac cognitione fides nascitur per prædicationem uerbi diuini. Nomen autem patris primum commendatur deus ipse, non solum nomen personæ, sed ipse deus pater omnium creaturarum. Vnde oratio quæ hic fit, dirigitur ad totam diuinitatem, quæ est una, & in tribus personis subsistit, & non tres diuinitates, nec tres dii, sed unus deus. Non sufficit autem solum cognoscere deum, nisi etiam uiam qua peruenitur ad deum, cognoscas. Vnicus est deus ad quem respiciendum nobis. Via autem est Christus Iesus, à patre deo missus, per quem pater declarauit misericordiam suam.

Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciã: & nunc clarifica me tu pater apud te ipsum, claritate quam habui prius quam mundus fieret apud te.

Hactenus ego miraculis & doctrina mea nomen tuum illustre reddidi in terris, hactenus obij quod mihi mandaras, promptus ac paratus ad id quod superest. Non quaesiuì gloriam meam, sed tuam, uerum deiçi memetipsum ad summam ignominie humilitatem, ut tui nominis gloriam illustrarem apud homines. Nam tua gloria nunquam in se mutatur, nec eges gloria apud homines, sed illis opus est tua gloria, ut ipsis innotescas. Et nunc mi pater, tu uicissim effice, ut mundus intelligat me totum receptum in eam gloriam, quam habebam apud te prius quam hic orbis conderetur. Propter corporis imbecillitatem adhuc humiliter de me sentiunt homines, de te uero magnifice sentiunt. Tua gloria sicut ex sese nec initium habet nec finem, ita nec crescere nouit nec decrescere. Nec huius corporis assumpti imbecillitas imminuit gloriam meam, quam semper habui, semper ex te natus, sed abs te conditus est mundus per me, ut essent qui cognoscerent, mirarentur et amarent potentiam, sapientiam, ac bonitatem tuam. Nunc rursus est tempus, ut quod conditum est, tua bonitas restituat per me.

Restituetur autē, si cognorit mundus quanta sit tua charitas erga genus humanum, cuius seruandi gratia filium unicum in mortem tradideris, quanta potentia, qui diaboli tyrannidē fregeris, quanta sapientia, qui tam mirabili consilio mundum abs te alienum ad te conuerteris. Iacta sunt huius rei fundamēta. Exponit nunc quid sit clarificare.

B Manifestaui nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mūdo: tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt.

Glorificare deum est manifestare dei nomē hominibus. Venit Christus, ut prädicaret gloriam patris sui, ut ex ipsorum cordibus ipsum maximi facerent, & illius respectu omnia negligerent. Manifestatum est autem nomen dei, non omni mundo, sed eis qui dati sunt. Vt intelligamus diuinā præcedere prædestinationem. Nam ille est ordo salutis, ut deus ante omnia præuideat quos sit saluaturus, hosq; dat Christo, à quo sint spiritum salutis percepturi. Effeci, inquit, ut nomen tuum innotuerit ijs, quos afflatu tuo exemptos à mundo mihi tradidisti. Non enim poterant eximi huic mundo, non poterant inseri mihi, nisi tua gratuita bonitas afflasset illorum animos. Tui erant quos condidisti, tui erant quos huic negotio destinaras, & eos mihi docēdos ac formādos tradidisti. Nec inanis fuit in illis tua benignitas, nec inanis fuit opera mea. Crediderunt doctrinæ meæ, qua eos docui, nec solum crediderunt, sed hucusq; perstiterunt in credulitate, obtemperantes meis sermonibus. Nam hoc cognitum & persuasum habent, quod Iudæi credere noluerunt, quod quicquid docui, quicquid gessi, ex te authore profectum est, tua uirtute gestū est. Nec enim aliud eis tradidisti abs te tradendum acceperam.

Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis. Et ipsi acceperunt, & cognouerunt uere quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti.

Sermonem igitur meum quē pharisæi spreuerunt, hi uelut à te profectum receperunt, cui credentes uere cognouerunt quod abs te profectus sim, abs te missus ueni in hūc mundum. Hactenus profectum est in eis, quod persuasum habent me Messiam esse, tot sæculis expectatum, quem tu ad salutem omnium credentium misisti in mundū. Nunc quoniam eos relinquo iuxta corporis conuictum, uicissim illos tuę bonitati cōmendo seruandos ne deficient, sed semp in melius proficiāt. Sciunt cui debeant acceptū ferre suam salutem, sciunt cuius præsidij niti debeant. Ex te pendent. Non hic tribuit salutem operum implementationi, sed fidei, quia sæpius testati sunt apostoli in superioribus, credere se Christum exiuisse à patre. Ita autē constitutū est à deo, ut illi qui crediderint in deū, habeātur in numero eorū qui scripti sunt in libro uitæ, utiq; si uere crediderint: nō enim loquimur de uana fide & stulta. Hucusq; præmissa sunt illa, ex quibus dignitatem Christi cognoscimus. Deinde licebit intelligere quantum ualeat apud patrem. Opus fidelium est scire quem miserit deus, nempe Christum. Omnes electi dati sunt filio, filius nihil neglexit. Quis ergo dubitat Christi preces non esse acceptissimas pro ijs qui dati sunt illi?

Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & clarificatus sum in eis.

Ego pro his rogo quos à mundo subductos tuos esse uoluisti, ut tua bonitas quod cœpit in illis perpetuum ac propriū esse uelit. Pro mundo nunc nō rogo, qui

qui malis cupiditatibus excæcatus est, pertinaciter reclamatur doctrinæ meæ, sibi ipsi salutem gratis oblatam inuidens. Pro his rogo quos mihi seruandos tradideras, quia non sunt huius mundi, sed tui sunt, & aduersus diaboli malitiam non possunt esse tuti, nisi tuo perpetuo præsidio, Tuos igitur tibi pater cōmendo, ut perpetuo tuos esse uelis, quemadmodū ego ppetuo tuus sum. Et ideo mei sunt, quia tui sunt, quod inter nos sit rerū omnium cōmunio. Quicquid em̄ meum est, idem & tuū est: quicquid tuum est, idem est & meum. Cōmune sibi mediatoris & dei regnū esse significat. Nunc em̄ per hominē Christū super omnia exaltatum cuncta reguntur & instaurantur, sed non nisi, quia hic homo à uerbo assumptus est, & idem Christus, hoc est deus simul & homo est. Quare, quia & homo Christus regnat, cunctaq; instaurat, dei uirtus est. Quanc̄ uideatur hic peculiariter de electis loqui. Hi ita cōmunes sunt patri & Christo, quod ut hic non assumat saluandos, nisi quos deus in hoc eligit, & quoscunq; deus elegit, eos suæ fidei concreditos Christus habeat ac saluos reddat. Quemadmodū autē tu mea doctrina glorificatus es apud homines, ita ego per horū fidē glorificatus sum qui mihi constanter adhæserint, pharisæis & scribis obstinate reclamantibus. Succedent enim hi quodāmodo in uices meas, ac me sublato de terris, nomen utriusq; nostrum celebre reddent per uniuersum orbem.

Et iam nō sum in mūdo, & hi in mundo sunt, & ego ad te uenio. Pater sancte, serua eos in noīe tuo q̄s dedisti mihi, ut sint unū sicut et nos.

Peregi prædicationis meæ munus, in quod isti succedunt, iamq; nō sum in mūdo, quem mox relinquo: ceterū hi mei loco manent adhuc in mundo, sparsuri per uniuersas orbis nationes quod à me didicerūt. Ego uero relicti illis ad te uenio totus. Ipsi erunt in mūdo, id est inter hostes aduersarios suos, qui ipsos omnibus modis persequentur: opus igitur habent defensione. Corpore abfuturus sum ab illis, unde necessaria est illis nostra defensio, non solū ob dignitatem meā, sed ob ipsorum indigentiam illos tibi o pater cōmendo, ut tuos serues. Pater sancte, serua eos in prædicatione tui nominis, quos mihi docēdos tradidisti, ut ea doceant quæ tu me docere uoluisti. Sic enim uere glorificabitur nomen nostrum per illos, si quemadmodum nos inter nos eadem uoluntate sicut natura & potentia consentientes, uterq; alterum glorificauimus: ita & hi nusc̄ à nobis dissentientes, illustre reddant nomen nostrum in toto terrarum orbe. Quicquid enim illi docuerint, quicquid fecerint, quoniā intelligetur à nobis esse profectū, ad nostri nominis gloriā referetur. Pater honorificauit Christū filiū suū, uicissim filius patrem: sic qui sunt discipuli Christi, honorificāt deum patrē, pater impartiendo diuinam gratiam uicissim suo modo glorificat. Non est unitas inter nos fideles præcise & deum, qualis inter deū & Christū, qui naturalis filius dei est, sed quantū ad suppeditionē gratiæ, aliquo modo & nos sumus unū cum deo, cum nos illius gloriā solū quærimus, & ipse nobis adsit suo præsidio.

Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, ut scri

psal. 108. b

ptura impleatur. Quamdiu cum illis egi secundum corporis consuetudinem, etiam corporibus officijs studui illos seruare, ueluti tuos & abs te mihi concreditos, et hæcenus continui eos in fœdere nostro. Quotquot mihi tradidisti, hos traditos bonæ fide custodiui, neq; quisquam ex hoc cōtubernio perijt præter unum, qui licet mecum uiueret, meus tamen non erat, sed perditioni natus erat, quam ipse sibi suo prope uitio uolens accersiuit. Nam à me nihil est præteritū, quod illum ad men-

tem meliorē reuocare debuerit. Nec id quidē fortuito obtigit, sed hoc fore iam olim scriptura diuina prædixerat, ut amicus & domesticus conuictor pecunia redemptus proderet in mortem dominum ac magistrum suum. Verū tuo sancto cōsilio sit, ut huius quoq; pernitēs proficiat ad publicam salutem, dum per hunc procuratur id sine quo salus non poterat contingere, dumq; paratur exemplum, quod admoneat unumquēq; in eo persistere quod cœpit, ne quod gratuita dei bonitate collatū est ad consequendam æternam salutē, ipse sibi sua culpa uertat in exitiū æternum. Quemadmodum autē in dominū caput sanctorum competit quicquid de afflictionibus sanctorū scriptum est, imō in ipso cōpletur, ita consequens est, ut non quadret tantū, sed & impleatur in hostibus Christi quicquid uspiam scriptum est de hostibus sanctorum.

C Nunc autem ad te uenio, & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

Verum ut hæcenus hæc æterno tuo consilio peracta sunt, sicuti uoluisti ita perfunctus his quæ mandasti, relinquo mundū, & ad te uenio. Sed interim abiturus, hæc loquor apud te, non quod dubitē de uoluntate tua, sed ut hac oratione consolet & confirmem meos, ut intelligant se tibi fore curę, posteaq; mei corporis fuerint orbatī præsentia & conspectu, ponantq; mœrorē, quod intelligāt me reuicturum, mox gaudeant ubi me conspexerint rediuiuum, demū ubi uiderint sublatum in cœlum & acceperint spiritum illum cœlestem, tui simul ac mei uicarium, concipiant gaudium non temporarium quod ē corporis redditū nascatur aspectu, sed perpetuū ac perfectū, quod illis semper suggerat spiritus noster inhabitans eorum pectora, ut iam non aliunde pendeant quā a fiducia nostri, rectaq; conscientia. Graues persecutionum tempestates excitabit in illos mundus, propterea quod mea doctrina non conuenit cum huius mundi cupiditatibus. De gaudio pleno in seipsis, nota, non illud fuerant habituri nisi per spiritum sanctum: nisi enim quis spiritu sancto præditus sit, parum letabitur de profectu gloriæ Christi & dei. Mundani homines non ualde gaudent si multos uiderint fieri sanctiores, imō dolent potius. Discipuli autem Christi tunc perfectum gaudium sortiti sunt, quando Christus æqualis patri habitus est, & glorificatus per mundum uniuersum opera & morte ipsorum.

Ego dedi eis sermonem tuum, & mūdus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo.

Siquidem homines inhiant rebus terrenis & caducis, ego doceo cœlestia. Hanc doctrinam abs te mihi traditam tradidi illis, quam aspernante mundo hi pauci amplexi sunt. Et ob hoc mundus hos uelut sui desertores & ad uos transfugas odio persequitur, non ob aliud nisi quod nobis adherent, mundo renunciantes. Habet hic mundus suas illecebras ad tempus blandiētes, habet sua terribilissima minasq;, quibus fortem etiam animum frangit. His tuetur suam factionem, & nostram impugnat. Aequum est igitur ac nostræ benignitatis, ut qui a mundi partibus descuerūt ad nos, seq; totos nobis crediderunt, totiq; pendent a nobis, curę sint tibi, quo mūdus intelligat tutiores esse, qui se nostris tradunt præsidijs quā qui nituntur auxilijs mundi. Simplex illorum erga nos fiducia meretur cœlestem fauorem, & odium in nos mundi, nostri causa exoritur prouocat nostrā erga illos beneuolentiam. Non enim ideo sunt inuisi mūdus quod fures sint, aut homicide, aut raptores, aut impostores, sed quod immunes sunt a uitijs huius mūdī, ab ambitione, auaritia, liuore fraudulentiq; pharisæorum, ab idololatria, a turpitudine, cæterisque uitijs, quibus passim laborat mundus.

mundus. Denique ideo odit eos mundus, quod spreta doctrina pharisaica, spreta stulta sapientia mundi, simplici credulitate pareant meis decretis, quemadmodum me quoque mundus odit, quod tuae uoluntati par uerim. Non me solum odit mundus, sed nomen quoque meum ac memoriam odit, mea quoque causa prosequetur odio quicumque contemptis humanis dogmatis sequetur simplicem ac puram doctrinam Evangelicam, propterea quod longe dissentiant a cupiditatibus eorum, qui totis studiis amplectuntur ea quae sunt huius mundi. Scimus Christum fratrem nostrum in mundo uersatum, sed non particeps peccatorum nostrorum fuit. Verum alienus erat ab omni macula peccati, ita non ex mundo fuisse intelligatur.

Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos a malo. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo.

Nunc ego perfunctus meo munere seiungor a mundi consortio: sic enim expedit. Nolo autem adhuc illos esse mihi comites, nondum est tempus, ut et ipsi stollantur a mundo, donec & ipsi perfuncti fuerint sibi delegando munere. Hoc tantum rogo, ne uiuentes in mundo mundi uitij contaminentur, & a nobis deficientes reuoluantur in mundi factione: id enim sine tuo praesidio uitare non poterunt, tot insultibus impetiti. Mihi adhaerent, mei palmites sunt, mea membra sunt: ita fit, ut quemadmodum ego sum alienus a mundo, quoniam adhaereo tibi, ita & hi sint a mundo alieni, quoniam adhaerent mihi. Homines quidem sunt & peccatores, sed non addicti moribus huius mundi: sunt enim filij non mundi huius, sed dei, crucifixi mundo, sicut & ego, hospites, non ciues huius mundi.

Sancifica eos in ueritate. Sermo tuus ueritas est.

Quemadmodum ego me purum seruaui ab inquinamentis mundi, ita tu hos puros serua ab omni mundi contagio. Id fiet, si tuo praesidio perseuerauerint in ueritate. Mundi sapientia plurimum habet falsitatis admixtum. Mosaica lex rerum umbris est inuoluta, sed tuus sermo quem ego docui, pura ueritas est, non habet fucos, non habet umbrarum fumos. Hanc ego pure syncereque tradi di, ut iam non sit opus tot interpretamentis, tot constitutionibus pharisaicis, tot elaboratis philosophorum sophismatis: sola doctrina mea simplex & omnibus obuia, si modo accesserit credulitas, sufficit ad aeternam felicitatem.

Sicut tu me misisti in mundum, ita & ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sancifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in ueritate.

Quemadmodum ego tuus, ut sic dicam, missus & apostolus bona fide gessit tuum negotium, abs te missus in mundum, nulla ex parte corruptus ex mundi contagio, sed mundum potius ad meam attrahens puritatem, & hos mei uice mitto in mundum, ut quod a me acceperunt, pure syncereque doceant, non studentes quaestui gloriae suae, sed uoluntati tuae, quo per horum testimonium plurimum pertrahantur ad nos, & a mundo separentur, qui totus in uitij est. Huius rei gratia memetipsum uictima immolo tibi, ut & hi purgati a peccatis puri perseuerent in praedicatione ueritatis Evangelicae. Non enim potest pure praedicare doctrinam meam mundo, qui mundanis affectibus fuerit obnoxius.

Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per uerbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint: ut mundus credat quia tu me misisti.

Non pro his tantum rogo, qui pauci sunt, sed pro omnibus qui per meam doctrinam ab his praedicandam, modo renunciaturi sunt, & in me fiduciam o-

mnem collocaturi. Sic enim fiet, ut quemadmodum tuus inhaerens sermonibus abs te non diuellor, quemadmodum hi meis praeceptis inhaerentes, a me non diuellentur, sed ueluti palmites uiuent in nobis, ueluti nostra membra nostro animabuntur spiritu: ita & ceteri, qui horum dictis inhaerint, quae ex me accepta mundo tradent, mihi insiti per me tibi iungantur, ut totum corpus sibi conexum cohaereat, te radice, me stirpe, spiritu sparso per omnia membra, his & qui per nos credituri sunt palmitibus per uniuersum orbem longe lateq; diffusis. Ego nihil possum sine te, hi nihil poterunt sine me. Quod abs te accipi hoc in illos transfundo per spiritum nobis communem, ut quemadmodum tu uim tuam exeris in me, & ego tibi indiuulsus adhaereo: ita & nos uim nostram exeramus in his nobis indiuulsa adherentibus, ut mundus horum concordia doctrina, horum miraculis, horum castis moribus commotus, credat me profectum abs te, & quicquid per te gessi, redeat in gloriam tui nominis, intelligat mundus & in his esse spiritum nostrum, miraculis alijsq; uarijs argumentis exerentem uim suam. Parum esset, si non tribueremus Christo maiorem unitatem cum patre quam animorum, qualis est inter amicos. Sic enim deus dilexit Abraham & ille redamauit. Sed unitas haec est naturae diuinae cum patre, & eiusdem honoris participatio, & haec omnia ante mundi initium cum apud deum esset deus, uerbum in suo tempore incarnandum. Sed & eiusdem naturae Christus nobiscum est, quia uerus homo, per quem & nos diuinae naturae inserimur per gratiam. Sic summa bona nobis Christus impetrat, ut gloriae suae simus participes. Gaudent apostoli suis priuilegijs, & sancti alij maximo in loco existentes coram Christo. Omnes nos in domino sumus, nemo alterum despiciat, cum ad unum omnes corpus pertineamus.

Et ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum sicut et nos unum sumus. Ego in eis & tu in me, ut sint consummati in unum, & cognoscat mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti.

Quemadmodum gloriam quam mihi apud homines aedita miracula peperere non mihi uendicaui, sed patri transcripsi, quem authorem semper professus sum: ita gloria quam isti magnificis gestis sibi parabunt in posterum, quoniam suo nomine nihil agent, sed omnia referent ad nostri nominis gloriam, mundus intelliget talem esse concordiam inter illos & me, qualis est inter me & te. Ego per spiritum meum agam in illis, quemadmodum tu in me per naturae unitatem notitiam & uirtutem ueritatem tuam exeruisti: ita fiet ut ipsi quoque uelut unius corporis membra, uni adherentia capiti, & eodem uegetata spiritu, mutua concordia inter sese cohaereant, ut undique sit absoluta perfectaq; concordia in caelis & in terris. Abrogat doctrinae fidem opinionum dissensio. Si concordet docentibus idem quod ego docui, si uita respondebit doctrinae, nimirum mundus intelliget non esse doctrinam humanam, sed profectam a me, quem tu in mundum misisti. Intelliget & illos tibi charos esse, uoluntati tuae obtemperantes, quem admodum ego tibi charus sum, nusquam deflectens ab animo tuo. Conuincunt haec omnia dicta nos ualde diligere a deo, idque nostras conscientias exhilarare debet.

Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego et illi sint mecum, ut uideant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi.

Cupio ut quemadmodum hi quos ex mundo sublato tradidisti mihi, ut futuri

turi sunt imitatores afflictionum & crucis meae, ita sint & gloriae consortes: ut quemadmodum spectatores fuerunt meae humilitatis, ac testes erunt supplicij mei, ita sint & gloriae spectatores, quam mihi his malis defuncto daturus es, ut et ipsi discant per afflictiones tendere ad aeterna gaudia, per ignominiam ad imortalem gloriam proficisci. Non enim est noua gloria quam mihi daturus es, nec est noua charitas qua me diligis, sed ideo profers apud homines argumenta tuae erga me dilectionis, ut qui mei uolunt esse, simili uia ambient amorē tuū, similibus factis ad coelestem gloriam enitentur. Dilecti tibi sunt ante mundum conditum, quos tuo amore, quos tua gloria dignaturus es. Nemo Christum arguat iniustitiae uel immisericordiae, si obstinati isti, qui nunquam poenitentiam agunt super peccatis suis, tantorum bonorum non fiant participes, quia Christum fontem omnis pietatis noluerunt recipere. Sua culpa igitur priuantur ijs bonis.

Pater iuste, mundus te non cognouit: ego autem te cognoui, et hi cognouerunt quia tu me misisti. Et notum feci eis nomē tuum, & notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Pater iuste, a me nihil est praeteritum, quo minus innotesceres omnibus, sed mundus magna ex parte suis uitijs excecatus noluit te agnoscere, quia mihi te docenti noluit credere. Ego uero purus a mundo te noui, et cognitum praedicaui. Nec omnino frustra fuit mea praedicatione. Per me cognouerunt & hi, quos in hoc delegeras, quod abs te profectus sim, rametsi pharisaei clamitant me profectum a Beelzebub demoniorum principe. Sed ut tua bonitas me miserat seruandis, si qua fieri potuisset, omnibus, ita tua iustitia non patietur ob quorundam incredulitatem frustrari uota credentium. Docti, potentes, religionis proceres tuam doctrinam spreuerunt, sed hi rudes, humiles, indocti per me receperunt notitiā tuī nominis efficaciamque, ut magis ac magis eis innotescat, ut summa charitate qua me complexus es, complectaris & illos, atque illi uicissim plenius edocti per spiritum meum & nos redament, & se inuicem mutua beneuolentia foueant ac tueantur. Sic enim erunt inuicti aduersus omnes huius mundi tumultus. Hucusque producta est oratio domini, in qua indicauit quantae dignitatis sit apud deum patrem suū, ut cognoscamus quam efficax sit eius petitio. Nunc exorditur Euangelista passionem dominicam.

CAPVT XVIII.

Aec cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius.

Math. 26. c
Marci 14. c
Luca 22. d

Huiusmodi sermone posteaquam dominus Iesus confirmasset erexitque suorum animos, & gregem suum suo patri commendasset, quo plane declararet discipulis suis se uolentem ac lubentem pati quae pateretur, ultrò proficiscitur obuiam ijs, a quibus erat capiendus. Nox enim erat intempesta, & nisi noto loco deprehensus capi non poterat. Ab eo igitur loco quo haec loquebatur discipulis egressus est, & transmissio torrente cui nomen erat Cedron, ab obscuritate & nigredine nomen habens, contulit se comitatibus discipulis in ortum orationibus idoneum & secretum, ad radices montis Oliueti, quem torrens diuidit a Hierosolyma. Non ignorans Iudam eò uenturum cum armata cohorte satellitum, quod Iudas qui prodebat illum non ignoraret, nempe quod domi-

nus Iesus frequenter multa nocte eò se solitus sit subducere orandi gratia cum discipulis suis. Nox enim in hoc captata est, ne quis tumultus oriretur à populo, & armata manus adhibita est, ne Iesu comites obsisterent, quo minus caperetur. Hoc est quod Euangelista subiungit,

Matth. 26. c
Marci 14. c
Lucæ 22. c

Sciebat autē et Iudas qui tradebat eum, locum, quia Iesus frequenter conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à pontificibus & pharisæis ministros, uenit illuc cum laternis et facibus & armis.

Iudas ex discipulo Iesu factus proditor, & ex comite redemptoris factus latronum dux, cum cohorte quam acceperat à pontificibus & pharisæis, quibus pactus erat se traditurum ipsis in manus Iesum, uenit in ortum, ubi cum discipulis orabat dominus. Adducebant autem secum faces ac laternas, quo posset in tenebris inquiri & agnosci, non sine gladijs & fustibus aduersus uim discipulorum, si quis forte conatus fuisset defendere magistrum & dominum suum.

Iesus itaq; sciens omnia quæ uentura erant super eum, processit & dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Iesum Nazarenum. Dixit eis Iesus: Ego sum. Stabat autem & Iudas qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.

Dominus Iesus quem nihil fugiebat eorum quæ gerebantur, ut planè doceret se & præcium & uolentem pati quæ patiebatur, non expectato illorum aduentu processit illis aduenientibus obuiam, ultrò percontans quem quærerēt, ne per errorem manus iniicerent in aliquem discipulorum. Quumq; respondissent, se Iesum Nazarenum quærere, respondit intrepida uoce: Ego sum ille quem quæritis. Aderat autē simul & Iudas cum cohorte, qui paulò ante perfidi osculi symbolo prodiderat Iesum, quum hæc loqueretur dominus, nec prodens intem, ut ad extremum usq; mansuetudinis exemplum præberet suis discipulis. Ad hanc autem Iesu uocem, Ego sum, territa cohors, repulsa est in tergum, & concidit in terram, non ferens dominicæ uocis uim. Non nudorum uerborum uirtute prostrauit milites, sed potētia diuina uoluntateq; sancta et efficaci, quasi dicendo: Confiteor quidem me hominem propter uos factum, & in uestram salutem, uerum ut cognoscatis me non purum hominem, statim agnosceatis uirtutem meam; cadetis enim retrorsum. Apparebat in Christo summa humilitas, non tamen sine excellentia diuinitatis & inuisibili uirtute, qua illos prostrauit.

Supra 17. c

B Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi uobis, quia ego sum: si ergo me quæritis, sinite hos abire. Vt impleretur sermo quem dixit: Quia quos dedisti mihi non perdi ex eis quenquam.

Vbi recepissent animos, ac rursus pararent adoriri Iesum, iterum percontatus est eos, quem quærerent. Quum respondissent quemadmodum responderant se Iesum Nazarenum quærere, rursus intrepida uoce respondit: Iam dixi uobis, me esse illum quem quæritis: quod si me quæritis, in me unum uobis facio potestatem, hos sinite abire, in quos uobis per me ius non est in præsentia. Hoc ideo fecit Iesus, ut clarissimo argumento declararet nulla ui capio potuisse, nisi se capi permisisset, posteaquam semel et iterum sola uoce perditam et armatam militum manum unà cum impudenti proditore submouisset, atq; in terram

terram prostrauisset. Porro quemadmodum sui capiendi fecit potestatem, ita non idem ius permisit in discipulos, quia prædixerat eam tempestatem id temporis in suum unius caput sæuituram, reliquos deiciendos quidem, sed incolores futuros donec eos reuideret. Interim & boni pastoris imaginem præbens, qui sui gregis incolumitatem suæ uitæ dispendio redemit. Si apostoli deprehensi, propter imbecillitatem fidei, periclitati fuissent non solum corpore, sed & animo defecissent, cum iam adhuc essent teneri, neque spiritum fortitudinis accepissent, custodit illos. Prius nihil defuerat absque marsupio dimissis, & uiatico, & tamen consolabatur à Christo: sic nunc quoque noluit eos grauius periclitari. Cum Petrus ad uocem mulierculæ deterritus fuerit, & alij fugerint, quid facturi erant, si capti fuissent cum Christo?

Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen seruo, Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in uaginam. Calicem quem dedit mihi pater, non uis ut bibam illum?

Simon Petrus qui peculiari quodam amore domini sui flagrabat, quoniam magna quædam de se fuerat pollicitus, quod suæ uitæ dispendio redempturus esset uitam domini, quum uideret armatam cohortem iniicere manus in Iesum, oblitus eorum quæ dixerat illi dominus, subito calore percitus eduxit gladium, nec satis expectato domini iussu percussit seruū pontificis Malchum nomine, sed ictu frustrato tantum auriculam abscidit illius dextram, domino mirum Petri manum moderante, ut leue uulnus esset, cuius damnū tamē mox sua lenitate restituit. Passus est autem dominus futurum ecclesiæ suæ rectorem in hunc errorem pio quodam affectu cadere, quo certius & efficacius in posterum eximeret omnem ulciscendi libidinem, ac ius armorum in totum excuteret, posteaquam & illum obiurgasset, qui nondum accepto interdico pium dominum pio affectu aduersus impios tueri pararet. Iesus itaque uim quidem militum diuina uirtute cohibuit à Petro, sed interim discipulum iam ad reliquum pugnae flagrantem obiurgat, dicens: Quid agis Petre? Exciditne tibi quid primum quum me dehortareris à morte, audieris, uidelicet dictus satanas, & à tergo sequi iussus? Quorsum expromitur gladius? An ut mortem meam impedias, quam uolens & ex autoritate patris subeo? Crucem meam imitari te decet, non depellere. Reconde igitur ensem tuum in uaginam, res Euangelica non agitur eiusmodi præsidij. Si uis in meas uices succedere, non alio gladio pugnandum erit tibi quam Euangelici sermonis, qui uitia amputat, homines seruat. An non bibam hoc mortis poculum, quod mihi pater tradidit ebibendum? Quomodo fiet, ut unum simus omnes, quemadmodum ante rogauit, nisi quemadmodum ego ad mortem usque pareo uoluntati paternæ, ita & uos obtemperetis præceptis meis? Amputata est auricula, ut iam non sit sacerdotium apud illos, iam non audiant uerbum domini. Deinde nomē Malchos, quod est rex uel regnum, indicat perituram regiam dignitatē & sacerdotalem populo Iudeorum, imò iam perierat sub Herode. Internoscendum est inter officia apostolorum & magistratum, priuatorum hominum & eorum qui publicis muneribus funguntur. Si Petrus dixisset: Amici quid agitis, quare capitis hominem innocentem? & declarasset suam charitatem, ut quis pro fratre solet famam uel uitam lucrari, tunc quoque non meruisset redargui. Sed quoniam alieno munere fungicœpit, id est gladio uti, qui permissus ei non est, merito reprehenditur: ita qui

seipfos vindicant contra leges publicas, uel etiam alios gladio defendere uolunt, ubi opus est uirtute uerbi, hi iam nequaquam excufari poterunt. Nolebat Christus regnum parari per apoftolos, ficut per Mofen dominus fecit. Qui fua autoritate gladium capiunt, pereunt; magiftratu datus eft gladius, hi non pereunt, quia miniftri dei funt & iuftitiæ.

C Cohors autem & tribunus & miniftri ludæorum comprehenderunt Iefum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum: erat enim focer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius: erat autem Caiphæ qui confilium dederat ludæis, Quia expedit unum hominem mori pro populo.

supra 11. f

Hoc fermone coercitis à pugna difcipulis, cohors militum & horum tribunus unâ cum miniftris quos addiderant pontifices & pharifæi, impias manus iniecerunt in Iefum, ac facinoroforum in morem ligatum adducunt primû ad Annam pontificem Caiphæ focerum: Caiphæ autem erat fummus illius anni pontifex, de quo prius dictum eft, quod reliquis ambientibus quid effer facien- dum de Iefu, propter munus quod gerebat prophético fpiritu afflatus, fuaferat eum omnino tollendum è medio, quod fic expediret in cõmune, ut unius hominis morte totius populi falus redimeretur. Ad huius igitur generum primû ductus eft Iefus, ut illius oculos optato fpectaculo pafcerent, atq; in huius ædibus examinaretur, fi quã criminis fpeciem in eo poffint reperire. Quamquam enim animos haberent parricidales, tamen ob metum populi & præfidis diu- bant iuftitiæ fpeciem aliquam prætexere. Sed impiam hominum aftutiam diu- na prouidentia uertit in filij fui gloriam. Dum enim fic capitur, fic ducitur ab Anna ad Caiphæ, à Caiphæ ad Pilatum, à Pilato ad Herodem, ab Herode rur- fus ad Pilatum; dum à multis examinatur, ac multis nominibus accusatur, om- nes innocentia fua testes fecit ac profefiores, etiam inimicos. Nullum autem cer- tius innocentia testimonium quàm quod ab inimico ueritas extorquet. Quam- uero nõ dederint æquitate pontificia fpecimẽ, liquet clarius ex hoc quod pro- ditionem innoxij pecunia redemerunt. Per conductam armatorum manû iner- men ceperunt non reluctantem, fed tantû ædito fpecimine uirtutis fua, fi uol- uiffet uti. Sponte fe præbentem alligarunt, ducunt non ad iudicem, fed ad ho- stem ueluti prædam oftentantes, atq; ibi demum crimen obijciendû quaritur. Quum prophanarum etiam legum æquitas nemini manum injiciat, nifi prius criminis inuidia uehemens grauet aliquem. Elegans antithesis eorû quæ Chri- ftus paffus eft, & eorum à quibus nos liberati fumus. Nos eramus obnoxij uin- culis peccati & mortis. Christus autem ideo uinctus eft, ut à uinculis peccatorû noftrorû et malarum confuetudinum liberaremur. Serui eramus peccati, effici- mur nunc liberi per Chrifti uincula. Ita in toto processu hiftoriæ licebit per an- titheses allegoricum fenfum elicere. Ducitur ad Annam primum, ut nos apud dominum abfoluamur, ne ducamur ad terribile tribunal æterni iudicij. Ita om- nem uiolentiam pro nobis paffus eft, ut ab æternis pœnis liberaremur. Obser- uandum quædam inculcari hic quæ apud alios non habentur, quafi acta efferent in ædibus Annæ sacerdotis, cum acta fint in domo Caiphæ, in domo eius ponti- ficis, qui erat anni illius. Vulgus fenfit apud Annam fuiffe quod Petrus nega- uit, nos de loco negationis parum curatum uidemus ab Euãgeliftis, fed de nu- mero & forma cum occafionibus.

Sequebatur autem Iefum Simon Petrus, et alius difcipulus. Discipu- lus

Ius autem ille, erat notus pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium pontificis: Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus alius Matth. 26. 2 qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid et tu ex discipulis es hominis istius? Marci 14. 68 Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus, stans, & calefaciens se. Lucæ 22. f

Ad pontificem dum duceretur Iesus, Simon Petrus quanquã à pugna prohibitus, tamen adhuc non nihil fidens uirtuti suæ sequebatur Iesum unã cū alio quodam discipulo, qui paulò ante super cœnam accubuerat in pectus Iesu: is quoniam erat notus pontifici, fretus hac notitia ausus est ingredi ad atrium usque cum Iesu: Petrus quoniam ignotus erat, non ausus est intro consequi, sed restitit foris ad ostium, multum interim degenerans ab illa fortissima uoce, Ego animam meam pono pro te. Et tamẽ adhuc aliquid restat animi masculi: nam amoris erat quod ausus est ad ostium usque sequi, quum cæteri alius alio se recepissent: cæterum quod non est ausus introire, erat formidinis ac mox sequitur ænegationis præludium. Sed alter ille discipulus uidens Petrum non consequi, admonuit ancillam ostiariã, ut eum qui stare ante ostium introduceret. Quod quum esset factum, mulier intuens Petrum, & quasi per somnium noscens, quod aliquando uidisset eum in comitatu Iesu, præsertim quum ab illo fuisset iussus introduci quem sciebat esse discipulum, Num tu quoque, inquit, discipulus es istius hominis, qui modo captus adducebatur. Ad hanc uilis mulierculæ uocem, quæ tamen nihil sæuum aut formidabile præ se ferebat, quum Petrum conferret cum eo, quem nõ impetebat, quum sciret esse Iesu discipulum, & ita Iesum nominaret hominem, quasi miseretur illius potius quàm indignaretur, subito oblitus omnium quæ tot uerbis inculcarat Iesus, oblitus tam magnificæ pollicitationis, negauit se esse discipulum Iesu. Hac nimirum est prima professio uolentium principum aulis sese addicere, abnegare se discipulum Christi humilis, & ipsius ueritatis. Sic ingressus Petrus miscuit se ministris ac seruis pontificis, qui stabant ad prunas, & ob frigus intempestæ noctis calefaciebant se, simulq; cum illis calefaciebant se, sperans se ita posse latere, expectans interim quem exitum esset habiturum quod agebatur de Iesu. Nondum enim omnem spem defugiendæ mortis abiecerat, quanquã ita metu percussus, ut nec illud ei ueniret in mentem, quod dominus modo prædixerat futurum, ut fortis ille pollicitator adiuuaret dominum suum. In tentationibus probantur qui uere amici. Discipuli Christi etiam inter tentationes sese amicos ostenderunt. Afflicto iucunditatem affert amicorum compassio. Mœror ingēs, si quis in necessitate ab amicis relinquatur. Discimus per Christum pro ueritate patiendum pijs. Quis discipulus ille fuerit non probatur, opinio est fuisse Ioannem, non admodum probabilis. Si Petrus à lapsu securus nõ fuit, quis de suis præsumeret uiribus? Semper nobis in domini timore ambulandum: deficientes à Christo per infirmitatem suscipiendi sunt, si qui per malitiam relinquendi. In discipulis nõ fuit fides in totum extincta, in Iuda nihil superfuit fidei, spei, uel amoris. Qui per infirmitatem deficientes à Christo, possunt multo fortiores resurgere, ideo non ilico condemnandi ab Euangelio deficientes per fragilitatem: non offendit tamen pios, dolent rem Euangelicam non promoueri, quanquam non audeant palam profiteri. Petrus antea paratus ire in carcerem, is ad leuem puellæ uocem negat,

quid si fuisset raptus ad eculeū: nemo ergo p̄sumat, multo minus desperādum.
D Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis & de doctrina
 eius. Respondit ei Iesus: Ego palām loquutus sum mundo, ego semper
 docui in synagoga & in templo quō omnes Iudæi conueniunt, & in oc-
 culto loquutus sum nihil. Quid me interrogas: interroga eos qui audie-
 runt quid loquutus sim ipsis: ecce hi sciunt quid dixerim ego.

Annas pontifex quo speciem aliquam legitimi iudicij præberet, sed re uera
 hoc agens, ut ex uarijs Iesu responsis aliquid exciperet quod illi criminis uice
 posset impingi, multa percontatus est Iesum de discipulis suis, quales essent, un-
 de esset eos nactus, & in quem usum eos colligeret, & quid illos docuisset clan-
 culum. Iesus autem intelligēs eum non æqui iudicis animo percontari, quo ue-
 rum cognosceret, sed fraudulenter uenari quod crimineretur, & in discipulos
 interim ansam captans, quos Iesus adhuc uolebat esse in tuto, nihil respōdit ad
 pontificis insidiosas interrogationes, sed à suo suorūq̄ testimonio relegat eum
 ad testimonium publicum, & testimonium etiā inimicorum, quo nullum po-
 test esse certius innocenti. Cur, inquit, me rogas, quid in occulto docuerim me-
 os: Mea doctrina non fuit seditiosa, neq̄ clancularia, ego palām loquutus sum
 mūdo, ego semper quod docui, docui in synagogis uestris, docui in templo die-
 bus festis, loco & tempore celeberrimo, quo ex omnibus Syriæ partibus una-
 diq̄ Iudæi conueniunt: nihil autem in occulto loquutus sum quod idem nō pa-
 lam docere sim ausus. Toties audiuit me populus, toties pharisæi, quid nūc me
 tanq̄ de furtiua clanculariaq̄ doctrina percontaris? quin illos interrogas, qui
 me publice docentem audierunt: Illorum erit certius testimoniū, qui mihi nū-
 la familiaritate iuncti sunt, pleriq̄ etiā oderunt. Referant illi uel inimici quid
 docuerim: sciunt enim plurimi, nec difficile erit inuenire testes doctrinæ meæ.
 Videtur quibusdam id actum & dictum in domo Caiphæ, sicut & omnes tres
 Petri negationes. Duo præcipue inter multa interrogauit pontifex de discipu-
 lis & doctrina eius. Non interrogauit ut melior fieret, sed ut cōdemnaret, ideo
 doceri non merebatur. De discipulis nihil respondit, de doctrina ut innocentis
 simus libere respondere potuit. Peculiare omnibus bene docentibus, lucē non
 fugere, paratis respondere. Indiciū ueræ doctrinæ est lucem non formidare.
 Mūdo hic capis pro malis & bonis auditoribus. Clancularij doctores sunt su-
 specti. De doctrinæ ratione Christus non tacet quoties inquiritur, cum de re-
 liquis non semper respondeat.

Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum, dedit alapam
 Iesu, dicens: Sic respondes pontifici? Respondit ei Iesus: Si male loquu-
 tus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis?

Hæc cum dixisset Iesus, docens interim pro ueritate nonnunq̄ fortiter qui
 dem, sed absq̄ conuitio respondendum esse, quidam ē ministris pontificis qui
 forte proximus astabat, non dissimilis suo domino, is uolens tueri dignitatē sui
 pontificis aduersus libertatem Iesu, quemadmodum Petrus uolēs tueri sui ma-
 gistri incolumitatem aduersus uim militum, nō expectato iussu sui domini, in-
 pingit alapam in faciem domini Iesu, conuitium addens & pontifice & se famu-
 lo dignum: Siccine tu respondes pontifici? Poterat dominus Iesus & hunc im-
 pium pontificem perdere, & hunc impactorē alapæ cohibere, nisi uoluisset suis
 exemplū exhibere quā sint præpostera, quāq̄ peruersa mundi iudicia. Ho-
 rum enim spectator assidebat Petrus, qui uilis ancillæ uocē ferre non poterat,
 quum

quum dominus à famulo caderetur. Porro dominus Iesus qui mansuetissime se gessit aduersus omnes iniurias, nusquam seuerior quam in eos qui titulo specieque religionis oppugnarent ueram religionem, non tulit tacitus alapam qui crucem tacitus pertulit. Præsidebat pontifex, examinabatur uinctus Iesus, iudicij species erat. Et apud Ethnicum iudicem auditur uicissim & interrogatur reus, apud pontificem pro respõso dabatur alapa, & dabatur ei qui iudex est futurus uiuorum & mortuorum. Respondit itaque Iesus libere quidem, sed mansuetissime: Loquor apud iudicem, ei respondeo rogatus: hic rationibus agitur etiam apud Ethnicos, nõ alapis. Si quid male dixi, doce: sin nihil male loquutus sum, cur tu iudicis minister in iudicio tacente iudice nihil refellēs me uerberas? Cautum quidem lege erat sacerdotes honorare, sed æque necessarium sacerdotes esse sanctos, ut deus est. Arbitrantur pontificum famuli, nisi quis per omnia aduletur illis, eos conuictis afficere. Alapa symbolum est impudētia, qua cadebantur olim qui uanius nugatijs aut impudentius quid loquuti erant. Necessaria erat Christi responsio, ne sacerdotem cõtempnisse uideretur. Contempto enim sacerdotio contemnitur qui instituit sacerdotiũ, & deus, cuius esse creditur sacerdos. Nemo tamen puniendus nisi de malo conuictus. Satis apparet sacerdotem magis confusum facto adulatoris quam Christi responsione. Sunt etiã alia acta coram Caïpha, cũ interrogaret eũ, an esset filius dei, quæ tanquam ab alijs narrata Ioannes omittit. Nunc iterũ transit ad alias negationes Petri, ut doceatur Christus futura tam luculenter prænouisse & ueraciter prædixisse.

Et misit eum Annas ligatum ad Caïpham pontificem. Erat autem Matth. 26. f
 Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu Mar. 14. f
 ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei unus ex ser Lucæ 22. f
 uis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: Nõne e- Matth. 26. g
 go te uidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus, & statim gal- Marci 14. g
 lus cantauit. Lucæ 22. f. g

Annas quanquam pro sua malitia gaudebat Iesum esse captum, tamẽ quoniam nihil expiscari potuit ex eo, quo uel probabiliter conuinceretur, misit eum, ut erat uinctus ad Caïpham pontificem generum suum. Sed interea dum sic stat Petrus ad prunas, & se calefacit, nimirum, ut hic dicitur, in domo Caïphæ, admixtus turbæ ministrorum, erant inter hos qui ex notis Petrum utcumque nosciantes, dicerent illi: Num & tu ex huius discipulis es, qui sic tractatur à pontifice? Petrus conspecto tam immani spectaculo, magis etiam exterritus, rursus negauit se discipulum Iesu. Iam enim sensit illos ex pontificis interrogatione de discipulis etiam comprehendendis cogitare. Hac negatione Petrus arbitrabatur se futurum à periculo liberum, quemadmodum sese explicauerat ab ostiaria. Sed quo magis agnosceret quam nihil posset ex suapte natura et uirtute, separatus à cõsortio domini sui, stabat in reliqua ministrorum turba. Quidã sanguinis propinquitate cõiunctus illi qui paulo ante in orto cum cæteris audentior, primus tentarat iniicere manus in Iesum, percussus erat à Petro, & auriculæ damno mulctatus, hic diuino consilio subornatus est, ut ulcisceretur cognati sui iniuriam, sed re uera Petri temerariam de se fiducia corrigeret. Non contentus enim unica Petri negatione, quoniam pugna, quanquam in tenebris acta, fecerat eum insignem, Quid, inquit negas te esse de numero discipulorum istius? An non te modo uidi his oculis in orto cum Iesu? Ad hanc uocem penitus exanimatus Petrus, deuouit seipsum, si noscet hominem. Et ilico cecinit

gallus. Nec hoc signo quod dominus illi prædixerat, Petrus ad se rediit, nec rediturus erat, nisi dominus efficaci contuitu suo reddidisset illum sibi, tacitoque afflatu prouocasset poenitentiae lachrymas. Tot modis docendus erat apostolorum primus, & ecclesiae doctor, ut in omnibus sibi diffideret, & ex unius domini sui praesidio penderet.

Matth. 27. 6

Marci 15. 6

Luce 22. 8

Adducunt ergo Iesum à Caipha in praetorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.

Quum igitur apud Caipham totam noctem examinatus esset usque ad diluculum, nec quicquam in eo repertum esset sceleris, ob quod capite plecti posset, ab aedibus Caiphae pontificis deducunt Iesum ad Pilatum, ut innoxij sanguinis inuidiam in eum deriuarent. Ac Iesus quidem, ut erat uinctus per cohortem conductam deductus est in praetorium praesidis: caeterum ipsi Iudaei non ingressi sunt praetorium, ne contaminarentur, propterea quod comedendus esset illis agnus paschalis uesperis eiusdem diei, ad cuius esum puri uolebant accedere, peruersa nimirum religione, qui se crederent praesidis, quia Iudaeus non erat, innoxia domo prophanari, quum ipsi tot artibus molirentur necem homini nihil commérito, imò tot modis bene merito.

Matth. 20. c

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem afferatis aduersus hominem hunc? Responderunt & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum. Dicit ergo eis Pilatus: Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudaei: Nobis non licet interficere quenquam. Ut sermo Iesu impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

Pilatus ubi uidit nouam iudicij formam, captum & uinctum antequam esset auditus à iudice, armatam hominum manum, prodijt foras, ipse contaminandus eorum alloquio qui sibi iam uidebantur puri. Prodiit autem, ut si fieri posset placata Iudeorum uesania, liberaret innoxium. Mittitis, inquit, hunc ad me capite plectendum. Atqui non est moris Romani, quenquam afficere supplicio, nisi conuictum de crimine capitali. Quod igitur crimen huic intenditis? Responderunt Iudaei: Sit tibi satis pontificum & pharisaeorum autoritas. Si non esset ille maleficus, quae nostra est religio, non tradidissimus eum in manus tuas. Pilatus suspicans, id quod res erat, esse aliquid priuati odij propter legis struptionem, si quid est, inquit, quod ad meum tribunal non pertineat, ueluti si uiolatum sabbatum, si gustatae carnis suillae, si quid liberius dictum in Moysen, prophetas, templum, uel deum uestrum, aut si quid huiusmodi commissum est quod uestra lex punire iussit, quum non sit alioqui Romanis legibus uentum, ipsi tollite ad uos hominem, & iuxta legem uestram iudicate illum. Ego Caesaris nomine praesidem ago, si quid aduersus huiusmodi legibus uentum, quod capitali supplicio dignum sit, adferre, & legitime conuictum afficiam supplicio, caeterum uestrae legis quaestionibus me non admisceo. Iudaei uero tamen, ne mox darent poenas iudici, quod innoxium & indemnatum occidissent, simulque nouum supplicij genus affectant in illo, quod tamen apud Iudaeos erat omnium probrosissimum. Nobis, inquit, non est fas interficere quenquam. Ista dicebat impudens natio, quae tot prophetas occiderat, sibi blandiens quasi esset

esset ab homicidio immunis, quum innocētem tot modis adigerent ad necem. Animum habebant homicidam, linguas habebant homicidas, conduxerant proditorem, conduxerant cohortem, conduxerant falsos testes, confinxerant falsa crimina, urgent ac terrent iudicem, & sibi uidentur ab homicidio puri, digni quī uescantur agno paschali, non ob aliud nisi quod ab ingressu pratorij sese continuissent. Hæc autem facta sunt, ut perspicuum esset, nihil sceleratius peruersa religione, simulque fieret quod Iesum futurū prædixerat, per ænigma significans qua morte foret moriturus, quum diceret: Quum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me, ut omnino intelligeremus, non solum mortem illi constitutam fuisse, sed delectum etiam mortis genus. Sic perpetuo mendaces faciunt, renunciant suis priuilegijs, quando non in suum commodum cedunt, mordicus autem uindictam ut suis desyderijs satisfaciant.

Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & uocauit Iesum, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum? Respondit Iesus: A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respōdit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti?

Matth. 27. 6

Marc. 14. 6

Lucæ 23. 6

Pilatus posteaquam auditis Iudæorum uocibus intellexisset inter cætera nescio quid obijci Iesu de regno affectato, nec in Iesu specie quicquam apparet quod huic crimini faceret fidem, rursus ingressus est prætorium, foris relicta turba, & accersito priuatim ad se Iesu, ut absque tumultu ex homine, quod ex uultu quoque liquebat probò & prudente, quid esset expiscaretur, dixit: Tūne es rex ille Iudæorum, quem dicuntur expectare? Hoc unum diligenter exquisit Pilatus, quod cætera non pertinerent ad rem publicam: cæterum hoc crimen uideretur & ad Cæsaris maiestatem & ad publicam tranquillitatem pertinere. Exquirat autem non quod credat, sed ut ex reo suppeditaretur quo refelleret Iudæos. Iesus autem tamen non ignoraret hoc esse falso delatum à Iudæis, quod in Cæsaris contumeliam affectaret regnum, tamen ut Iudæorum malitiam detegeret, & Pilati subleuaret æquitatem, longe meliorem pontificibus et pharisæis, tamen prophanus esset, & Iudaicæ religionis contemptor, respondit: Vtrum hoc ex te coniectas, quod regni sim affectator, an Iudæi hoc nomine me detulerunt tibi? Pilatus & suram apperrens innocentiam, & Iudæorum malitiam, Nequaquam, inquit, hoc ex me coniecto, neque quicquam in te uideo congruens illi crimini, Iudæorum est illa de uenturo rege fabula. An me putas esse Iudæum? Gens tua calumniatrix, & tui pontifices tradiderunt te mihi, modis omnibus agentes ut occidaris. Sed quoniam non est Romani moris indemonstratum occidere, si falsum est affectati regni crimen, quid igitur commisisti?

Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis: nunc autem regnum meum non est hinc.

Hæc quoniam Pilatus simpliciter sciscitabatur ut liberaret innocentem, Iesus illi per ænigma dignatus est respondere, docens aliud regni genus esse, de quo prophetae fuissent loquuti, longe sublimius hoc regno mundano, quod humanis legibus humanis præsidijs costaret, quod nihil posset nisi in corpora, sed esse regnum cœleste, quod mundi regnum non affectaret, sed contemneret, non laederet, sed prouheret in melius. Regnum, inquit, meum non est huius generis.

ris, cuius est regnum Cæsareum. Hoc terrenum est, meum uero cœleste. Nihil igitur affecto, quod affectatum lædere possit Cæsaris maiestatem. Si meum regnum esset huius mundi, non hæc in me mundus impune faceret; nimirum haberem & ipse more cæterorum regum armatum satellitium, haberẽ laterones ac stipatores, haberem instructas copias. Hæc præsidia decertarent armis pro me, ne Iudæis hoc quod moluntur in me impune liceret. Nunc paucos habeo discipulos, & eos imbelles ac tenues, ipse inermis & imbellis, uidelicet alijs nitens præsidijs, eo quod meum regnum non sit terrenum. Ministri Christi angeli sunt, regnum Christi in spiritu est, per tempus istius uitæ dum dominatur in cordibus fidelium per uerbum suum; sicq; egit & agit regem Christus. Vbi ueritas innotescit, & locum inuenit apud mortales, regnũ Christi uidetur. Quod si Christus uoluisset aduenire ut imperator, nõ defuissent cœlestes angelici ministri, quorum unus suffecisset contra omnes Iudæos. Non est regnum Christi situm in exterioribus, & in ullo dominatu terreno uel potentatu, item neq; in cibo & potu uel externis ceremonijs, sed in ueritate.

Dixit itaq; ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testi moniũ perhibeã ueritati: omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est ueritas?

Hoc ænigma quum Pilatus homo prophanus non satis intelligeret, audisset tamen Iesum non prorsus abnuere regis nomen, sed regni genus distinguere, dixit: Ergone uerum est, te regem esse alicubi, quodcumq; sit istud regni genus, quod ad nos non pertineat? Hic Iesus serio rogatus à iudice, an aliquo modo rex esset, quod uerum est, modeste professus est, Tu, inquit, dicis me regẽ esse. Totidem enim uerbis mutata pronuntiatione confirmat quisquis interrogat. Non est meum inficiari, quod uerum est, præsertim cum in hoc natus sim, & ideo uenerim in mundum, non ut fallam mendacio, sed ut testificer ueritatem. Cuius simplex est animus, nec huius mudi cupiditatibus obcæcatus, agnoscit & audit uocem meam. Pilatus autem nec hæc quæ dicebantur intelligens, nisi quod arbitrabatur rem ad suam cognitionem non pertinere, nec tamen daretur idonea responsio à Christo, qua Iudæos uel placaret uel abigeret, quum interrogasset, quid esset ueritas illa de qua loqueretur, & cuius testandæ gratia uenisset in mundum, non expectato responso rei, rursus prodijt foras ad Iudæos. Interim tamen notandum eum esse ex ueritate & de regno Christi, qui uocem Christi audit, quam & Christus annunciauit, qui dixit se uiam ueritatem & uitam, & nemo uenit ad patrem nisi per me. Mundus abhorret ab illa ueritate, Christum esse saluatorem nostrum: uult enim alios saluatores. Super illa autem confessione ædificata est dei ecclesia, hoc Christus prædicauit, & miraculis testatus est. Hoc credunt oues Christi, quos deus prædestinauit, ut essent filij dei. Quærit Pilatus, quænam sit illa ueritas, cui ut testimonium perhiberet, uenit in mundum. Sed indignus erat qui edoceretur, qui etiã alias Christi doctrinas non magnificiebat hypocritarum more.

Et cum hoc dixisset, iterum exiuit ad eos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. Est autem consuetudo uobis ut unum dimittã uobis in pascha: uultis ergo dimittam uobis regem Iudæorum? Clamauerunt rursus omnes dicentes: Non hunc, sed Barrabam. Erat autẽ Barrabam latro.

Math. 27. c

Marci 15. b

Luce 23. b

Quid

Quid multis opus est, inquit? examinaui hominem, nec ullum inuenio crimen in homine capitis supplicio dignum. Nec ideo præsidem hic ago nomine Cæsaris, ut innoxij mea sententiâ condemnentur; cæterum etiamsi noxius sit uobis, quod ego non comperio, tamen æquum est, ut si uelut innocenti nolitis parcere, tamen ob diei festi religionem ueluti nocenti uitam condonetis. Est autem hic mos apud uos, ut in hoc festo paschæ quod à uobis omnium sanctissime colitur, unum aliquem è nocentibus condonem uobis flagitantibus. Vestrum igitur erit è duobus eligere, Barrabam nobilem latronem, & publicæ tranquillitatis conturbatorem, aut hunc Iesum hominem meo iudicio innoxium, quem quidam dicunt esse regem Iudæorum. Præstat enim, ut hic etiamsi aliquid admisit, sentiat uestræ solennitatis gratiam. Vultisne igitur, ut hunc uobis condonem? Non enim expectabat præses tantam Iudæorum uesaniam, ut palam facinorosum notæq; audacię latronem Iesu mansuetissimo & innocenti præferrēt. At Iudæi magno uocum consensu clamarunt omnes: Non istum uolumus nobis donari, sed Barrabam. Certum est, Pilatum multo plura loquutū fuisse cum Christo quàm Euangelista describat. Quia autē cognoscebat Pilatus innocentem Christum, sui officij erat Christū liberare, nec pati, ut tanta perfidia Iudæorum grauaretur. Et quia deses initio fuit, ultrò quoq; plapsus est, & magis atq; magis à iustitiâ deflectere cœpit; ita enim fieri solet. Vnde & statim Christum confert latroni, & latronem dimittit, Christum uero innocentem ad flagella rapit, corona spinea coronat, ludibrijsq; traducit coram populo, id quod iustū iudicem nequaq; decebat. Et cum posset Christū eripere & dimittere, uult tamen condonare Iudæis, quasi per misericordiam liberet Christum, & non per iustitiam absoluat, quod per se nō caret magna culpa. Videtur hæc consuetudo de liberando reo in paschate non sine mysterio esse introducta. Agnoscebant Iudæi obnoxios se fuisse mortī in Aegypto, sed diuina misericordia liberatos. Sane totum humanum genus cōdemnatum erat, & in uero paschate Christo pro nobis mortuo liberatum. Igitur ex patrum traditionibus, qui agnoscebant in pascha humanum genus liberandum esse, à uero & immaculato agno dimittēbant noxium quendam. Regem autem Christum uocat Pilatus per contemptum, quasi dicere uellet: Apparet satis quàm misera gens sint Iudæi, qui non alium regem nacti sunt. Fit autem Iudæorum unanimis consensus in peccato ad Christi maximam ignominiam & dolorem, qui solet cadere in generosa peccata, cū preferuntur indigni dignis: quanto maior est, si innocentissimus condemnatur, & præferatur illi sceleratissimus? Licet quoq; hic uidere ingenium mūdi, qui semper filios dei condēnat, & pessimos quosq; suo fauore prosequit.

CAPVT XIX.

Unc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit: Et milites **A**
 plectētes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius, & ueste **Matth. 27. c**
 purpurea circūdederunt eum, et ueniebant ad eum, & dicebāt: **Marc. 15. b**
 Aue rex Iudæorum, & dabant ei alapas.

Præses ubi tentatis omnibus (Nam Iesum & ad Herodem per occasionem ablegarat, nullum non mouens lapidem, ut uel à reo semet explicaret, uel absolueret innocentem) perspiceret sese nihil proficere apud furem Iudæorū populum, iuxta morem Romanū iussit Iesum cædi uirgis. Porrò milites qui aderant in atrio, quorū plerosq; Iudæi ad seuitiæ ministeriū conduxerant, de suo ingenio multā crudelitatem adiecerunt solenni supplicio. Nam casu ludibrii cau-

sa induxerunt clamidem pupuream, & coronam e spinis contortam imposuerunt illius capiti, tradita in manu sceptri uice arundine, mox uelut regnū affectatum exprobrātes homini humili & contempto, ueniebant ad eum, & flexis genibus dicebant: Aue rex Iudæorum. Quin & faciem illius conspuebant, & impingebant alapas, ad omne ludibrii genus sese mansuetissime præbente rerū omnium domino, quo nos, qui cum nil sumus, tamen animos excelsos ac præferoces gerimus, doceret lenitatem, et in malis tolerantiam. Hæc autē passus est Pilatus fieri in Iesum, ut Iudæorum odium hac hominis afflictione placaret. Sollet enim populi furor, si fuerit aliquousq; debacchatus in eum in quē fertur, subito conquiescere, præsertim si ludibrium additum calamitati pro inuidioso reddat miserabilem eum qui passus est.

Exiuit iterum Pilatus, & dicit eis: Ecce adduco uobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. Exiuit ergo Iesus foras, portans coronam spineam, & purpureum uestimentum. Et dicit eis: Ecce homo.

Præses iterum prodijt foras, tentaturus an posset multitudinis sauitiam mitigare. Ecce, inquit, adduco uobis hominem foras, ut eius spectaculo fatietis oculos uestros, et intelligatis quomodo tractatus sit in uestram gratiam, quū ego nullum crimen inueniam in eo. Prodiit itaq; Iesus iussu Pilati, sicut erat ornatus, uinctus, cæsus, consputus, gestans spineam coronam, & uestē purpuream, & exhibens eum Pilatus, ait: Ecce homo adest. Eductio ista ad populum addebat Christo multum doloris & pudoris, quæ tamen pro nobis pati uoluit innocentissimus, non ignarus suæ dignitatis. Loquitur autem Pilatus populo, ut uideant nequaquā esse regem. Quis enim putaret hominē sic flagellis discerptum, & ferē homini non parem, referentem faciem potius leprosi: quis, inquam, putaret illum esse regem? Non est uerisimile aliquid metuendum de illo, qui sic est humiliatus. Ita contemptibilis est Christus & populus dei coram hoc mundo, ut ferē non sint similes hominibus.

Cum ergo uidissent eum pontifices & ministri, clamabant, dicētes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo causam.

Hoc spectaculo quo quantauis Barbarorum feritas poterat mitescere, non solum non sunt mitigati Iudæorū animi, sed magis etiā accensi sunt, ut quod hæcenus successisset, perficerent. Metuebant enim pontifices, ne si tam atrociam passus dimitteretur, post uersis populi tum concitati studijs, in ipsorum capitulum recideret huius immanitatis inuidia. Pontifices itaq; cum suis ministris infanatum tumultu clamabant: Crucifige eum. Pilatus intelligēs ex captata misericordia nihil esse spei, metu tentat furorem illorum coercere: Ego, inquit, iuris administrator sum, non alieni odij uindex, & nocentes legum autoritate punio, non sum innocentiae carnifex. Hæcenus sauitum est odio uestro, non ultra sauiam in innoxium. Quod si decretum est illum in crucem agere, nolo hoc meū prætorium impiari innocentis hominis sanguine. Vos hominem uestro periculo abducite, et si uidetur crucifigite. Ego non soleo crucifigere nisi facinorosos. In hoc nullum inuenio crimē cruce dignū. Nam quod de regno obijcitur crimē, in hunc talem non competit. Nec satis est reo crimen obijcere, nisi certis argumentis probetur quod obiectum est, præsertim quoties de capite hominis agitur. Hæc tota res non legitimo more, sed per tumultum geritur.

Responderunt

Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem B
debet mori, quia filium dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc ser-
monem, magis timuit, & ingressus est prætorium iterum, & dicit ad Ie-
sum: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit illi.

Iudæi cum audirent præsidem tanto studio patrocinantem Iesu, nec omnia
no committendum ducerent, ut aliquo pacto Iesus elaberetur e manibus, crimen
commenti sunt, quod apud iudicem imperitum legis graue uideri posset: Quan-
quam, inquit, nihil commiserit aduersus leges Cæsareas, tamen nos legem ha-
bemus à deo traditam, quam Cæsar etiam nobis reliquit, & secundum hanc le-
gem commeruit mortem, quoniam se fecit filium dei, & sibi diuinitatem arro-
gans, in deum fuit blasphemus. Hoc cum audisset Pilatus, nec esset in promptu
quod illis responderet, reduxit Iesum in prætorium, & ipse ingressus, iterum al-
loquutus est illum, cupiens expiscari quid esset hoc quod obijcerent, et quomo-
do posset refelli. Rogat igitur primum unde esset, ut cognita gentis origine re-
felleret quod affectasset uideri filius dei. Quanquam apud Ethnicos tum fabu-
lis poetarum erat proditum, & uulgo credebatur, quosdam ex deo & homine
natos semideos haberi. Iesus autem sciens Pilatum hæc omnia tentare, quo tan-
dem uitam illi lucrifaceret, nec ignorans futurum, ut omnibus tentatis obstina-
to Iudæorum furori cederet, ne uideretur omnia conatus ut elaberetur, nolens
ad mortem adactus fuisse, nihil omnino respondit præsidis. Nam quod hæcenus
responderat, innocentiam suam testatam esse uoluit, mortem autem uolens ac-
lubens oppetere decreuerat. Si Christus non alia ratione dixisset se filium dei,
nisi per adoptionem communem alijs sanctis, nequaquam occasionem Iudæi ac-
cepissent accusandi, sed satis claret quod uerum dei filium se dixerit. Hoc est
scandalum Iudæis atque omnibus arrogantibus ingenijs, qui diuina solent æsti-
mare iuxta rationem eorum, quasi eadem filiatio in diuinitate, ut in humanita-
te sit. Erat tamen filius dei & non seipsum fecit, sed ab æterno semper à patre est
genitus uerus deus. Pilatus quoque, quia nimium deflexerat à iustitia, & inno-
centem Christum flagellat, indignus erat cui Christus tum arcana reuelaret.
Ita etiam docuit nos Christus tempus esse loquendi & tacendi, ne margaritas
proijciamus ante porcos, & sanctum canibus. Iam ante edoctus erat, Christi re-
gnum non esse de hoc mundo, & ad quanta missus esset, sed non expenderat,
ideo indignus cui nunc respondeatur.

Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia habeo potesta-
tem crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit Iesus:
Non haberes potestatem aduersus me ullam, nisi tibi datum esset desu-
per. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

Pilatus admiratus hominis silentium in capitis periculo, quum iudicem ha-
beret tam fauentem, ut eum ad respondendum prouocaret: Cur mihi, inquit,
non respondes in capitis tam præsentis periculo constitutus? An nescis mihi ius
uitæ ac necis esse in te? Sum enim præses huius regionis, si forte nescis, & ex
mea uoluntate pender, utrum suffigaris in crucem, an libereris à causa. Ad hæc
nihil respondet Iesus eorum quæ expectabat præses, qui ad causæ defensionem
cupiebat instrui, pro iudice futurus patronus. Verum quoniã ea res speciem
præbuisset, quasi non uolens pateretur, nihil huiusmodi, tantum de potestate
quam sibi Pilatus arrogabat, respondit, subindicans nec illi liberum esse absol-
uere, quum illius potestas seruire cogretur furori Iudæorum, nec illos autem

nec ipsum quicquam in se ualiturum, nisi sponte uolensque pateretur. Habes, inquit, tu quidem potestatem iuxta leges humanas, sed in me nullam haberes potestatem, nisi permissum esset ab eo cuius potestas superat omnem humanam potestatem. Et faues tu quidem innocentiae, sed tamen aliorum improbitas alio uictum te rapit. Propterea populus Iudaeorum, qui huius mortis author est, suaque uiolentia iudicem propellit ad hominis innocentis condemnationem grauius peccat. Videmus discrimen in peccatis, licet ex eadem radice ueniāt. Grauius qui per malitiam peccat quam qui ignorantia: hi ueniam merentur, illi non. Iudaei nouerant miracula, uitam iustam & innocentem, ideo magis peccarunt. Pilatus ut Ethnicus neque sciebat legem, nec quid permissum in illa, excusatur a tanto, sed non ab omni. Oportebat iuste iudicare, non gratificari parti aduersariae cum damno alterius. Consolationē hic habent sancti omnes, & ministri dei, ut sciant citra uoluntatem dei nihil contingere. Suam uoluntate deo consecrant & subiiciunt, eam ob causam magis constantes, et patientia ampliori praediti sunt.

C Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum. Iudaei autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris: omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari. Pilatus autem quum audisset hos sermones, adduxit foras Iesum, & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabatha. Erat autem parasceue paschae hora quasi sexta,

Hoc audito Pilatus, quum intelligeret hominis & modestiam & innocentiam, & Iudaeorum malitiam, & suam aequitatem non esse reo ignotam, cui hoc magis fauebat, quod uideret eum nec mortis periculo commoueri, tentabat omnes uias ut aliquo pacto Iesum absolueret. Id sentientes Iudaei, quod crimen illud prius ex lege intentatum negligeret praeses, nec cessaret hoc agere modis omnibus ut Iesus dimitteretur, ad prius crimen redeunt, quod ostendunt nec ipsi iudici tutum negligere. Si nihil, inquit, ad te pertinet quod peccauit in deum nostrum, certe hoc ad te pertinet quod peccauit in Caesarem: quisquis sibi uindictam dicat regnum iniussu Caesaris, Caesaris laedit maiestatem: at iste se regem facit, quod si hunc absoluis, non es amicus Caesaris, qui faueas Caesaris hosti. Hac quum audisset, occlamantes coniuratos pontifices ac pharisaeos, reliquaque multitudinem, tamen non ignoraret esse uanissimum quod intentabatur, tamen quoniam perspiciebat implacabile sacerdotum & pharisaeorum odium in Iesum, tum mirum primorum ac populi consensum in unius hominis perniciem, si mulque uideret Iesum innoxium quidem, sed humilem ac tenuem, sibi ipsi deesse, cogitans interim & illud, apud Caesares multos quamlibet falsi criminis inuidia fuisse periclitatos, iamque uisus sibi satis adnixus aduersus conspiratos totius gentis primores ac populum ad unius humilis hominis tuendam innocentiam, decreuit illorum odio seruire, sic tamen ut Iesum condemnando absolueret, & suam innocentiam praefatus, impij facti inuidiam in Iudaeorum capita referret. Productus est igitur Iesus foras ueluti reus, quum in eo condemnando nullius legitimi iudicij species esset obseruata. Pilatus sedit pro tribunali, in loco aedito, ut omnibus esset conspicuus, cui hinc nomen Hebraeis Gabatha, Graeco autem dicitur Lithostrotos, quod lapide stratus esset. Sic enim conueniebat solennem ac publicam esse Iesu condemnationem, ne quem lateret eius innocentia. Sic enim condemnari absolui erat. Traditus est Iesus ad crucem, sed in Iudaeos

Iudæos pronunciatum est à iudice. Iam autem appetebat tempus, ut iuxta festi diei rationem innocens sanguis pro mundi salute immolaretur. Erat enim pasceue paschæ, hora ferme sexta, quo magis urgebant Iudæi diuinæ dispensationi per ignorantiam subseruiētes, ut mature suoq; tempore perageretur hoc sacrificium.

& dicit Iudæis: Ecce rex uester. Illi autem clamabant: Tolle tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem uestrum crucifigam? Responderūt pontifices: Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur.

Pilatus itaq; iam iudicis habitu conspicuus populo, è tribunali demonstrat eis regem, ut uel ex ipsa specie liqueret quàm in eum non competeret affectate tyrannidis crimen qui sic affectus tantam animi tranquillitatem tantam mansuetudinem præ se ferret, Ecce, inquit, rex uester. At Iudæi nihil aliud sitientes quàm sanguinem innoxium, clamabant, Tolle tolle, crucifige eū. Placebat Iudæis ignominiosa mors, sperantibus fore, ut crucis ignominia prorsus abominabile redderet Iesu memoriam, nec ullum post exoriturum, qui nomen illius sic extincti profiteretur. Pilatus irridens illorum pertinacem insaniam, Quid, inquit, An regem uestrum tanta afficiam ignominia, ut suffigam in crucem? Hoc dedecus recidet in gentis ignominiam, quæ regem suum ad crucem adegerit. Hæc uox Pilati quanquam non profecit Iesu, tamen prodidit Iudæorum malitiam, & extorsit seruitutis inuisæ publicæ confessionē, Messiam negantes, hoc est regem, quem à prophetis promissum multis sæculis expectarant, Cæsaris regnum quo premebantur misere oderant, tamen odijs efferati publice Messiam suum abnegant, & Cæsarem dominum agnoscunt. Non habemus, inquit, regem nisi Cæsarem. Tanta erat ulciscendi libido, ut ultrò sese in æternam seruitutem addicerent, quo Iesum libertatis authorem extinguerent. Pilatus igitur uidens omnia frustra tentari, tradidit illorum arbitrio Iesum, ut crucifigeretur. Vides quomodo irridetur regnum Christi ab Ethnicis, qui ignorant quale sit regnū in spiritu: quicquid illis dixeris de ueris uirtutibus, ridiculum erit, apud superstitiosos autem alios & Iudæos erit offendiculum maximum. Indigni fiunt Iudæi regno Christi, digni autem qui Cæsaribus seruiant, iam in millesimum & quingentesimum annum, et adhuc diutius, donec, si deus uoluerit, regnum Christi agnoscere & amare cœperint.

Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt eum. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraice autem Golgatha, ubi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.

Acceperunt milites Iesum productum è prætório, quæ duxerunt ad locum supplicij, qui erat extra ciuitatem, ut locus quoq; responderet figuræ. Nam uisita quæ consecratur testamentum, extra septa populi immolabatur. Huc ibat Iesus, iam suis indutus uestibus, quo magis esset omnibus probro, qui fauerant ei, ipse sibi humiliter crucē baiulans; nam & hoc procuratum est à Iudæis, ne quid ignominia deesset. Quin & locus infamis delectus est, in quo ex more scelerosi supplicio plecti consueuerunt, passim iacētibus extinctorum ossibus, funestus & execrabilis, nimirum præ se ferens cui rei dicatus esset, & ex re nomen erat inditum uulgo. Et ne quid superesset ignominia, procuratum est & hoc à Iudæis, ut simul alij quoq; duo palàm facinorosi crucifigerentur cum Iesu.

T r

Matth. 27. d

Marc. 15. b

Luca 23. e

su, ut nocens ex flagitiosorum consortio æstimaretur, uidereturq; crimen esse commune, quibus erat commune supplitium. Vtq; prorsus ad illorum societatem pertinere uideretur, sic ordinarunt Iudæi cruces, ut medius esset Iesus, hinc atq; hinc septus latronibus. Sed nescit humanis sordibus inquinari fons omnis puritatis, illustratur etiam hominum probris fons omnis gloriæ. Crux ante probrosa per illum facta est triumphale signum, cui mundus inclinat caput in gloriam crucifixi, & memoriam salutis, cuius mysterium sacrosanctissimum adorant angeli, quod tremunt dæmones. Inuenit illic condemnatus, quæ ex latrone faceret paradisi ciuem, tantum aberat, ut supplitij societas contaminaret Christum. Pro nobis est mortuus Christus, morte sua omnium ignominiosissima docuit nos, ut humanam gloriam calcaremus, & præsentem uitam non tantum faceremus, sed obediens essemus deo usq; ad mortem; interim expendentibus nobis quanta Christus ignominia passus sit, & simul quanta constantia & charitate mortem pro uita nostra subierit impetranda, ut satisfaceret pro peccatis nostris, & cœlestem patrem mundo conciliaret, & sic spem nostram confirmaret. Paucis dicit Euangelista, Vbi crucifixerunt eum. Quanti fuerint cruciatus non ostendit, neq; admodum ad rem pertinet utrum tribus id clauis confectum sit an quatuor, quod uerisimilius est, suppedaneo affixo cruci, cui dominus insitebat cruci affixus, ut uetustissimæ ostendunt figuræ.

Scriptum autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi legitur Iudæorum, quia prope ciuitatem erat locus ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraice, Græce, & Latine.

Ne quid autem ad iusti supplitij specimen deesset, additus est ex more suis cuiq; titulus, qui & personam indicaret & crimen. Pilatus autem cum cæteris suis pro meritis addidisset titulos, cruci domini Iesu titulum hunc iussit affigi, Iesus Nazarenus rex Iudæorum, quo nimirum ipsa etiã inscriptione testatam faceret & Iudæorum malitiam & pendens innocentiam, in quem is titulus iuxta Iudæorum accusationem non competebat, & tamē iuxta id quod apud præsidem fuerat ipse professus, maxime competebat. Siquidem Iudæus Hebræis sonat confitentem. Erat autem & est uere rex ac liberator omnium profitentium nomen ipsius, quibus largitur consortium regni cœlestis. Hunc titulum quo magis grauaret inuidiam pontificum & pharisæorum curauerat Pilatus triplici lingua scribendum, Hebraice, Græce, & Latine, quarum prima erat illius gentis peculiaris; alteræ duæ ob frequens Græcorum & Romanorum commercium sic erant inuectæ, ut pleriq; Iudæi etiam Hebræam ignorantes, Græcorum uel Latinorum idiomata haberent tunc in usu, imò non tam Hebræicam loquebatur ibidem quàm Syriacam, differentem ab Hebræica, ut Italica à Latina: Hebræicam enim non nisi docti intelligebant, Chaldaicam uel Syriacam omnes illius regionis incolæ, quæ materna fuit & Christo & apostolis. Cautum igitur erat à præside, ne quisquam hominum hunc titulum ignoraret, siue Ethnicus esset siue Iudæus, indigena uel peregrinus.

Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli scribere, Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.

Hanc inscriptionem pharisæis inuidiosam ob loci frequentiam, quod urbi uicinus esset locus Golgotha, & uel casu prætereuntibus conspicuus multi Iudæorum

dæorū legebant, & pleriq; Iesu Nazareni nomen agnoscebant, Quantū autem abfuisset ab affectato regno plurimi nouerāt, qui uiderant illū abdere sese, quū ad regnum pertrahēdus esset. Expectabatur autē uulgo Iudæis rex ille promissus à prophetis, quem ipsi Messiam uocāt. Hoc cum negligeret Pilatus, tamen imprudēs eum dedit titulum, qui maxime demonstraret omnibus quis esset ille qui pendebat. Pendebat enim uere rex ille regum, qui morte sua debellabat diaboli tyrannidem, qui uere rex erat, & semper futurus est fidelium omnium, & omnium sæculorum & gentium. Tropheum ergo potius diceres quàm crucem. Quum omnia uiderētur ignominia plena pontificijs & pharisæis, tamen hæc inscriptio mouit eorū animos, quod honorificētior esset q̄ uellent; tantum erat impijs studium abrogandi nominis, cui uni debebatur omnis totius mundi gloria. Agunt itaq; cū præside de mutando titulo, ne scriberetur, Rex Iudeorum, sed quod sibi nomen hoc usurpasset. Præses autē quanq̄ imprudens, illud iam tamen præludebat futuræ, ut salutiferi nominis professio, quā falso dicti Iudæi abnegarāt, ad Gentes credulas, hoc est ad ueros Iudæos fideles Messia subditos demigraret. In ceteris igitur hæcenus morigeratus illorum odijs, negauit nunc se titulum mutaturum, Quod scripsi, inquit, scripsi. Siquidem in rem omnium erat occidi Christum, sed rursus in rem omnium erat, nominis illius gloriam toto orbe celeberrimam reddi, cuius professione salus omnibus deferretur, inuitis omnibus impijs Iudæis, qui nunq̄ destiterunt pro omni uirili sua obstrepere gloriae Christi, & persequi cultores eius & apostolos omnes, donec miserimo fato nō solum templum & Hierosolyma, sed & gens ipsa tanta eliminata est, & funditus eradicata, ut tanto tēpore radices agere nunq̄ & nuspian in toto orbe ualuerit, sed pro spreta Christi gloria extremā portent in toto mundo ignominiam, iustissimo simul & stupendo iudicio dei. Experiuntur & sentiunt imperium Christi, in ipsorum damnum & Christi gloriam, experimēto sentientes quod prophetis futura dicentibus hæc credere non uoluerunt. Et iam ferē tot annis exules sunt post Christum, quot fuerant promissæ terræ hæredes & accole, imò fermē, ut liquet, pluribus. Ab illo ergo die quo crucifixus est dominus, incipiebat regnū Christi, ad quod latronem suscepit, propterea titulus huiusmodi abolendus non erat.

Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt uestimenta eius (& Matth. 27. d fecerunt quatuor partes, unicuiq; militi partem) & tunicam. Erat autem Marci 15. b tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: Luce 23. c Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Vt scriptura E impleretur, dicens: Partiti sunt uestimenta mea sibi, & in uestem meam Psal. 22. c miserunt sortem. Et milites quidam hæc fecerunt.

Ergo cum hoc titulo suffixus esset in crucem dominus Iesus nudo corpore, quemadmodum mos erat, milites qui crucifixierant eum, ex consuetudine partiebantur inter sese uestimenta Iesu: nam hoc illis cedebat ueluti in opere præmium. Quum autem essent quatuor, reliquū uestitum, quoniam ex uarijs partibus erat consutum, sic dissuerunt, ut suam quisq; portionem ferret. Supererat autē tunica, uestis nimirū interior, et corpori uicinior, non illa quidē consuta, sed ita contexta à summo usq; ad imū, ut dissuta futura esset inutilis. Visum est itaq; militibus, ut hæc non scinderetur, sed ei tota contingeret cuicunq; fors fauisset. Hæc autem tametsi prophanis animis à militibus gererentur, tamen im prudentes subseruiebant uaticinio prophetarū, ut hinc etiam agnosceretur is

esse, de quo p̄dixerat spiritus diuinus in Psalmis: Partiti sunt inter se uestimenta mea, & super ueste mea miserunt sortes. Et hæc quidē gesta sunt à militibus adhuc uiuo pendente domino. Ludus ille per sortes huiusmodi opprobrosissimus erat, quasi pro re aliqua uili & contempta ludebāt; ita quæ Christi erant uidebantur illis contemptissima.

Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum uidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.

Quæ nunc sequuntur, dolorem Christi grauiorem reddunt. Pati enim tam cōtumeliosa & dolorosa coram amicissimis, quos scimus nobis optime uelle, & nobiscum dolere, aliquid addit tristitiæ. Ita hoc loco contigit: nam quis dolorem quem mater Christi hauserat ex aspectu filij cōtempti, & uarijs modis cruciati, satis exprimeret? Is, inquam, dolor cruciat etiam Christi pectus. Habet tamē & hoc suum mysteriū, ut sciamus Christū non solum in se pati, sed in suis dilectis, qui stant iuxta crucē, & participes sunt crucis Christi, ut mereātur cum illo triumphare & regnare. Stabat, inquit, iuxta crucē magnanimiter spiritu sancto pectus eius digne confirmante & consolante, ne quis nimium & indignum uirgini luctum adscribere uelit, & ueluti desperabundæ similem. Sciebat saluatorem mundi filium dei, sic patri placere, post triduū resurrecturū in gloria & glorificandum, accepto regno & potestate in cœlo & in terra. Non autem hoc sine miraculo erat. Non omnino proxime stabat, sed ut uideri & audiri posset à Christo. Vbi & discimus, ut mutuum nos cōmendemus, alter alterius curā gerat, inferioris potens curā non abiiciat. Discipulus Christi amici sui patrocinio destituebatur, ambo autē audiunt à Christo, ut se mutuum habeant cōmendatos: hoc utilius discitur q̄ allegoriæ. Matrē eam uocat generali nomine, filium dicit: Putas tibi ablatum amicum, habes iam matrē meā, illa non minus officiosa erit in te q̄ ego fui. Absq̄ dubio si Christi spiritus in nobis fuerit semp̄ ille excitabit aliquos, qui nostri gerent curā, Ecclesia cōmēdatos habebit, qui Christo dilecti sunt, & qui præ alijs Christū diligunt: illi etiā ecclesiæ edificandæ & promouendæ maximā habituri sunt curā, quæ mater fidelium dicitur. Christus deniq̄ præceptum de colendis parentibus etiam in mortis articulo uoluit ostendendum docere exemplo suo.

Psalm. 68. e

F Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut cōsummaretur scriptura, dicit: Sitio. Vas autē positum erat aceto plenū. Illi ergo spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerūt ori eius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinatus capite, tradidit spiritum.

His peractis quum Iesus sciret nihil superesse quod ad legitimam uictimam pertineret, ut hoc quoq̄ accederet, quod prophetia prædixerat: Dederūt in escam meam fel & in siti mea potauerūt me aceto, clamauit de cruce Sitio. Solēt autem qui hoc supplicij genere moriuntur, uehementer discruciarī siti, uidelicet sanguine p̄ uulnera corporis exhausto. Nimirū & hoc faciebat ad declarationem humanæ naturæ supplicijq̄ non simulati ueritatem. Aderat autē illic uas acido uino plenum, quod sitiētibus porrigi solet ob mortē accelerandā. Milites igitur

igitur spongiam acido uino impletam, & imposito hyssopi ligno admouerunt ori eius. Simulatq; uero gustasset acetum Iesus, dixit: Consummatum est, significans rite peractum sacrificium iuxta patris uoluntatem. Ac mox inclinato capite reddidit spiritum. Multa alia commemorantur à cæteris Euangelistis, quæ Christus loquutus est cum latronibus, quomodo orauerit p̄ crucifixoribus & transgressoribus, deinde ut clamarit se derelictum à patre. Hic Ioannes de siti meminit, in qua uidetur Iudæorū ingratitudo & malitia, qui ne potum quidē aquæ administrabant, sed pro refocillamento obtulerunt acetum, ita ut etiam linguam eius uulnerarint, ne nihil esset alienum in Christo à cruciatibus. Addidit: Consummatum est. Nihil enim reliquum est uel obmissum, quod oportebat fieri pro redemptione humani generis. Sacrificium Christi sacrificium est perfectissimum, non est ut denuo mactetur, semel satisfecit, & consummauit sacrificium semel, unica illa oblatione reddidit sanctificatos in perpetuum, eos qui ei fidunt ex corde. Quod uero capite inclinato tradidit spiritum, declarat uere fuisse hominem, neq; alium passum quam ipsum Christum, multis modis declarauit adiectis uerbis, In manus tuas pater commendo spiritum meum, quemadmodum & fideles omnes deo patri suum commendant spiritum, qui sunt unus spiritus cum Christo. Dicens autem tradidit spiritum, ostendit uoluntarium sacrificium, & summam ad nos charitatem, ut posuerit animam suam pro ouibus.

Iudei ergo (quoniam parasceue erat) ut non remaneret in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo.

Videmus iterum præposteram ac peruersam Iudæorū religionem. Innoxium benemeritum sceleratis odijs impijs modis adegerunt in crucem, nihil deterriti à tam immani facinore diei festi religione. Cæterum de tollendis è cruce corporibus superstitione laborant Iudæi. Pilatum adeunt, ut ipsius iussu crura frangerentur pendentibus, quo mors acceleraretur, deinde cadauera tollerentur è medio, ne conspectu sui diem festum funestarent. Erat profestum diei magni, qui ab apparatu sacrorū Græcis dicitur parasceue. Iam homines religiosi peractio tam crudeli facinore, perinde quasi re bene gesta, ad Mosaicam uictimam pure celebrandam intenderat animum, ignari quod paschalis agnus ille uerus iam esset immolatus. Adeo pestifera res est pietas in rebus corporalibus sita, quæ cum animi pietate coniuncta non sit. Annuente igitur Pilato, milites utriusq; latronis crura fregerunt, quos adhuc uiuentes repererant.

Ad Iesum autem quum uenissent, ut uiderent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed unus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua.

Quum peruentum esset ad Iesum, uidentes iam exanimem, superuacuum putantes, non fregerunt illius crura: nam in hoc frangebant, ut cito moreretur qui pendebat. Sed astabat inter milites quidam, qui quo certior esset mors domini Iesu, lancea perfodit latus eius, ac protinus ex uulnere p̄fluxit sanguis & aqua, magno mysterio declarantes, quod eius mors nos ablueret à peccatis, & quod eadem uita nobis largiretur æternam. Nam baptismus constat aqua, in sanguine uita est hominis: præter naturam autem est, ut è corpore uulnerato fluat aqua, sicut & de corpore mortuo sanguis. Christus autem crucifixus statim à patre glorificari cœpit. Iam omnes conatus Iudæorū irritabantur: sicut titulus quem cogitabant

immutare immutatus non est, ita illorum consilia non successerunt. Inuidia & odij illorum erat, ut confringeretur crura dñi Iesu, sed diuino cōsilio est impeditū.

Exodi. 12. g

Num. 9. b

Zach. 12. c

Et qui uidit, testimonium perhibuit, & uerum est testimonium eius, & ille scit quia uera dicit, ut & uos credatis. Facta sunt enim hæc, ut scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

Qui oculis suis hæc fieri conspexit, hæc testatur, scimus uerum esse illius testimonium. Nouit & ipse dominus Iesus, q̄ testis ille uera prædicat, ne quis uestrū dubitet credere quod alioqui uideretur incredibile. Hæc autē tametsi casu geri uidebantur, uidelicet q̄ pro cruribus frangendis latus illi perfossus sit, tamen diuini cōsiliij dispensatione gesta sunt, ut hæc etiā in parte prophetarū oraculis rerum euentus responderet. Nam inter ceteros ritus quibus in Exodo Moyses docet celebrandū esse phasē, nominatim & illud præscripserat, ut agnus ille sic occideretur, ne quod os illius confringeretur. Hæc nimis nota declarabat Iesum esse uerum illud phasē, cuius imaginē agnus ille Mosaicus gesserat. Rursum per Zachariam spiritus ita loquitur: Videbunt in quem cōpunxerunt. Nam olim cum eodē corpore uenturus quo pependit in cruce, tametsi iam glorioso, tamen uestigium uulneris ostendet omnibus, & fontem frustra apertum incredulis exprobrabit, cuius profluxu sanari poterant. Non caret honestis cogitationibus, si quis expendat Christum aperuisse suū latus, ut penetremus usq̄ ad cor illius, sicq̄ summā charitatē agnoscamus. Ecce uides pectus illud diuinū, et plenū amoris, unde ista quæ alijs tūc uidebantur fortuito euenisse, multa in se continebāt mysteria, quæ Christianus magna cū gratitudine secū expendet. Confirmat hoc factū morientes, ut sentiant & in morte uitam esse, et uitam nostram in deo absconditam esse, modo credamus in Christum, etiam cum mori uidemur.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) ut tolleretur corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu.

Certa iam morte multorum experimento cōperta, supererat ut sepultura resurrectionis fidem multis modis confirmaret. Christus autē quemadmodū omnem uitā humilem esse uoluit, ita sepulturā uoluit esse magnificā, nō ut nos doceret sepulchri curā agere, sed ut peractis ijs quæ pertinebāt ad dispensationem humilitatis, iam ad resurrectionis gloriā præluderet. Tum autē honos uiuo exhibitus, non caret uel suspitione uel periculo, ceterū honor qui ultrò defertur mortuo, certissimum est uirtutis testimoniū. Ioseph igitur uir nobilis ac potēs, Arimathiensis patria, qui & ipse fuerat discipulus Iesu, sed occultus ob metū Iudæorum, qui legem sanxerāt, ut quisquis se profiteretur discipulū Iesu, submoce tollere corpus Iesu, adijt Pilatū, cui notus erat, petijtq̄ ab eo, ut sibi liceret de cruce ergo Ioseph ad crucē, & corpus deposuit. Multa alia apud alios Euangelistas legitur manifestari statim cœperit. Nam & multa alia miracula contigerūt, Aperiēbantur monumenta, uelum templi scissum est, & petra &c. Et qui antea occultati propter metum Iudæorum dissimulare omnia compulsi sunt, illi iam magno cum honore & sumptu Christum mortuum publice sepeliūt, ut uideamus mortem Christi uirtutem dare timidis, quo certa fiducia eum confiteantur.

Venit autem & Nicodemus qui uenerat ad Iesum nocte primum, ferens

rens mixturam myrrhæ & aloës quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu, et ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est sepelire Iudæis.

Accessit interim funeralis adiutor officij & ille Nicodemus, uir inter phariseos præcipuæ nobilitatis, & ipse clancularius Iesu discipulus, qui prius noctu uenerat ad Iesum, quemadmodum narratum est, uitans phariseorum inuidiam, Hi sciens quod liuor solet à morte conquiescere, freti fauore præsidis, audent mortuo supremum honorem exhibere, quem uiuum palam conuenire non audebant. Attulit autem Nicodemus unguentum ex myrrha & aloë mixtum, ad libras ferme centum, quantum corpori magnifice condendo sufficiebat. Sublatum igitur corpus Iesu communi officio, undique aromatis obleuerunt, & oblinitum linteis circumligarunt, ne deflueret unguentum. Nam hunc in modum mos est Iudæis sepelire corpora ne putrescant. Atque hoc honoris deferebant domino Iesu, uelut homini magno & integro, ne quis existimaret eum ob maleficia mortuum fuisse. Nihil enim adhuc altius de illo sentiebant, nisi quod uir innocens ac probus, deoque charus fuisset. Atque hic apparatus inibi perfectus est, ne quis suspicari possit corpus fuisse mutatum. Non pepercerunt sumptibus, quanquam in ea regione talia minore in pretio sunt quam nobiscum. Myrrha & aloë plurimum profunt corporibus conseruandis, ne statim putrescant. Morem hunc sepeliendi susceperunt à patribus, contestantes fidem resurrectionis. Non nunc opus est ut talia impendamus corporibus, sed ita terræ demandentur, ut resuscitanda speremus.

Erat autem in loco ubi crucifixus est, ortus, & in orto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

Sepultus est dominus in orto, qui proximus est loco crucis. In orto erat monumentum nouum, nuper è solido lapide excisum, in quo nullum adhuc corpus fuerat reconditum. Et hæc tametsi casu geri uidebantur, ad fidem resurrectionis faciebant. Non enim poterat suffossium uideri sepulchrum, quod in solida rupe fuerat excisum, nec alius credi poterat ex eo resurrexisse, in quo solus erat repositus. Nec hoc tam agebant Ioseph & Nicodemus, qui non sperabant resurrecturum, uerum diei festi Iudæica religione mouebantur. Erat enim parasceue Iudæorum, quo fas non erat operari. Proinde ne corpus relinqueretur insepultum, minimo negotio in proximum monumentum reposuerunt. Quin & Iudæorum diligentia seruiuit ad fidem resurrectionis futuræ. Nam hi custodibus à Pilato impetratis curarunt obsidendum monumentum, ne quis clanculum corpus subduceret: nec hoc contenti, saxum ingens quo claudebatur os monumenti obsignarunt. Innumera præterea insunt huic historię passionis Christi, quæ non sine magno fructu pietatis ab electis perpēdi possunt: sed quibus eorum quæ dominus nobis dixit fecit & pertulit curiositas sancta fuerit, ipsæ per se illa occurrent: in propatulo enim posita sunt. In his ergo inquirendis & excutiendis studiosi simus, missis blasphemis nugis, quas somniorum præcones huic sanctissimæ historię assuerūt, quasi uero non supra quæ satis sit ad summum supplicium fuissent quæ Euangelistæ conscripserint. Quod nobis eo perpēdendum est, ut non dubitemus nos iam eo à morte in æternam uitam assertos, ut hinc exultemus potius, gratias patri agentes, qui filium suum pro nobis in mortem tradidit, & filio qui tam crudele & infame supplitium pro nobis pertulit.

lit, ut peccatum tanto syncerius detestemur, quod fuit causa tanti supplicij in filio dei & saluatore nostro,

CAPVT XX.

Marci 16. 4
Luca 24. 4

A **V**Na autē sabbati Maria Magdalene uenit mane cum adhuc tenebræ essent ad monumentum, & uidit lapidem sublatū à monumento. Cucurrit ergo & uenit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum quem diligebat Iesus, & dicit illis: Tulerūt dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.

Ceteris quidē discipulis partim desperatione perculsis, partim Iudeorū metu delitescensibus, nulla erat cura funeris; ceteræ discipulas aliquot eadē habebat sollicitudo, quæ tenuerat Ioseph et Nicodemū, sed diē festi religio continuerat illas ab opere parandorū aromatum. Porro simulatq; præterisset sabbatū paschæ, noctu paratis unguentis primo diē sabbatum illum magnū sequente, hoc est dominico diē, priusquā plane illuxerat, Maria Magdalene uenit ad monumentum. Quæ cum uidisset saxū quo fuerat occlusus aditus monumenti, sublatum & patere sepulchrū, nihil aliud suspicata est q̄ corpus noctu fuisse sublatum ad iustam sepulturā; nam illic pro tempore positum fuerat corpus, ueluti mox iusto funere decorandū. Perturbatis enim morte domini spes illa resurrectionis exciderat omnibus. Resiliit ergo à monumento nondū inspecto Maria & curriculo uenit ad Simonē Petrū, apud quē erat Ioannes, discipulus quem diligebat Iesus, aitq; ad eos: Sublatus est dominus à monumento, nec scio quō transtulerint eum qui sustulerunt. In Marco & Luca quædam quæ hic ommissa sunt habemus, hicq; solum de una Maria, in Marco de tribus legimus, Summo diluculo ueniunt ad ortū auroræ, loquentes inter se, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti, & cum circumspicerent, uident lapidem amotū. Unde apparet eandem esse historiā, licet hic de sola Magdalena loquatur. Erat admodum officiosa & alacris, quæ etiam diē ipsum præuenit officio suo, curatura funus Christi, & deploratura magistrum suum. Alij Euangelistæ de terremoto facto habent, & quomodo angelus remouerit lapidem, & terruerit custodes ut aufugerent. Vox illa Nescimus, præter hoc quod sodales foeminas se habere subindicat, ut nō sola uenerit, quid aliud sonat q̄ imperfectam fidē: Vtiq; non Iudæi sustulerant, qui apposerant custodiam, amici uero honoratum optabat dominum, proinde inconsiderata uox erat Nescimus.

Exiit ergo Petrus & ille alius discipulus, & uenerūt ad monumentū. Currebant autē duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, & uenit primus ad monumentum. Et cum se inclinasset, uidit posita linteamina, non tamen introiuit.

Ioannes uicit Petrum cursu, priorq; peruenit. Reperiēs autē ostium apertum, non est ingressus propter formidinē quidē, sed circumflexo corpore suo prospexit per monumentū, si uacuum esset, uiditq; corpus esse nullū, sed linteamina relicta aromatibus oblita, quibus corpus fuerat obuolutum, simulq; sudarium quo contactum fuerat caput Iesu, non admixtū linteaminibus, sed conuolutum & separatim positū: ut facile liqueret corpus non esse sublatū à furibus, qui totum corpus ut erat obuolutum, potius abstulissent cum aromatibus linteis & sindone, si non ob pretium rerum, certe ob id quod non tantum habuissent

sent otij ad detrahenda corpori unguenta quouis uisco tenatius inhaerentia, & suo quæq; loco digerenda. Hæc erat prima qualisqualis resurrectionis spes, oblatâ primoribus discipulis, qui et dominum sequuti diligentius & perseverantius leguntur, ideo præ alijs consolantur.

Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & uidit lintheamina posita, & sudariũ quod fuerat super caput eius, non cum lintheaminibus positum, sed separatim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui uenerat primus ad monumentum, & uidit, & credidit: nondũ enim sciebant scripturam, quia oportuit eum à mortuis resurgere.

Mox & Petrus superuenit, qui cognita re ex Ioanne, ut tardior fuerat in cursu, ita audacior fuerat pariter & curiosior in uestigando. Non enim contentus in monumentum prospexisse, etiam ingressus est. Hunc consequutus est & aliter discipulus ille prospector, qui solus ingredi nõ audebat, sed socius aduictus ademittit formidinis partẽ. Iamq; certo uiderunt cominus, quod alter ceu per umbram uiderat, nullum usquã esse corpus, sed corporis exuias, sic detractas ac sepositas, ut non à furibus per tumultũ, sed per otium factum uideretur. Nondum tamen credebant eum reuixisse, tantũ illud credebant esse uerũ, quod dixerat Magdalena, corpus sublatum à monumento. Quanquam enim audierat ex Iesu, quod resurrecturus esset, tamen ea nõ infederant penitus animis eorũ, & si quid inhaerent, id metus ac tumultus crucis excusserat. Nondum enim penitus intellexerant scripturam propheticam, quæ certo prædixerat futurũ, ut Iesus moreretur, & die tertio reuiuisceret. Prædictum autem fuerat in Psalmo de Christo, quod caro illius non esset uisura corruptionem. Etiam in Iona præfiguratum, qui tribus diebus in uentre ceti iacuit. In omni tamen sua prædicatione ostendat sibi nihil impossibile ob uim in se diuinã. Et de hac futura tertia die resurrectione sæpe loquutus erat, quæ tamẽ nondũ recte pceperat ut oportuit.

Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. Maria autem stabat ad monumentum, foris plorans.

Abierunt duo discipuli unde uenerant, Maria autẽ incredibili quodã amore desiderioq; domini sui nõ diuelleratur à monumẽto, mortuũ quærens, quẽ uiuum dilexerat, & exanimi corpori cupiens officium exhibere, posteaq; uiuentem frui negatum est. Stabat autẽ foris iuxta monumentũ, nihil aliud q̃ plorans & circumspectans & plangens miseriam suam, & absentiam dilecti, & illius amabile corpus, si qua spes affulgeret inueniendi corporis. Redierant discipuli ad sua loca, & iterũ congregari satagebant, & qui prius ut oues dispersi erant, iterũ adunantur. Interim desiderio fatigata uenerat ad sepulchrum Magdalena, ut ungeret dominum, & ut sic consolationem de mortuo acceperat, ita utraq; spe amissa iam nesciebat uiuum & amiserat mortuum. Nam quamuis aliquid audierat, tardius tamẽ solatium fidei sentiebat, sic domino uolente. Gaudet enim dominus excitare desideria piorum sancta, ut uberius consolentur: sicut et Cananæa non audiebat, & aliquandiu sinit nũc Mariam plorare, quo dulcior potest illi sit consolatio.

Dum ergo fleret, inclinauit se & prospexit in monumentum, & uidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput & unum ad pedes, ubi positum erat corpus Iesu.

C
Matth. 28. 4

Mar. 16. 6

Inter plorandū autem quum ingredi non auderet, obliquato capite iterum introspexit & ipsa in monumentum, uiditq; duos angelos blanda laxatq; specie sedentes diuisim, alterum ad caput, alterum ad pedes loci ubi positū fuerat corpus domini. Iam hic aspectus latus & alacer ac placidus sepulchri, noctis & solitudinis aliqua ex parte pauorem adimebat plurimū sollicitæ mulieri, cui non suffecerat semel accessisse & introspexisse, sed desyderantium more querebat ubi nihil inuenire sperabat, uidebat quomodo se res haberet, an prius forte decepta fuisset, ideo digna habetur angelica cōsolatione: angelorū enim officium est ministrare electis. In albis autē apparent, uelut congratulantes humano generi, & festa celebrantes continua pro triūpho domini sui, de morte & satana. Cum igitur non sola corpus plane abesse uideret ut antea, nunc autem adesse angelos, mulier fit mente confusa, ut rem omnem minus attenderet, ideo consolatur ab angelis.

Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerūt dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum.

Angeli ut mulieri uel mulieribus consolationē afferrent, pro mœrore tanto ultrò compellant flentē, Mulier, inquiunt, quid est quod ploras? Tum illa uehementia quadā amoris ebrīa, Quia sustulerunt, inquit, dominū meum de sepulchro, nec scio ubi posuerūt eum. Suum dominū appellat, & mortuū etiānum amat, nihil adhuc sperans de resurrectione, æque parum promota in huiusmodi fide ut apostoli primores, quo sit minus mirandum de fidei tarditate in scēminis, quum etiam apostolos toties instructos de resurrectione sicut & de passionē conspiciamus ignaros scripturarum, & immemores uerborum Christi.

Hæc cum dixisset, conuersa est retrorsum, & uidit lesū stantē, & non sciebat quia Iesus est. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? Quē quæris? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, & ego eum tollam.

Dū hæc loquitur Magdalena, ex angelorū uultibus suspicata est aliquē a stare à tergo, & non expectato angelorū responso retrospexit, & ilico uidit lesū stantem, quē angeli fuerant uenerati, nō tamē agnouit Maria quod Iesus esset. Apparebat em̄ humili specie, ne subito sua tūc propria & glorificata specie conspectus mulierē expauesceret. Ut igitur animum adderet illi, blandius appellat eā eisdem uerbis quibus angeli, Mulier, quid ploras? Quem quæris huc & huc circumspēctans? Illa suspicans quod hortulanus esset, cultor & custos eius loci in quo erat monumentum, erat autē in orto, muliebri simplicitate dicit illi: Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi cælaueris eū, & ego tollā illum, honorificentiusq; tractabo q̄ tu feceris. Suspicebatur enim q̄ amicus quispiā ob Iudæorū metum curasset corpus clanculum asportādum, ne ueniret in manus nat Christū, quasi omnibus affectus sui essent cogniti. Dicit illum, mortuū scilicet, & in orto tuo sepultū, propter illum adsum, qui hic positus, si tu baiulasti in alium locum, fortassis offensus quod uicinus orto tuo, uel aliā ob causam, ne offendaris, ego tollam corpus illius. Hucusq; autē Christus loquutus fuit ut ignotus, nunc quidem se manifestat, quia satis desyderiorum excitat in illa.

Dicit ei Iesus: Maria. Cōuersa illa dicit ei: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit ei Iesus: Noli me tangere: nondum enim ascendi ad patrem meum

meum. Vade autē ad fratres meos, & dic eis: Ascēdo ad patrem meum & patrem uestrum, deum meum & deum uestrum.

Dominus Iesus delectatus tanto desyderio mulieris, uoce iam nota & familiariter compellat eam, Maria. Ad hanc uocem notam subito attendens quis esset qui loqueretur, conuersa quæ ad eum, iam enim reflexerat se fortassis ad angelos, adeo subitis affectibus huc & illuc impellebatur, agnouit Iesum, subito quæ gaudio rapta solito titulo compellat discipula præceptorem, Rabboni, quod Syris sonat Magister meus, simul quæ procidens uoluit osculari pedes illius, memor adhuc ueteris familiaritatis. Iesus autē sciens illam nihil adhuc magni de se sentire, quanquæ synceriter ac flagranter amaret, à contactu corporis prohibuit. Videbat enim Maria rediuiuum, sed non in aliud reuixisse putabat, nisi ut more solito consuetudinē ageret cū amicis ex mortuis uiuus, ignara quæ iam corpus gestaret immortale, maiore ueneratione tractandum, quod nec impijs unquæ exhibuit dominus, nec cuius atrectandum permisit, quo paulatim in totum abduceret ab amore corporis. Noli, inquit, me contingere, corpus idem est quod pendit in cruce, sed iam immortalitatis gloriosa prærogatiua condecoratum. Tuus autem affectus adhuc sapit carnem, quia nondū ascendī ad patrē meum, quod cum fecero mittam uobis spiritū consolatorem, qui uos perfectos reddet, meo quæ spirituali confortio dignos. Satis sit interim tuo desyderio, quod me conspexeris, quod quæ loquētē audieris, sed abi potius ad fratres meos ob mortē meā desolatos, & hoc gaudij quod ex meo aspectu es adeptus quæ primum illis impartito, his quæ meis uerbis adnuncia quod in hoc reuixi, ut dies aliquot cū meis commoratus terras relinquā, & ascendam ad patrem mihi & uobis communē. Deponant igitur terrenos affectus, & animū ad spiritualia cœlestia quæ erigant. Iam nunc incipit summa mea gloria, qua equalis habebor cum patre meo, qui est et pater uester per me. Ego natura filius dei, uos gratia & adoptione. Vade, inquit, ad fratres meos. Si igitur fratres eius sumus, eundē & patrē habeamus. Ascendo, inquit, ad illū, ut sedeā à dextris illius, & ita nunc erit deus uester, ut sit socius uestrum æternū cum deo. Dic fratribus, iam præcessisse tempus humilitatis meæ, dispensationis peractæ in carne mea, iam non seruiam ultra, non adero iuxta carnē & sanguinem, sed in spiritu & diuinitate gratiam meam implorantibus. Sic magnifice uult prædicari suam resurrectionē & ascensionē ad patrē, quamuis ab eo nunquæ iuxta deitatem abfuerit. Corpus illud suū uerū animatum & diuinitati unitū, finitū tamen iuxta circumscriptionem loci, exactis diebus carnis suæ, ut omnia adimpleret, transfudit illud in cœlum extra hunc corruptibilem mundū, confedens ad dextrā patris dominus omnium, rex ecclesiæ suæ, intercessor unicus fidelium, ibi manens ad consummationē sæculorū. Et sicut absens erat cœlo secundum humanā substantiam, quum adhuc esset in terra, sic dereliquit terram ascendens in cœlum secundum eandem, præsens tamen fidelibus in hoc mundo secundum diuinitatem et efficaciam. Discimus ergo hic, ut postquæ cognouimus mysterium passionis & resurrectionis, quo nobis seruitum est, ut excitemus mentem nostrā, & quæ sursum sunt quæramus, ubi Christus est in dextera dei sedens, ubi æqualem habet potestatem cum patre.

Venit Maria Magdalene annunciās discipulis, Quia uidi dominū, & hæc dixit mihi.

Obtemperauit igitur Maria, & reuersa ad discipulos renunciauit se uidisse dominum, & quæ iusserat suo nomine referri, retulit, ut ingens quidem sola

tium ex eo caperent, quod eos iam fratres appellaret, & ipsi præpararent animos ad desiderium rerum æternarum atq; cœlestium, quod corporis fruitio iam non sit futura diuturna iuxta carnem.

Mar. 16. c
Lucæ 24. f

Cum ergo esset sero die illo, una sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, uenit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax uobis. Et cum hoc dixisset, ostendit ei manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli uiso domino.

Quum his atq; alijs quibusdam apparitionibus dominus Iesus paulatim erexisset animos suorum ad alacritatem, & spem peractæ resurrectionis, eodem illo die qui primus erat sabbati, quod paschale sabbatum sequebatur, cum iam esset uespera, essentq; discipuli congregati clanculum, qui ob metum Iudæorum luce non audebant conuenire, ingressus est Iesus, cum fores fuissent clausæ ob metum & noctu, & assistens in omnium conspectu medius, quo pauorem illis omnem adimeret, blande notatq; uoce salutauit eos, dicēs: Pax uobis. Et ne spectrum esse suspicarentur, aut aliud corpus, ostendit eis in manibus clauorum uestigia, & in latere militaris lanceæ cicatricem. Hac salutatione atq; hoc spectaculo confirmata fides est, & ademptus mœror, & exhilarati discipulorum animi. Nam id eis pollicitus fuerat Iesus, fore ut intra breue tempus illos reuideret, suiq; conspectu reddito, mœrore absterfo cor eorum exhilararet. Simulq; commonefecit eos eius quod dixerat futurum, ut in mundo mœrorem haberent, in ipso pacem. Congregatio illa discipulorum docet nos charitatem: si enim nobis defuerit fratrum cura, actum erit de fide. Fuerunt discipuli periclitati propter Christum. Cum enim Iudæi non possent sequere in Christum, sauerunt in discipulos. Qui participes crucis sunt, illi ueræ resurrectionis Christi mysterio consolabuntur. Pacem imprecando, suo more salutando, uult dicere, iam nihil timete, omnia uobis pacifica erunt, licet Iudæi sauiant, omnia tamen sunt in tuto. Proprium ueri corporis est, ut aliquo modo circumscribatur, loco scilicet, et habeat membra organica, manus & latus &c. Si corporaliter adest corpus, ad sunt diuersæ positiones & locatio, nisi qui uelint fingere corpus non eiusdem generis cum nostris corporibus. Hi cum gloriã Christo putant ascribere, si qui tales sunt, detrahunt potius, & ueritatem humanæ naturæ dissipant, miracula maxima & innumera ponunt sine omni authoritate scripturæ, credenda imponunt fidelibus, quæ sunt contra sensum communem, & scripturarum sacrarum tam doctrinam quàm exempla, ut ipsis talia docentibus potius credere compellamur quàm uerbo dei & rationi rectæ pariter.

1. Cor. 15. a

Matth. 28. c

Dicit ergo eis iterum: Pax uobis: sicut misit me pater, & ego mitto uos. Hæc cum dixisset, insufflauit, et dixit eis: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Exhilaratos igitur apostolos quo magis confirmaret, denuo pacis omine salutat eos, dicens: Pax uobis, simulq; mandat cum authoritate summa prædicationem eorum quæ uiderant & audierant. Sicut, inquit, misit me pater, & ego mitto uos. Ego bona fide glorificauit nomen patris, uos simili fide consentientes inter uos, patris meumq; nomen prædicabitis. Ad hanc functionem præparate animos uestros, quandoquidē ego perfunctus mea legatione repeto patrem, inde uobis missurus largiorem spiritus sancti copiam, interim & ipse uobis pro captu uestro spiritum sanctum impartio, simulq; cum dicto insufflauit in faciem illorum,

illorum, impartitus spiritum: addidit auctoritatem remittendi peccata cunctis hominibus qui per Euangelicam professionem & doctrinam baptizati iungentur sibi, per quæ uitæ prioris poenitentiam uere resipiscerent. Non igitur mittuntur illos ad honores huius mundi uanos, uel ad diuitias conquirendas, sed ut imitentur Christum in legatione sua. Quæsiuit Christus ouem perditam, erit & apostolorum illam quærere, & reducere ad agnitionem unius & ueri dei, uiuentis uitam sanctam ac iustam. Vnde satis apparet, non esse successores apostolorum qui sua quærunt, delicias, opes, fastum &c. Officium apostolicum est, & uerorum episcoporum, gloriam dei ante omnia quærere, & quam plurimos ad deum ducere uerbo & exemplo. Hoc ut efficere possint, promisit indoctis illis & contemptibilibus coram mundo spiritum sanctum, cuius robore hæc possint efficere, comunicans de sua plenitudine spiritum discipulis, ut orbem doceant, & fortiter agant. Flatus autem ille quo sunt afflati per Christum apostoli, signum erat interni & spiritualis afflatus, quo donum spiritus sancti percipiebant, ut essent corde docili, illustrato & forti, ut digne fungerentur suo officio. Non fuit ille substantialem spiritus sanctus, sed indicium erat maximi illius doni, quod Christus daturus erat suis apostolis, & postea ecclesiæ suæ. Adhibuit exterius signum, ut in cæna ultima, in qua panem & uinum dedit, & præterea gratiam spiritualem pijs & credulis impartiebatur. Est & deus ipse spiritus sanctus, sunt dona etiam spiritus sancti quæ distribuuntur, ut agamur pijs motibus & affectibus ad prompte obsequendum uoluntati diuinæ. Antea quoque dominus promiserat apostolis clauas ecclesiæ, easdem nunc illis concedit, non quod apostoli ipsi proprie remittant peccata, quod solius est dei, sed per scripturæ sensum consolati & instructi certificant secundum eandem scripturam & uerbum dei, & annunciant remissa esse per dominum. Sicut nec apostolorum proprium est damnare, sed certo pronuntiare secundum uerbum domini damnationem perfidorum. Vbi certa promissio annūciatur per ministrum, ibi per dei gratiam & spiritum sanctum remittuntur peccata: sic apostoli prædicarunt peccata fidelibus remissa esse per Christum, qui satisfecit pro nobis, si tamen fides illa in Christum uiua in nobis fuerit, ut abhorreamus peccata, & desideremus sanctimoniam. Dantur hic apostolis clauas, per quas iudicant, qui ad ecclesiam pertineant, & qui non. Interna deo committimus, qui scrutator est cordium. Qui in ecclesiâ sunt eam audiunt, charitatem zelant, crimina odiunt, isti utique non sunt alieni à fide, nec à spiritu sancto, illis remittuntur peccata, hi audiunt uerbum dei & credunt, patiunturque se secundum illud institui ad uoluntatem dei, cui credunt per scripturas, & ministro uerbi propter deum obediunt, sancta monenti ecclesiæ totius nomine.

Thomas autem unus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus dominum. Ille autem dixit eis: Nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

Hæc cum agerentur cæteris discipulis congregatis in unum, solus aberat Thomas, qui Græce dicitur Didymus, Latine geminus, à *δίδυμος*, quod Hebræis est geminum. Nam is unus erat e numero duodecim, quos dominus peculiariter delegerat ad munus Euangelicæ prædicationis. Is igitur ubi uenisset, discipuli gaudio gestientes renunciant illi quod uidissent dominum. Thomas suspi

catus illos ludificatos fuisse aliquo phantasmate, negat se crediturum, nisi testibus oculis suis, ne oculis quidem suis fidem habiturum, nisi conspectis in manibus clauorum recentibus uestigijs, manu quoque lateri lesu admota, deprehenderet lanceæ uulnus. Atque hæc incredulitas apostoli dispensatione diuina profecit ad fidei nostræ firmitatem. Discimus illis Christum se reuelare, qui ipsius tenentur desyderio, qui se alijs iungunt uera charitate, & participes crucis & dolorum sunt. Thomas enim quia minus feruebat, propterea seiunctus à discipulis, & Christum resurgentem cum alijs non uidit, ubi autem & ipse desyderium uidendi Christum habuit, & discipulis se iunxit, parisi gaudij quoque compositus factus est. Vnde sic sequitur.

Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit eis: Pax uobis. **G** Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.

Quum post dies octo rursus in unum conuenissent apostoli furtiuo cōgressu, ingressus est dominus ut antea clausis ianuis, stansque in medio suorum salutabat eos solito notoque iam more: Pax uobis. Mox uersus ad Thomam, cuius incredulitatem nouerat, is qui nihil nesciebat, quam quoniam sciebat non ex malitia quemadmodum pharisæorum, sed ex imbecillitate humana proficisci, sanare dignatus est. Quando non satis est tibi Thoma, inquit, audisse à tam multis, qui uiderant & audierant, nisi tuis sensibus omnibus certa fiat fides, infer huc digitum tuum in uulnera clauorum, & inspicere uera ferri uestigia, admoue manum tuam in latus meum, & contrecta lanceæ uulnus, & posthac noli alijs in rebus esse perinde incredulus, sed fidem habe promissis meis, quamlibet incredibilibus iuxta communem hominum sensum, posteaquam uideris hoc esse certum, quod tibi uidebatur incredibile. Verum contactu solo non factus fuisset Thomæ credulus, nisi suo illum spiritu Christus illustrasset. Illa nobis hoc conferrunt, ut habeamus ueram fidem. Cum proprio filio suo deus non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quid non sperabimus? Sis tu fidelis, & quæ promissa sunt deus utique præstabit. Desinat Christianus ab incredulitate, & omnia salua cedent.

Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & deus meus.

Tantum potest cœlestis & diuina illustratio, & diuini spiritus infusio, mox ad unicam uocem Christi, non ut obstinati & pertinaces qui ob malitiam non credunt, statim alius sit Thomas. Pharisæi nullis miraculis potuerunt adduci, & si uiderent Lazarum resuscitatum, non tamen mouebantur, præpediti liuore & inuidia. Non dixit esse phantasma uel deceptionem, sed statim plenam confessionem protulit, & quæ sufficit ad salutem consequendam: fatetur illum quem tangit suum dominum esse & deum esse. Humanitatem tangebatur, & diuinitatem credebatur. Corporis enim contactus, quod pependerit nuper in cruce mortuum, testabatur uerum hominem resurrexisse, et occultorum conscientia diuinam uirtutem & naturam arguebat.

Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati qui non uiderunt, & crediderunt.

Non reprobatur fides Thomæ, sed alios præfert, qui absque contactu corporis fidem recipiunt. Est enim etiam ille gradus fidei non reprobandus, ut aliquid supra

supra id quod sensu percipimus, cognoscamus. Multi sunt qui optāt posse contingere corpus Christi, sed non sunt hi sequendi. Abducit nos dominus à sensibus nostris, ut credamus uerbis illius, & rebus olim gestis. Non tamē quasuis nugas ex hoc loco astruere & amplecti uelimus, quasi creduli esse debeamus in omnibus quæ sensu non percipimus. Vt in sacramento panis miracula adstruunt plurimi, hac sola ratione, quia non uidemus. Ratio fidei argumentum quoddam est, & firma persuasio rerum non quidem apparentium, sed in uerbo dei manifestum habentium fundamentum, eo modo quo illud credere obligatur fidelis. Quoties autem scriptura de fide loquitur, ferè ea respicit quæ salutis nostræ necessaria sunt, unde confirmamur de beneuolētia dei erga nos. Ita prædixit dominus apostolis, posthac futuros esse credentes resurrectionem, non etiam uiso & contacto eius sacro corpore.

Multa quidē et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorū suorū, quæ nō sunt scripta in libro hoc. Hæc autē scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus filius dei, & ut credētes, uitā habeatis in nomine eius.

Multis quidem & alijs indicijs dominus Iesus declarauit diuinam naturam suam, ac uirtutem apud discipulos suos, miracula multa gessit, quæ non sunt descripta in libro hoc, sed quædam ab alijs referuntur Euangelistis, quædam uero uoce narrata sunt ab his qui uiderunt & audierunt. Non enim curæ fuit omnia describere, quod erat immensum. Qui istis non credit, neque alijs uarijs testimonijs & coniecturis, quibus se probauit & Christum dominum, & uerissime resurrexisse, credit. Et hac quoque scriptura abutuntur quidam quasi multa sint prætermissa in scripturis, quæ necessaria sint nostræ salutis, & propterea oportuisse illa à pastoribus episcopis & concilijs adiungi & scribi, sapientiā Christi & spiritus sancti in ecclesiam fidem desyderātes uanissime. Ponit autem hic summam fidei, quæ in hoc est, quod Iesus est filius dei, 1. Ioan. 1. At id est confessio Petri, Matth 16. & Ioan. 6. Vbiq; enim paucis uerbis Euangelistæ ostendūt fidei summam. Iesus quidem humanitatis est nomen, filij uirginis Mariæ. Is est Christus Messias, qui promissus est per prophetas, unctus in regem, quiq; successurus erat Dauidi, & regnaturus in æternum. Ille igitur rex liberator est humani generis, unde & dicitur estq; & uere filius dei. Si credimus in Christum deo credimus, et in uerum deum. Vnum deum adoramus etiam Christum adorantes, eiusdem naturæ & diuinitatis cum patre, secundum id quod assumpsit naturam humanam, cum natura humana de uirgine sumpta & benedicta illius anima uere sint creaturæ, personaliter diuinitati & uerbo dei unitæ. Nec tamen simpliciter & nude sunt credēda, quando & satan idipsum credit, nec talis fidei nuda cōfessio saluat, sed indubitabilis fiducia in ipsum talem Christum saluatorem nobis datum à patre ex infinita bonitate sua, nullis meritis exigentibus tantam gratiam. Huiusmodi, ait, si fidem habueritis mei discipuli, contineget uobis illa beatitudo, quam promisi non uidentibus quidem, & tamen credentibus. Quemadmodum enim ille passus est mortem, & uiuit immortalis, ita & uos professione nominis illius perfecta et uiuaci, uitam æternā assequemini.

CAPVT XXI.

Rosteia manifestauit Iesus se iterum ad mare Tiberiadis.

Apparitio hæc numeratur cum alijs sexta; prima enim fuit cum Magdalene ut hortulanus apparuit, conspicuus apud sepulchrum, cum illam angeli alloqueretur; altera dum illis foeminis in uia occur-

rit, dicēs: Auete; tertia duobus euntibus in Emaus; quarta dum undecim discipulis absente Thoma uisus est; quinta post octo dies p̄sente Thoma; sexta dum abeunt in Galilæam in montem ubi constituerat illis Iesus; septima ad mare Tiberiadis, de qua hic Ioannes loquitur, quanquam & aliæ multæ fuerint Christi manifestationes post resurrectionē per quadraginta dies, apparendo & loquendo de regno dei. Frequenter enim illis apparuit colloquens, nonnunq̄ & unicum cibum capiēs, ne qua suspitio posset animis illorum insidere, quod præstigiū aut spectrum fuisset quod uiderant; nec tamen interim perpetuo conuersabatur cum illis, quemadmodū ante mortem solebat, nec eadem familiaritate cum illis agebat, nec omnibus cōspiciuus, quia prædixerat se suis appariturum, non mundo, ne suis quidem conspicuus, nisi quum uellet. Iam enim immortalitas uenerandam quandam speciem ac maiestatis plenam præ se ferebat, ut consuetudine illorum fide corporis conspectum in totum ab eis subduceret, iamq̄ spiritaliter apud suos uersaretur. Itaq̄ rursus exhibuit sese conspiciendum discipulis suis iuxta lacum qui dicitur Tiberiadis, propter urbem à Tiberio nomen sortitam. Verum præcipuis tunc se discipulis manifestat numero septem, qui inter cæteros quoq̄ dignitate excelluisse creduntur.

Manifestauit autem sic. Erant autem simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo.

Discipuli qui latitarant ante Hierosolymis, quo tutiores essent à pharisæis, receperant sese in Galilæam, erantq̄ simul aliquamulti, nimirum Simon Petrus &c. Cum enim nondum datus esset promissus spiritus sanctus, nolabant otio suo cuiquam onerosi esse: nondum illis prædicationis mandatum datum sic fuerat, ut istis diebus fructū aliquem parere sperarent, sed suo artificio quod olim exercuerant parant sibi uictum, sicut in initio Euangelij adnotatum est. Vt & nos discamus uitare otium, ne cui simus onerosi per nostram segnitiam.

Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem iam facto stetit Iesus in littore, non tamen cognouerunt discipuli quia Iesus est. Dicit ergo eis Iesus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.

Quoniam præsidio domini fuerant destituti, per quem alij consueuerant ab amicorum ultronea benignitate, quibus prædicabant & beneficia conferebant, minime otiosi, Petrus ad pristinam artem reuertitur, quo sibi manibus uictum pararet, ne cuiquam grauis esset, aut in otio cuiusquam liberalitate aleretur. Non enim licebat prædicare, nec æquum esse iudicabat, ut qui non seruiēbat Euangelio, uiueret ex Euangelio. Longe alia conscientia quam interim sacerdotibus & monachi cum cæteris multis. Sub noctem igitur, quoniam luce nondum satis erat tutum prodire in publicum, uel quia sic oportunum tempus existimaret capturæ, ait Petrus: Abeo piscatum. Cæteri uero: Venimus & nos tecum, ut piscemur. Vnà simul itaq̄ egressi domo conscenderunt nauim, ac tota quidem illa nocte frustra laboratum est piscando. Nihil enim ceperunt, quo locus daretur miraculo, simul uelut enigmate significaretur inanē esse operam Euangelistæ, nisi Christus hominis conatum bene fortunet. Vbi uero iam diluxisset,

xisset, Iesus stetit in littore, non tamē agnouerunt eum discipuli, partim ob in-
 uerualum longius, partim ob lucem adhuc ancipitem, partim quia noluit sta-
 tim agnosci dominus. Alloquutus est igitur eos Iesus à littore: Pueri, inquit,
 num quid habetis obsonij? Illi quum ne uoce quidem agnoscerent dominum,
 sed suspicarentur alium quempiam esse, qui uenisset ad lacum mercaturus pi-
 sces, responderunt se nihil habere quod illi uenderēt, qui nihil cœpissent. Tum
 Iesus, ut paulatim declararet quis esset, Iacite, inquit, rete in dextrum nauigij la-
 tus, & inuenietis, quod hactenus non potuistis. Piscandi uero artificium figu-
 ram gerit piscationis spiritualis. Sicut in piscatione non est piscatorum ut plu-
 res capiant pisces, sed potius diuini numinis, ipsi uocant fortunam, et nō iuben-
 te Christo frustra laborant, & iubente deinde Christo mittūt retia, sed in dextra
 & fide, multitudinemq; pisciū extrahunt. Nihil prædicando proficitur, quam-
 diu nō cooperatur spiritus sanctus. Christo iubente multos lucrificamus, non
 ante. Illi tota nocte nihil ceperunt, quia nondum adfistebat illis Christus. Hæc
 quoq; uita cōparatur mari fluctuoso & procelloso: æterna uita rectius littori si-
 mulatur, in quo stat dominus Iesus. Pueros uel pueros benigne nominat, si for-
 te agnoscant. Plane autem Christus est, qui esurit nostram salutem. Aliū enim
 cibum habet quem cupiat. Hunc sibi uult afferri per apostolos doctrina aposto-
 lica adducendo fideles. Pulmentarium uel obsonium dicitur hic quod simul e-
 ditur ad panem, siue carnes siue pisces. Neq; erat Christo curæ de piscibus, sed
 alludebat ad prædicationem, quia Christus cibus est fidelium. Dextera autem
 pars est & melior, quando omnia in gloriam dei aguntur, & dum non spectan-
 tur quæ sunt huius uitæ.

Miserunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine
 piscium. Dicit ergo discipulus ille quem diligebat Iesus, Petro: Domi-
 nus est. Simon Petrus cum audisset quia dominus est, tunica succin- C
 xit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio
 uenerunt (non enim longe erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) tra-
 hentes rete piscium.

Paruerunt iubenti, nam tedium frustra insumpti laboris, & auaritas capi-
 endi spem addebat. Mox tanta multitudo pisciū capta est, ut onustum rete uix
 pertrahi posset ad scapham. Hæc uidelicet erat imago multitudinis hominum,
 quæ post apostolica prædicatione ex omnibus totius orbis linguis ac regionibus
 adiungenda erat ecclesiæ. Ex nouitate facti attentior factus discipulus ille
 quem diligebat Iesus, agnouit Iesum, moxq; Petrum qui totus erat in attrahen-
 do reti, submonet, quod dominus esset is qui è littore stans iussisset laxare rete.
 Petrus sui non dissimilis, ut intellexisset esse dominum, oblitus est retis & pi-
 scium, arripuit interulam (nam antea nudus erat) & impatiens moræ coniecit
 se in lacum, atq; ita peruenit primus ad dominum. Cæteri uero discipuli nauig-
 io consequuti sunt per breuius spatiū, simul trahentes rete piscibus onustum.
 Vbi piscatura fidelium successerit, diuina utiq; uirtus agnoscitur, sed ab his di-
 scipulis qui Christum diligunt feruenter, & quos ipse uicissim diligit, unde po-
 stea maius desyderium oritur uiuendi cum Christo præcipue pastoribus tali-
 bus, qualis Petrus & Paulus fuerunt. Apostolorum igitur officium erit, ubi ob-
 temperauerint Christo, ut iterum se conuertant ad Christum, illi suum hono-
 rem impendentibus. Qui uere discipuli Christi sunt, non magni faciunt præ-
 sentem uitam, tantum ut perueniant ad Christum. Inuenimus quoq; etiam hic

fidei varietatē in apostolis, cum alij alijs præstantiores sint. Felicitas nostra est fieri cibus Christi. Neq; solum pro se solliciti sunt, sed pro his quos ceperant, ut secum trahant ad littus quietis æternæ.

Ut ergo descenderunt in terram, uiderunt prunas positas, et piscem superpositum & panem. Dicit eis Iesus; Afferte de piscibus quos prendidistis nunc.

Miraculo nouo operatur nunc Christus quicquid uult, subito creat & prunam ardentem, ac piscem uel affaturā; quod ipsum magni miraculi res est, cum solo diuino iussu talia apparatur, unde diuinitas Christi agnosci poterat. Neq; hoc caret suo mysterio. Magnus utiq; fructus eorū qui laborauerūt in mari huius uitæ. Ostendit etiā Christus exemplo suo, quid alios oporteat facere, nempe ut pascant sibi concreditā plebem; magnā quoq; gloriā esse apostolicis uiris, ad ducere fideiū magnam multitudinē, de quo & Paulus in dño gloriatur. Et magna laus est his doctoribus qui fideliter & cū fructu laborauerūt in uerbo dñi.

Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenū magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cū tanti essent, nō est scissum rete.

Auxit miraculū hoc quoq;, quod cum esset tanta multitudo pisciū magnorum, rete tamē non fuisse scissum onere. Res adumbrabat humilem ecclesiam, & iuxta mundū imbecillem & angustam, tamen omnes orbis partes & nationes complexurā præside & auspice Christo domino. Quamuis multa schismata & hæreses, tamen nemo ex prædestinatis ad uitam ex hoc rete labitur. Nouit deus qui sui sunt, & isti audient uocem pastoris sui; ita semper est una quædam ecclesia, quæ manebit indiscussa, etsi hæretici multū laborent. Adherent capiti Christo in primis, deinde membris, id est omnibus credentibus. Est enim perpetua concordia uere piorum. Quod si hodie quidam discordes fuerint, si ex numero electorum fuerint, redibunt cum alijs in gratiam antequam inde uocentur, ut maneat in ecclesia fidelium.

D Dicit eis Iesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discubentiu interrogare eum; Tu quis es? scientes quia dominus est. Et uenit Iesus, & accepit panem & dabat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis, cum surrexisset à mortuis.

Iam uero ut certius etiam daret specimen, se uerum esse hominē, non phantasma, qui ueritatē sui corporis oculis uisus, auribus auditus, & manibus contractatus approbaret, cibum etiam cum illis capere uoluit. Inuitauit igitur suos ad prandium paratum. Discubuerūt discipuli sed taciti. Maestas enim immortalis iam corporis ademerat illis solitam fiduciam. Agnoscebant quidem dominum, sed augustiore iam specie. Nullus igitur ausus est eum interrogare, quis nam esset, quod ex re scirent dominum esse, licet species corporis esset immutata. Accessit igitur Iesus ad conuiuium, & suo more distribuuit illis panem manibus suis fractum, similiter & piscem, facto docens suos, quos pastores ecclesiæ delegerat, ut Euangelicum gregem sacra doctrina, sed ab illo tradita ac parata pascerent. Hic erat tertius dies, quo se Iesus per interualla suis conspiciendum exhibuit. Neq; enim assidue cum eis cōuersabatur. Significat autem ille panis coelestem panem, quo Christus seipsum dat in æternum cibū, quo cibo pascuntur etiam angeli, nempe uerbo æternæ sapientiæ, quod cognouisse gaudium est omnibus & beatitudo spirituum. Etiam alijs discipulis Christus apparuit, sed collectim. Verum illas tres apparitiones Ioannes posuit, quibus etiam ipse præsens

fens adfuit, non negans interim quod saepe alijs quoque uicibus apparuerit.

Cum ergo prandissent, dixit Simoni Petro Iesus: Simon Iona, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.

Peracto prandio dominus Iesus uelut explicans quod factum significarat, Petro pascendas oues suas committit, sed ter stipulatus amorem sui, ut inculcaret animis suorum neminem esse pastorem idoneum gregis Euangelici, nisi qui tantum amorem gereret erga suam custodiam creditos, qualem Christus iam praestiterat erga suos, pro quibus impenderat uitam suam. Petrum autem potissimum alloquitur, quo memoriam abnegationis aboleret, significans illum in Euangelico ministerio principem locum habiturum, qui charitate in gregem dominicum praecelleret ceteris. Per hunc igitur quem nouerat ceteris ardentioris animi, uoluit omnibus apostolis & horum successoribus specimen ueri perfectique pastoris exprimere. Solet autem & alias Petrus uelut os esse apostolorum, & per hunc audire uoluit dominus quid ceteri quoque profiterentur. Siquidem huius uoce aedita totius ecclesiae professio, iam pridem promeruerat sponsonem clauium regni caelestis. Itidem & tum huius uoce uoluit aedita summa erga se charitatis professionem, ut per unum ceteri cognoscerent, quales ad curam dominici gregis deberent assumi. Simon, inquit, Ioannis, diligis me plus quam hi? Non rogabat haec dominus uelut ignarus se plurimum a Petro diligi, sed penitus infixum esse uolebat animis suorum, summa erga Iesum charitate opus esse ei, qui gregis dominici curam susciperet, pro quo dominus ipse crucis supplicium subisset. Petrus autem iam factus solito circumspicior, de ceteris quidem quantum amarent dominum non respondet, quod aliorum animos exploratos non haberet, de sua unius conscientia respondet, cuius dominum etiam testem adducere. Quantum, inquit, aliorum quisque te diligat nescio, ego amo te domine, nec hoc ignarus interrogas, tu qui nosti secreta mentium humanarum, scis quod amo te. Tum Iesus: Si amas me, inquit, ut profiteris, pasce agnos meos, qui mihi charissimi sunt, & pro quibus uitam meam impendi, ac talem praebete erga illos, qualem ego me praebui erga uos. Hoc erit argumentum perfecti erga me amoris. Videmus quid requirat dominus in his, qui alijs sunt praeficiendi, nempe insignem charitatem, citra quam utique nihil proficient pastores. Nam si sui ipsius curam gesserint magis quam ecclesiae & concreditorum, nulla speranda erit utilitas. Pascendi sunt autem agni pabulo uerbi dei. Pastoris est curam habere gregis, ducere in bona pascua, defendere a lupis, curare morbias. Stulte colligunt hic quidam monarchiam Papae, ut sit solus princeps principum, & huiusmodi auctoritatem uel potius tyrannidem cum Petro acceperit. Diligat ille Christum plus alijs, uerbum dei calleat plus alijs, spiritu sancto uberius perfusus sit alijs, humilior sit & zelosior ad Christi gloriam plus alijs, solitudine maiore feratur plus alijs in profectum gloriae Christi & salutem animarum, & eximior erit plus alijs, & primatum ut tali libenter alij omnes concedent. Et quicumque talis praestitit plus alijs in mundo fuerit, uel in natione, is alijs praerit auctoritate dei, is proficiet in dei gloriam, & ecclesiae profectum. Quamdiu autem apparet in talibus qualibuscumque episcopis amor mundanus, non est ut de huiusmodi aliqua tali dignitate gloriantur, imo tanto minus gloriabuntur quanto fuerint digniores. Quomodo autem pascere possunt ecclesiam uerbo dei, qui nunquam edocti uel fidem uel doctrinam; potius arma, uentrem, delicias, famulum & potentiam saeculi spirant.

Dicit ei iterum: Simon Iona, diligis me? At ille: Etiam domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos.

Quia hanc rem serio commendat Christus, non contentus semel dicere, sed iterum & tertio ostendit dominum uelle prælatum ecclesiæ eximia illa charitate præcedere reliquos: deinde committit oues, ut sciat quantus sibi thesaurus commendetur. Sis, inquit, pastor, ut pabulum prouideas, & pastor qui à lupis custodiat ac defendat.

Dicit ei tertio: Simon Iona, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me, & dixit ei: Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce oues meas.

2. Pet. 1. c

Toties iterata domini interrogatio scrupulum ac mœrorem iniecit Petro. Quanquã enim sibi conscius esset quod uehementer dominum amaret, tamen post tam magna promissa ter abnegatus dominus, faciebat ut ipse sibi iam quoque diffideret. Euenerat enim in Petro, ut lapsus esset salutem, qui modestiam docuisset, ac dedocuisset sui fiduciam, quia nulla pestis capitalior Euangelicæ pietati. Respondit igitur syncere quidem, sed timide ac modeste, iam tota fiducia translata in eum cui soli fidere oportet: Domine, cur hoc toties interrogas, quum nihil te fugiat? Scis ipse quod amen te. Tum Iesus: Pasce igitur oues meas, & in has declara quanti me facias. Boni pastoris exemplum ex me sumes. Ego pro ouibus meis uitam meam impendi, tu quoque usque ad uitæ capitulum iacturam fidum ages pastorem ouium mearum. Meæ sunt quas meo sanguine redemi, nunc rediturus ad patrem tibi pascendas committo. Pastorem igitur ages non dominum: & pasces ut serues, non mastrabis aut deglubes ut perdas. Si ego tibi ter charus sum, erunt tibi charæ, quas habeo charissimas. Hæc dominus Iesus tanta diligentia uoluit esse inculcata discipulorum suorum animis, quod non ignoraret exorituros, qui non amore Iesu, sed sui commodi gratia curam populi Christiani susciperent, uel arriperent potius, qui pro pastoribus agerent tyrannos ac prædones. Quin & illud dominus Iesus dignatus est explicare, quid sibi uellet ter iterata dilectionis professio. Qui pro salute gregis dominici contemnit facultates suas, negligit honores huius mundi, negligit affectus suos, magnum quidem de se synceri amoris argumentum præbet.

F Amen amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, & ambulabas ubi uolebas, cum autem senueris, extends manus tuas, & alius te cinget, & ducet quod tu non uis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset deum.

Qui pro salute gregis non dubitat uitam suam in discrimen adducere, is ab solutæ charitatis certissimum documentum dedit. Id olim Petrum facturum subindicare uolens, aiebat: Illud etiam atque etiam tibi confirmo Petre, præstabis aliquid quando quod nunc profiteris. Non est autem delicata professio. Cum enim esses iunior, & iuxta corporis uires malorum tolerantior mollius habebaris. Nam ipse tibi cingulum tuo arbitratu soluebas aut addebas, ac liber ambulabas quocumque lubitum esset. Verum ubi senueris, iam iuxta corporis uires imbecillior, durius tractaberis, nimirum animo iam fortior. Nam porriges manus tuas, & alius cinget te, ducturus quod nolis. Hoc ænigmate Iesus significabat quo mortis genere Petrus esset glorificaturus deum: siquidem admodum senex ductus est

est ad crucem, quam ut libenter pertulit ob immensam charitatem erga dominum suum, tamen horret imbecillitas carnis & humanae naturae. Dicunt Petrum Romae crucifixum esse &c. addunt quod orarit caput suum demitti uersus humum, ne erecto capite Christo domino similiter crucifigeretur. Sunt magni & ueteres, qui dicunt Petrum capite quoque amputato obiisse. Nihil de hac re certum historiae probabiles tradunt, sed fama uetus est Romanis in multis incerta et irrationabilis diffeminata fuit in his & alijs rebus. Sunt qui non leuiter moti conuolant Romam nunquam uidisse, ad minus non praefuisse tot annis, & huiusmodi multa opinantur. Crucifixio autem ut mors sit ignominiosissima, qua & Petrus & quidam alij apostoli incerta historia occisi dicuntur, gloriosa tamen est & beata post Christum passum eis qui illum sequentes crucem similiter portant & ferunt. Et ideo ne utiquam timendum, quandoquidem propter Christum si fuerit, gloriosa erit, dum pro eo morimur, qui antea pro nobis in cruce fuit mortuus.

Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conuersus Petrus uidit illum discipulum quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in coena super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum uidisset Petrus, dixit Iesu: Domine, hic autem quid?

Praedicta loquutus est Iesus, & coepit ambulare, dicitque Petro: Sequere me. Rursus ad suae charitatis ac mortis imitationem inuitans. Petrus ubi respexit Iohannem discipulum, quem unice diligebat, & domino caeteris chariorem semper fuisse sciret, ac tum non iussus sequeretur, Petrus proximus rogat dominum quid de illo futurum esset. Iam enim de sua morte cognouerat, & scire cupit, an hunc mortis suae comitem esset habiturus. Nam hoc sibi gloriosum ac uehemens dominicae erga se charitatis indicium esse ducebat, quod Iesu mortem esset imitaturus. Dicit ergo: Hic autem quid? scilicet patietur, uel quid fiet de ipso. Ille, inquit, quem tam familiariter diligis, qua morte succumbet? si mihi hunc honorem concedis, ut sciam quo genere mortis moriar. Hanc curiositatem Christus non probauit; quae non ad aedificationem faciunt, ne petamus a Christo, Petrus ipse, & quisquis fidelium pro se sit sollicitus, ut sic uiuat innocenter & pie, ut feliciter & sancte moriatur in Christo. Ut sunt autem uarij exitus discipulorum, quibusdam feliciter in domino quiescentibus, & absque graui tormento, alijs ad duriora tormenta raptis. Qui tamen assumuntur ut pascant gratiam domino, animum suum instituant, ut parati sint, ne diuinae uoluntati reseruentur. Obseruandum hic quoque, non ignominiosum pro Christo mori, pro ueritate ac iustitia; neque potest homo honestius mori, modo qui patitur, sincero animo patiatur, non ut quidam temerarij, qui absque causa sese inuoluunt periculo.

Dicit ei Iesus: Si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? Tu me sequere. Exijt ergo sermo inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur: sed, Si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te?


Superuacuum hanc de morte Iohannis Petri curam corrigens dominus Iesus ait: Si hunc uelim manere donec ipse ueniam, quid id tua refert? Meus est, & meo arbitratu de illo quod optimum erit statuam. Tu quod ad te pertinet cura, uidelicet ut me sequaris. Hoc tuum officium est, ut perseueres & sequaris me, crucemque tuam subeas, hoc est mortem tibi decretam pro pietate in me & doctrina Euangelica. Orus est igitur ex huius occasione sermonis inter disci-

pulos rumor, quod discipulus ille Iesu dilectus non est moriturus uiolenta morte, sed permansurus in uita donec rediret dominus iudicaturus uiuos & mortuos, quod omnes tum breui futurum opinabantur. Tametsi Iesus non dixerat eum non moriturum, sed Petri curiositatem retundens, negauit ad illum pertinere, si uellet eum manere usque ad aduentum suum. Ob librorum mendum hoc loco irrepsit error quorundam dicentium, Ioannē esse in paradiso cum Enoch, cum tamen Ioannes sub finem dicat se moriturum, ut sit hæc sententia quasi correctio sic opinantium, ut non Sic, sed Si legatur Christus dixisse, Si eū uolo manere donec ueniam quid ad te?

Hic est discipulus ille qui testimoniū perhibet de his, & scripsit hæc: & scimus quia uerum est testimonium eius. Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scribendi sunt libros.

Non scripsit hic discipulus ab alijs audita, sed quibus ipse interfuit, nec omnia tamen commemorauit quæ dixit et fecit Iesus. Etenim si quis ea singulatim conetur enarrare, immensa uoluminum uis nasceretur, tantum autem literis proditum est, quantum ad salutem consequendam satis est. Superest igitur, ut his credentes, & Iesu uestigijs inhaerentes, contēdamus ad immortalis uitæ præmium. Nostrum est non obliuisci dictorum ac factorum Christi, sed studiosissime reuoluere hos libros Euangelicos, spiritu sancto dictatos per sacros apostolos & Euangelistas, scrutarique in eis positum thesaurum in miraculis & doctrinis Christi Iesu, ut hic purificemur fide, & eius uiuifica uirtute consequamur ineffabilia opera Christi & mysteria, hic quidem pro modulo capacitatis & status nostri, perficiamur autem in agnitione perfecta Christi in cœlestibus per dilectum saluatorem nostrum, Cui cum patre & spiritu sancto incarnato uerbo gloria sit in sæcula sæculorum, Amen.

FINIS.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.